





MEDITATIONES SACRÆ IN EVANGELIA DOMINICALIA,

CONSCRIPTAE

PER

BALTHASAREM MEISNERVM
Theol. D. & in VVitteberg.
Acad. Prof. P.



ARGENTINAE,

Venundantur apud PAULUM LEDERTZ, *Bibliop.*

ANNO M. DC. XXVI.

Nobilissimis & Magnificis

VIRIS

DOMINO ESAIÆ

à Brandenstein in Oppurgk/Knaw/Grünaw/ & Kürbitz / Sereniss. Electori Saxoniæ à Consiliis intimis, & Provincialis Curiæ Lipsensis Præsidi eminentissimo.

DN. WOLFGANGO ERICO

A Brandenstein in Oppurgk/ Electorali Saxonico Consiliario amplissimo,

Dominis & Mecœnatibus meis plurimùm honorandis,

Gratiam & Pacem à Iesu Christo sempiternam precor.

NObilissimi & Magnifici Viri, Patroni semper colendi, Antiqua Ecclesiæ, per multa secula jam frequentata consaetudo est, ut certi textus ex Evangelica historia petiti, Dominicis diebus explicentur quotannis, populoque Christiano inculcentur, unde vulgò nominari solent *Evangelia Dominicalia.* Quo autem tempore, & cujus operâ facta sit ista textuum selectio, non satis habemus exploratum.

Augustinus, qui quarto floruit χρισογονίας seculo, testatur, Epistolæ Iohanniticæ ἐξήγη-

σιν à se fuisse ad tempus differendam, ob intervenientes dies festos, quibus certæ Evangeliorum pericopæ debuerint declarari. Ejusdem ætate, peculiaria Scripturarum capita, singulis Dominicis fuisse prælecta & explicata, patet ex sermonibus de tempore, & volumine Homiliarum, quod extat 9. Tomo Operum.

Sunt autem, qui primam collectionem *Hieronymo* tribuunt, narrantes, Imperatorem Theodosium à Damaso, Romano Episcopo, petiisse certam officii Ecclesiastici rationem, quæ suasu Damasi cõfecta sit ab Hieronymo, cujus labore Evangelia Dominicalia fuerint selecta, quã distributionem non tantum Damasus, sed tertius quoq; Successor ejus Anastasius, circa annũ Christi 409. adprobarit, hac sanctione additâ, ut deinceps Christiani ad prælectionẽ istorũ textuum majoris reverentiæ causâ in Templis assurgerent. Similiter ex *Gregorij M.* sermonibus apparet, ejus temporibus certas Evangeliorum periodos in conventibus sacris fuisse propositas, quas tamen hodiernis non per omnia respondere, ultrò fatemur.

Hinc nonnulli ad Caroli Magni tempora, atque sic ad octavum gratiæ seculum distributionem illam, prout in nostris habetur Ecclesiis, referunt. Germanis enim ad Christianam

ſtianam fidem converſis, Alcuinum, vel ut alii vocant, Albinum Anglum, Caroli quōdam Præceptorem, ut & Paulum Diaconū, Caſſinenſem Monachum, Imperatoris mandato textus Evangelicos & Epiſtolares in iſtum ordinem, qui etiamnum viget, redegiſſe, ſimulque ex Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii & aliorum ſcriptis præcipuas explicationes collegiſſe memorant, quibus hic titulus tributus, *Homiliæ præclarorum Virorum*, & quum iſtæ poſt Evangelia legi debuerint, inde ortus eſt terminus *Poſtilla*, quem inſulſi Monachi poſtmodum contraxerunt, & in unicum fœminini generis nomen barbarè commutârunt.

Alii tamen non Alcuino, ſed præceptori ejus, venerabili *Bedæ* collectonem & diſputationem illam adſcribunt, eò quòd ipſe tum hyemales tū æſtivales ſermones reliquerit, quorum textus cum iis pulcrè congruunt, qui hodiè in noſtris Eccleſiis præleguntur.

Quomodocunque autē ſe res habeat, certum eſt, quòd ſancti Patres & pientiſſimi Epiſcopi fuerint prædicti moris auctores, licet de primo collectore non ſatis conſtet, nec veterum pericopæ modernis per omnia correſpondeāt: quæ ipſa origo & antiquitas à novitatis & mutationis ſtudio univerſos & ſingulos avocare meritò deberet.

Inveniuntur tamen homines, *partim* in noſtris cœtibus faſtidioſi, quorum ſtomachus nimis delicatus, ex annuis eorundem textuum repetitionibus, neſcio quam nauſeam concipiat, *partim* in Calviniana ſocietate curioſi & ſcioli, qui, ut Oecumenici Reformatores videantur, bellum quoq; lectionibus Dominicalibus indicunt, & melius eſſe cenſent, ut integrum ſcriptum Biblicum ſecundum ordinem capitum continuâ exponatur ſerie, ſi maximè incidant dies feſti aut Dominici, quàm ut antiqui & peculiariter ſelecti textus quotannis iterentur, quod ipſum ſatis colligitur ex *Calvini* defenſione 2. contra Weſtphalum, & *Praxi* Anglicarũ, Stoicarumq; Eccleſiarum.

Nos autem ſicuti non tàm temerarii ſumus, ut ad paucorum inſtantiam abrogemus protinus laudabilem & vetuſtiſſimam conſuetudinem; ſic neq; tàm ſtolidi & contumaces erimus, ut meliora per certas rationes monſtrantibus cedere nolimus, ſola antiquitatis titulo ſuperbientes. Interim donec pars adverſa neceſſariæ innovationis cauſas ſat prægnantes in medium producat, nemo nobis vertet vitio, quòd morem à multis ſeculis in Eccleſia receptum continuemus, præſertim quum non deſint argumenta, quibus hoc ipſum inſtitutum probari & com-

commendari nequeat luculentiſſimè.

Nam urgemus *I. Exemplum Iſraeliticæ Ecclesiæ*, quæ in feſtivitatibus à Deo mandatis, illos textus prælegi ſancivit, qui continerent beneficium iſtud, in cujus memoriam inſtituta erat ſolennitas. Sic nullum nobis eſt dubium, quin quotannis propoſita fuerint in Paſchate nonnulla de exitu ex Aegypto, in feſto Tabernaculorum quædam de Patribus in deſerto per 40. annos circumductis, & ſic conſequenter. Nec ignotum eſt, Iudæos Pentateuchum diſtribuiſſe in 54 פַּרְשִׁיּוֹת Parſas, ſectiones vel explicationes, quarum ſingulas ſingulis Sabbatis legerunt, inſtar noſtrorum textuum Evangelicorum, ut ita tota Lex annuatim in Synagogis per Sabbaticas lectiones abſoluta fuerit, quò ſine dubio *ſpectant* verba Iacobi, Actor. 15. v. 21. Moſes *à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Deinde & Prophetas in totidem Τμήματα vel ſectiones digeſſerunt, ut ſic cum lectione Pentateuchi ſimul Sectio Prophetica, cui reſpondent noſtri textus Epiſtolares, ſi quibus placeret, conjungi poſſet. Talem ſectionem Propheticam appellarunt הַפְטָרָה dimiſſionem vel ceſſationem, quoniam eâ abſolutâ dimiſſus eſt populus.

II. Exemplum primitivæ Ecclesiæ in Novo

Testamento, quæ morem istum imitata, in annuis Natalitiorum, Paschatis & Pentecostes solemnitatibus similiter ex historia Evangelica peculiares textus, Incarnationem Christi, ejusque resurrectionem & Spiritus sancti missionem describentes, sine dubio excerpsit, & populo inculcari fecit, ne lectiones Evangelicæ ab institutæ festivitatis fine turpiter discreparent. Sic & singulis diebus Dominicis certas Periodos jam olim deputatas fuisse ex Augustino & Hieronymo suprà ostendimus.

III. Aedificationem auditorum, quippe qui per repetitionem eorundem textuum Dominicalium, & magis instruuntur in fide, cujus illi compendium, summamq; continent; & magis confirmantur in veritate, quia eadem uti scribere, sic dicere, ἀσφαλές, *Phil.3. v.*1. & manuducuntur ad domesticam de illis collocutionem, quâ ad attentiorem auscultationem præparantur animi; & tenacius doctrinæ capita possunt infigere memoriæ, quæ aliàs labilis est, parumq; retinet de textibus semper innovatis; & plurimum ex Evangelio jam ante cognito delectationis capiunt, siquidem *Lectio lecta placet, decies repetita placebit*; & tandem in tentationibus atque agone mortis faciliùs recordatur Auditorum & Evangelicarum consolationum

crebrò

crebrò iteratarum, uti experientia ſatis ſuperque comprobat.

IV. Εὐταξίαν *Eccleſiaſticam*, quam requirit Apoſtolus *1. Cor.* 14. *verſ. ult.* Nam pericopæ iſtæ ſatis conccinnæ ſunt, & tempori correſpondent; ut, ante Feſtum Nativitatis habemus Evangelia de Adventu Chriſti; poſt Paſcha, de reſurrectione & abitu ejus ad Patrem, promiſsóque Spiritu Sancto, tempore meſſis de piſcatura Petri, de miraculoſa multorum hominum per paucos panes paſtura, & ſic conſequenter. Præterea hinc oritur pulcra conſenſio Eccleſiarum, dum in omnibus unus idémque textus eodem tempore ſuavi Harmoniâ exponitur, & peregrinantes etiam, captivi, ægroti, aliíque à publicis cœtibus excluſi, ruminare poſſunt ordinarium Evangelium, & ita Spiritu, ejusdemq; textus meditatione conventibus piorum conjungi, quæ omnia per antiquæ iſtius conſuetudinis abrogationem ſimul tolluntur. Quid enim aliud, quàm ἀταξία, & confuſio, & diſtractio ſequi poteſt, ſi unus de Paſſione Chriſti; alter de Nativitate, tertius de Aſcenſione, quartus de extremo judicio, &c. concionetur? Ita & tempori non ſervitur, & Eccleſiarum conſenſio turbatur, ſiquidem quùm Chriſtiani alij memoriam Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti piè recolunt, illi novato-

res fortè de nuptiis in Cana Galilææ verba faciunt.

V. Periculum scandali, quod sine dubio daretur simplicioribus, si intempestiva & non necessaria textuum Evangelicorum mutatio institueretur, quippe quæ simul & memoriam & attentionem eorum non parum impediret. In rebus autem adiaphoris semper respiciendum est ad fratres infirmos, ne illi offendantur, juxta Pauli monitum *Roman. 14. vers. 14.* Quare ut ritus novi sine urgente causa non sunt invehendi, sic veteres, quibus jam adsueti sunt Christiani, multò minus abrogari debent, nisi necessitas, & indubia totius Ecclesiæ ædificatio evidenter id postulet, quale nihil ab adversariis allegari potest. Accedit, quòd, si continuâ serie integrum scriptum Biblicum diebus publicorum Conventuum incipiat pertractari, hac ratione omnes festi dies ipso facto antiquentur, siquidem hoc non est, Exempli causa, Pascha celebrare, si fortè de vocatione Petri aut infanticidio Herodis informentur Christiani: quod ipsum procul dubio Calviniani, quippe feriis minus æqui, unà intendunt callidè, & satis hoc ipsum docuit praxis Ecclesiæ Anglicanæ, quæ per eliminationem Dominicalium textuum omnes ferias & solennes divinorum munerum memorias

rias amiſit. Talis autem feſtivitatum ſublatio non tantùm ſcandaloſa, ſed inſuper noxia, ædificationi Eccleſiæ, devotioni Chriſtianæ, & ipſi Auguſtanæ Confeſſioni, cujus tamen ſocios ſeſe profiteri volunt, contraria eſt. Sic enim habet Art. 15. *De ritibus Eccleſiaſticis docent, quòd ritus illi ſervandi ſint, qui ſine peccato ſervari poßunt, & proſunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Eccleſia, ſicut certæ feriæ, feſta & ſimilia.*

VI. Defectum cauſæ vel rationis neceſſariæ. Quam enim dabunt adverſarij, & quomodo neceſſitatem abrogationis poterunt evincere? Non Papiſticum inventum eſt conſuetudo iſta, ſed à ſanctis Patribus trahit originem. Et ſi maximè in Papatu primùm cœpiſſet, non tamen hoc ſufficeret ad antiquationem, quùm per ſe utilis ſit ritus, nihil Papiſtici vel AntiChriſtiani contineat, & aliàs multò plura, quæ ex Papatu adhuc retinentur, non ſine ſummo ſcandalo & detrimento publico abjicienda eſſent.

Præcipuum verò quod opponunt, eſt *imperfectio capitum doctrinæ, & mutilatio cohærentiæ, quæ iſtis pericopis videtur interrumpi.* Sed utrumq; parvi momenti eſt. Nam quis ignorat, præcipua fidei Chriſtianæ dogmata, ſub textibus Evangeliorum, & Epiſtolarum Dominicalium latére, qualia ſunt de Deo, de

Chriſto,

Chriſto, de ejus officio &beneficiis, de Peccato, Lege, Evangelio, Iuſtificatione, Pœnitentia, Baptiſmo, Cœna, bonis operibus, Eccleſia, libertate Chriſtiana, Miniſterio, Magiſtratu, Cõjugio, Morte, Reſurrectione, Cœlo, Inferno? Nec magni laboris eſſet, ex ſolis iſtis textibus integrum fidei compendium adornare. Quod verò cohæſionẽ attinet, impoſſibile aliâs eſt, ut ſimpliciores illam vel obſervent, vel memoriæ infigant. Deinde in continua interpretatione non minùs in certas particulas textus dividendus eſt, quùm aliquot cohærentia capita ſimul ac ſemel proponi & explicari nequeant. Poteſt inſuper connexio longè meliùs in ipſa concione oſtendi, & inculcari, quam, ſi multa rudi populo prælegantur. Et tandem, quæcunq; commoda ex continuata unius ſcripti ἐξηγήσει oriri poſſunt, iis minimè privantur noſtri auditores, ſiquidem in concionibus hebdomadariis &intermediis illum ipſum morem retinemus, & retinendum eſſe urgemus, ut integri libri Biblici, ſecundum ſeriem capitum non interrupta methodo explicentur. Sic enim prodeſſe poſſumus, & provectioribus per novorum ac cohærentium textuum interpretationem; & ſimplicioribus, per eorundem Evangeliorum inculcationem, ideoq; ſi eorum memoria tàm eſt firma, ut novas

ſemper

ſemper materias poſſit capere, ſaltem non invideant his ſubſidium repetitionis: Vtantur illi cibo ſolido pro ſe, infirmis autē, quorum potior habenda ratio, lac Evangelicum proponi, & faciliores pericopas ſæpiùs inculcari, quò tandem hæreant in ipſorum memoria, non indignè ferant, ſed murmurare deſinant, ne audire cogantur; *An oculi veſtri mali ſunt, quia nos tam boni ſumus, & omnibus omnia fieri contendimus?*

Atq; hæc paucis præfari libuit, eum in finem, ne quis Ariſtarchus mihi dicam ſcriberet, quòd textus Evangelicos juxta veterem diſtributionem repetere, ac meis etiam qualibuscunq; meditationibus illuſtrare volui: quo quidem labore abſtinere, fateor, potuiſſem, forſan & debuiſſem, niſi officij demandati ratio contrarium imperâſſet. Quia enim ad hanc ſemper illuſtrem Academiam multi ſeſe conferunt etiam peregrini Studioſi, Germanicæ linguæ ignari, in horum gratiā potiſſimum jam olim laudabiliter conſtitutum eſt, ut Evangelia Dominicalia Latino quoq; Sermone exponerentur, atq; ſic iſti ſimul in vera pietate & modo concionandi exercerentur. Quæ Sparta quùm ante aliquot annos mihi eſſet concredita, eam ad exempla anteceſſorum meritiſſimorum, pro virili, adjutus Dei Omnipotentis gratiâ, ornare

ſtudui. Et quanquam in prima Meditationum harum ſcriptione nihil minus cogitârim, quàm ut in lucem aliquando publicam prodirent, fecêre tamen quorundam continuatæ inſtantiæ, ut animum mutare, & in editionem conſentire tandem coactus fuerim. Lubens autem, & ultrò agnoſco harum explicationum imperfectionem, quia non integrum ſemper Evangelium ob temporis anguſtiam declarari potuit, ſed arbitrariè unus tantùm alterq; locus à me ſelectus & pertractatus eſt. Neq; admodum ſolicitus fui de controverſiarum admixtione, aut locorum difficiliorũ accurata & profundiori enucleatione; ſed popularem potiùs concionatorem agere, & ad pietatem bonorúmque operum ſtudium, quod proh dolor! apud multos refrixit, & continuis ſuſcitabulis eget, in auditorum animis excitandum cuncta dirigere placuit, ideoque hinc nemo aliam aut uberiorem meſſem ſibi promittat & expectet, quàm prout ſementis facta eſt. Homiliis verò ipſis textum originalem Græcum, unà cum Latina Syriacæ verſionis expoſitione, prout illa in Bibliis regiis habetur, & Germanica Lutheri paraphraſi hanc ob cauſam præmiſi, quò Lector benevolus non tantùm ipſum textum ante oculos ſemper habere, ſed etiam cum verſionibus, ſi quod

dubium

dubium incideret, eò melius conferre & molestâ plurium librorum inspectione supersedere posset.

Vobis autem, *Viri Magnifici & Nobilißimi, Patroni æternùm colendi*, meditatiunculas hasce offerre & consecrare junctim volui, nō modò, quoniam arctissimo paternitatis & filiationis vinculo invicem, sed insuper tenaci magni favoris glutine erga me immerentem copulati estis. Expertus eum abundè sum per indicia minimè obscura, ut hinc me debitorem fatear, publicum aliquod observantiæ & gratitudinis meæ monumentum, qualecunque sit etiam, statuendi.

Accedit singularis vestra pietas & Zelus erga puriorem religionem, quam Lutheranam dicunt, non fucatus, ut in spem erigar certissimam, non ingratum fore vobis hoc opusculum, vel solo pietatis, quam urget, nomine, licèt curta doctrinæ suppellex in illo reposita inveniatur. Si enim in natura gaudent similibus similia: Cur vobis Pietatis cultoribus & Patribus inacceptam fore suspicer hanc pietatis sobolem, quam ejusdem apud multos sub vestro Patrocinio matrē fieri devotè apprecor? Lutherus noster, ut solet omnia, pulcherrimè scribit in προσφωνήσει ad Studiosos, quùm Psalterii prælectiones inchoaturus esset Tom. 2. Lat. *Ego hoc video,*

non

non esse Theologum, qui magna sciat, & multa doceat, sed qui Sanctè & Theologicè vivat: A qua vita quò sum alienior, eò magis mihi displicet mea professio. Quod autem ille de Theologis, id non incommodè videtur dici posse de quibusvis eminere cupientibus. Verè mihi nemo in quocunque vitæ genere magnus est, nisi cui magna Pietas. Quisquis igitur es, & ubicunque es, Pius esto, & magnus eris, imò maximus. Estis vos, *Patroni optimi*, & sicut antiqua prosapia magnos, officij splendor, majores; sic illibata Pietas vos effecit Maximos. In hujus gratiam, quùm ego ipse ullam vel habere, vel mereri vix possim, serenâ fronte suscipere hunc libellum, veluti testem gratitudinis debitæq; observantiæ publicum, & illum non ex pondere, sed argumento, quod tractat, & affectu, quo inscribitur, judicate, mihíq; favoris & patrocinij vestri auram porrò aspirate benignissimè. Ita in Domino valete, & rem benè gerite! Dabantur VVitteberg. Dominicâ *Victricis fidei*, vulgò *Reminiscere*, Anno χριστογονίας M. DC. XIX.

Nobiliss. Magnif. VV.

Submissè colens

Balth. Meisnerus D.

EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA PRIMA ADVENTUS,

Matth. 21. à verſ. 1. uſque ad 10. Marc. 11. v. 1. Luc. 19. verſ. 29. Ioh. 12. v. 12.

De Chriſti ingreſſu Hieroſolymitano.

V. 1. ΚΑὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, τότε ὁ Ἰησοῦς ἀπέστειλε δύο μαθητάς.

2. Λέγων αὐτοῖς, πορεύθητε εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς. λύσαντες, ἀγάγετέ μοι.

3. Καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τὶ, ἐρεῖτε ὅτε ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει. εὐγέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς.

ET quum appropinquaſſet Ouriſchlem, veniſſetque Bethphoge juxta verticem montis olivarum, miſit Jeſchua duos ex diſcipulis ſuis.

Et dixit eis, Ite in vicum iſtũ, qui vobis eſt è regione, & ſtatim invenietis aſinam vinctam, & pullum cum eâ: ſolvite, adducite mihi.

Et ſi quis dixerit vobis quippiam, dicite ei, quia Domino noſtro requirũtur, & confeſtim huc dimittet eos.

DA ſie nun nahe bey Jeruſalem kamen / gen Bethphage an den Oelberg / ſandte JEſus ſeiner Jünger zween.

Vnd ſprach zu jhnen/ gehet hin in den Flecken/ der für euch ligt/ vnd bald werdet jhr ein Eſelin findẽ angebunden/ vnd ein Füllen bey jhr. Löſet ſie auff/ vnd führet ſie zu mir.

Vnd ſo euch jemand etwas wird ſagen/ ſo ſprecht/ der HErr bedarff jhr/ ſo bald wird er ſie euch laſſen.

4. Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος.	Hoc autem totum factum est, ut impleretur id ꝙ dictum est per Prophetam dicentem.	Das geschach aber alles / auff das erfůllet wůrde/ das gesagt ist durch dē Propheten/ der da spricht.
5. εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιὼν, ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πρᾳὸς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου.	Dicite filiæ Tzehioun, Ecce Rex tuus venit tibi humilis, & insidens asinæ & pullo filio Asinæ.	Saget der Tochter Zion / Sihe/ dein König kom̃et zu dir sanfftmůtig/ vñ reit auff einem Esel/vnd auff einē Fůllen der Lastbahren Eselin.
6. πορευθέντες δὲ οἱ μαθηταὶ, καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς.	Profecti sunt itaque discipuli, feceruntq; sicut præceperat eis Jeschua.	Die Jünger giengen hin vnd thetē/ wie jhnen JEsus befohlen hatte.
7. ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν.	Et adduxerunt asinam, & pullum & imposuerūt pullo vestimenta sua, & equitavit super eum Jeschua.	Vnd brachten die Eselin / vnnd das Fůllen/ vnd legten jre Kleider drauff/ vnnd satzten jhn drauff.
8. ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐν τῇ ὁδῷ· ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.	Plurimæ autem turbæ sternebant pallia sua in via: alii verò cædebant ramos ex arboribus, & projiciebāt in via.	Aber viel volcks breitet die Kleider auff den Weg: Die andern hiebē zweige von dē båwmē/ vnnd streweten sie auff den Weg.
9. Οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες, καὶ οἱ	Cæterum turbæ illæ quæ præcede-	Das Volck aber/ das vorgieng vnd

ἀκολου-

ἀκολουθοῦντες, ἔκραζον λέγοντες, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

bant eum, quæque eum sequebantur, clamabāt dicētes: Ouschano filio David, benedictus ille, qui venit in nomine Domini: Ouschano in excelsis.

nachfolgete/ schrey vñ sprach: Hosianna dem Sohn David/ gelobet sey der da kommet in dem Namen deß HErren/ Hosianna in der Höhe.

Homilia.



Ora jam est, *Charißimi fratres*, hora, inquam, est, nos de somno surgere, *Rom. 13. v. 11.* Nam ecce! Iterum concludit annum sancta mater Ecclesia: quis non gaudeat? Christus Servator advenit: quis dormiat? Adventante Rege, parati sunt subditi, & exspectant cum gaudio. Regum Rex hodiè approperat: Venite ergò, & eamus ipsi in occursum. Dedecus sit, somno indulgere, & tantam gratiam negligere. Surgendū est, *quia* Christus advenit: surgendum, *quia* mater Ecclesia novum annum incipit. Hujus autem sive resurrectionis, sive obviationis mysticæ *quinque* passus constituo, quibus peractis arctissimè cum Christo adveniente copulabimur.

Surgendū est & obviandum Christo.

Fit illud.

1. *Examen vitæ.* Nam in anni clausula, quid & quomodo egerimus, recordari debemus. *Tria* sunt, quæ in actibus cunctis respicias, ô homo. 1. *Deum.* 2. *Proximum.* 3. *Teipsum.* Erga Deum εὐσεβῶς vel piè, erga proximum δικαίως vel justè, erga nos ipsos σωφρόνως vel sobriè vivamus, Tit. 2. v. 3. Examen institue, & videbis, quàm sæpè læseris Deum ἀσεβείᾳ, proximum ἀδικίᾳ, teipsum ἀκρατείᾳ. Porrò tria tibi præcipuè mēbra divinitùs

1. Per examen vitæ.

concessa sunt, *1. Cor* ad diligendum, *2. Linguà* ad laudandum, *3. Manus* ad benè operandum. Examen institue, & cognosces, cor à Deo fuisse aversum, linguam maledixisse, & manus impia perpetrâsse. *Lex* insuper tibi data est, ut eligeres bonum & reprobares malū. Examen institue, & comperies, legem à te sæpiùs violatam esse, partim cōmittendo mala, partim omittendo bona, adeò ut quilibet fateri necesse habeat cum Davide: *Ah peccavi Domino*, 2. Sam. 12. v. 13. & cum Daniele: *Domine Deus magne, peccavimus, iniquitatem fecimus, & rebelles fuimus*, cap. 9. v 5.

2. Per deprecationem culpæ

2. *Deprecatio culpæ.* Non enim desperandum est in peccatis, sed postquam agnovimus, deprecari debemus. Mitis enim est Deus: *Si tu agnoscis, Deus ignoscit*, juxta Augustinum. Tibi & in tuum usum Christus advenit. Agnus est peccata mundi tollens, *Ioh. 1. v. 29.* Exulta igitur cùm filia Jerusâlem hoc die festo: jubila cum filia Sion, & merito Salvatoris te erige. Si enim propitiatio est pro peccatis totius mundi, 1. Johan. 2. v. 2. utique & tibi propitius erit misericors Dominus. Magna igitur sint peccata tua, quæ commisisti hoc anno; major tamen est Dei misericordia, & Christi justitia, quæ imputatur omni credenti.

3. Per studium novæ obedientiæ.

3. *Studium novæ Obedientiæ.* Non sufficit de fide ac venia gloriari, sed oportet eam factis ostendere, *Iac 2 v. 14.* Si peccata hujus anni dimissa sunt, incipiamus in novitate vitæ ambulare. Ideò enim illuxit gratia Dei, ut abnegemus impietatem & secularia desideria, *Tit. 2. v. 11. 12.* Cùm Lazarus resuscitaretur, solvenda & deponenda erant linteamina, quibus tenebatur implicatus, *Ioh. 11. v. 44.*

Quare

Quare & nos, si è peccati tumulo surreximus per pœnitentiam, abjiciamus linteamina hujus seculi, ne curis temporalibus implicati, à salutari Christi adventantis visione excludamur.

4. *Gratiarum actio.* Quantumvis peccata multa commiserimus hoc anno, magna tamen fecit nobis, qui potens est, Luc. 1. vers. 49. Annunciari jussit verbum suum in Ecclesia, pacem dedit in politia, benedictionem in œconomia. Coronavit annum benignitate; *Psalm. 65. v. 12.* & mandavit Angelis suis ut nos custodierint, *Ps. 91. v. 11.* Quis nō exclamet cum Jacobo ex Gen. 32. v. 10. *Minor sum Domine cunctis miserationibus tuis?* Benedictus ergo sit *Deus Pater*, qui nos plasma suum conservavit, & devictu amictuq; liberaliter prospexit. Benedictus sit *Deus Filius*, qui ad nos per incarnationem, in nos per prædicationem venit. Benedictus sit *Deus Spiritus S.* qui mentes nostras illuminavit, & peccatorum veniam suis donis obsignavit. Hosianna dicimus Patri mittenti, Hosianna Filio venienti, Hosianna Spiritui sancto confirmanti: Hosianna gloriosæ, & individuæ Trinitati, quæ regnat in altissimis, ex hoc nunc & usq; in perpetuum. *4. Per gratiarum actionem.*

5. *Fidelis precatio.* Quia enim novum ordimur annum cum Ecclesia, ad preces confugiendum est, ut feliciter procedat. Quot enim quæso mala cervicib. nostris imminere videntur? In Choro hæreses, in foro seditiones, in toro lites audiuntur. Mundus fremit, Satanas rugit, quis nō timeat? De⁹ ipse evaginato gladio adstare videtur, ut bello, peste, fame consumamur. Ubi est fides Orthodoxa? Vix inveniri datur. Ubi est intemerata caritas? refrixit; Ubi est candor? ubi zelus & pietatis fervor? *5. Per fidelem præcationem.*

 Extin-

Extincta sunt, proh dolor, ut cum Polycarpo ingeminare liceat: *Ah Domine, in quæ nos reservasti tempora?* Sed confidite: Christus: servator advenit qui dixit; Ego vici, *Ioh.16.v.ult.* Ad illum confugiamus, & tuti erimus. Preces sunt arma Ecclesiæ: Preces effundite, & hic quoq; annus transigetur feliciter. Quocirca *ô benigne Pater*, attolle faciem tuam super nos, & miserere nostri. Visita vineã tuã, & corona sequẽtem annum. Ne projicias nos in tempore senectutis, & usq; in canitiem. O Deus ne derelinquas nos orphanos. Largire pacẽ externam in politia, & internam in conscientia, ut adipiscamur æternam in cœlesti curia. *Iesu Christe* veni in nos, qui venisti propter nos, ut laudetur nomen tuum per nos. O Domine salvos nos fac. O Domine benè prosperare, Amen.

Hi sunt, *Charissimi*, quinq; illi passus, quibus è somno peccati surgimus, & quos sub initium Adventus Domini conficere debemus. Nunc igitur istis peractis, ad explicationem præsentis Evangelii descendimus, in quo habetur descriptio Adventus Domini Jerusalem ingredientis. Consideratur iste Adventus dupliciter: 1. *Respectu Incarnationis*, quatenus ingreditur ut verus homo, quam naturam in plenitudine temporis assumsit. 2. *Respectu passionis*, quatenus ingreditur ut agnus Dei, suscipiens peccata mundi, & ad patiendum pro iis sese offerens. *Hoc* posterius ad Dominicã Palmarũ, *istud* prius ad præsentem pertinet. Christus enim nobis proponitur hodiè ut Filius Dei, qui in carnẽ venit ad homines, & in illa inter homines ambulavit, vectus asino, & ingressus Hierosolymam. Quia verò ille Adventus Carnis sumatim descriptus est in vaticinio

Adventus Christi cõsideratur dupliciter.

ticinio tum Esaiæ, ex c.62. v.11. tum Zachariæ, ex c.9.v.9.quod utrumq; junctim citatur in hodierno Evangelio, v.5. brevẽ illorũ ἐξήγησιν subjiciemus, eamq; tribus membris includemus, acturi

1. De *Adventus nuncio*, ex verbo Esaiæ; Dicite. *Propositio.*

2. De *piorum gaudio*, ex verbis Zachariæ: Exulta filia Sion.

3. De *Adventus modo*, ex verbis ejusdem, Ecce Rex venit tibi &c.

Adveniat autem suaq; gratiâ nos impleat Christus Iesus, ut ipsi accepta, nobis salutaria dicantur, Amen.

PARS I.

De Adventus nuncio.

MAtthæus noster, vaticinium Propheticum citans, orditur ab Imperativo, *Dicite.* Non enim narraturus est consilium quoddam Principis, quod silentium; sed opus Dei, quod præconium requirit, *Tob.12.v.7.* Hac ipsâ verò acclamatione sui officii admonet

1. *Pastores.* Hos esse convenit *os* Domini, prædicando, *oculos* Ecclesiæ, vigilando. Non sint canes muti, *Esa.56.v.10.* sed vox clamantis. *cap.40 v.3.* exaltata instar tubæ, *c.58.v.1.* Dicendum est hodiè, non tacendum. Apostolus inquit 1.Cor.9.v.16 *Væ mihi, si non Evangelizavero.* Væ sit & illis, qui Evangeliũ Dei non annunciant. Cùm fugientes Syri opimam prædam reliquissent, eamque leprosi quidam vidissent, *Hæc*, inquiunt, *dies boni nuncii est, si tacuerimus, & noluerimus nunciare, sceleris arguemur*, 2.Reg.7.v.9. Est & hæc Adventus dies, boni nuncii dies. Dicite ergò, nec silẽtio tãtũ opus involvite. *Ibi* Samaria obsessa erat; *hîc* totũ genus huma- *Officium Pastorum.*

num à Satana captivum tenebatur. *Ibi* fames corporea, *hîc* peccatum animas affligebat. *Ibi* salus temporalis, *hîc* spiritualis acquisita est. Si illa ergò dies boni nuncii fuit, quantò magis hodierna? si ibi nō tacendum fuit, quantò minus hodie?

Officia auditorum. II. *Auditores.* Si dicendum est, ergò & audiendum. Nam dicere & audire correlata sunt; Ideò enim dicitur, ut audiatur. Quare in Prophetæ imperativo, *dicite*, simul latet præceptum alterum, *Audite.*

1. Securi pœniteant Audite igitur 1 *Vos securi & impœnitentes.* Christus advenit, & vos in peccato manebitis? Ecce! tui causâ descendit, tua scelera ipsum cœlo detraxerunt. Tantam ergò gratiam tu negliges? tantùm beneficium spernes? Regina Sabæ longinquum iter ad audiendam Salomonis sapientiam suscipiebat, *1. Reg. 10. v. 1.* Ecce, hîc plus est quàm Salomon: Hîc filius Dei, hîc Sapientia Patris, in Evangelio loquens, audiri potest; Et aures tu occludes! Antiquorum vota & suspiria perpende, quoties clamaverunt, Ps. 14. v. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Esa. 45. v. 8. *Rorate cœli*, c. 64. v. 1. *Vtinā disrumperes cœlos!* Si illi tanto desiderio Christum expectârunt, quantum dedecus est, in Adventu Christi dormire, & præconium adventus audire nolle? *Bernhardus* piè inquit: *Ardorem desiderii Patrum cogitans, cō-fundor & pungor in meipso, & nunc vix contineo lacrymas. Ita pudet teporis corporisq; miserabilium temporum horum. Cui namq; nostrum tantum ingerit gaudium hoc munus gratiæ exhibitæ, quātum accenderat veteribus sanctis desiderium sola promißio? Illis dicebatur: Salvator vester adveniet: Nobis autē, Ecce jam venit.* Vel tandem ergò surgite, qui dor-

mitis;

mitis; Accurrite, & ad invicem dicite, ex Esa. 2. v. 3. *Venite & ascendamus ad montem Domini.* Dicite cum Davide ex Psal. 122. v. 1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

2. Audite *vos timidi & pusillanimes.* Si peccatorum sarcina vos premit, Christus adest, qui abstulit, Johan. 1. v. 20. Si mundus decipere tentat, Christus adest, qui vicit, Joh. 16. v. ult. Si diabolus interficere cogitat, Christus adest, qui opera ejus dissolvit, 1. Joh. 3. v. 8. Cùm Dei vocem post lapsum audiret Adam, fugiebat protinùs, Gen. 3. v. 8. sed placata nunc est ira ipsius: clementer nos alloquitur, & cum lætitia audire possumus: *Noli fugere ô Adam, quia nobiscum Deus. Ne timeas ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus: nobiscum carnis similitudine, nobiscum utilitate*, ut ait Bernh. Serm. 2. de Adv. Domini. *Respirate perditi, venit Iesus quærere & salvum facere quod perierat. Morbidi convalescite, venit Christus qui contritos sanat unctione misericordiæ suæ.* Idem Sermon. 1. in Vigil. Nat. Sic ergò videmus, quomodo prima vaticinij nostri vox omnes sui muneris admoneat, *Pastores*, ut dicant: *oves* ut audiant, securæ pœnitendo, timidæ confidendo, omnes ad Christum venientem confugiendo. *2. Timidi confidant.*

PARS II.

De piorum gaudio.

SIc comparatum est nobiscum, ut læta lubentiùs audiamus, quàm tristia. Ut ergò ad dicendum pastores, ad audiendum oves reddantur alacriores, gaudendum esse Propheta intimat. *Exulta*, inquit, *filia Sion, & jubila filia Ieru-*

salem. Innuit hoc pacto præcipuum Legis & Evangelij discrimen. Lex dabatur cum tremore, Exod. 19. Sed Evangelium nunciatur cum gaudio. Lex deprimit, hoc erigit: Illa tristari, hoc lætari facit. Est enim scientia salutis, Luc. 1. vers. 77. verbum vitæ, Iohan. 6. vers. 68. Evangelium pacis, *Ephes. 6. v. 15,* ministerium reconciliationis, *2. Corinth. 5. v. 18.* bonus odor, *2. Cor. 15. vers. 15.* & fons aquæ salientis in vitam æternam, *Iohan. 4. v. 14.* O quàm pulcri sunt pedes Evangelizantium & prædicantium pacem! Esa. 52. v. 7. Gaudete ergò & jubilate simul deserta Jerusalem quia consolatus est Christus populum suum, vers. 9. Lętandum est in Adventu Domini, sicut qui lætantur in messe, Esa. 9. v. 3. Quantum erat Jacobi gaudium, quum bonum de Josephi vita nuncium audiret? *Sufficit*, inquit Genes. 45. v. ult. *quòd filius meus vivit, vadam & videbo illum.* Gaudeamus nos potiùs, quia cœlestis Josephus bona nobis verba nunciari facit. Joseph erat Dominus in Ægypto, Christus dominatur de mari ad mare, Psalm. 72. vers. 8. Joseph vocabat ad se patrem, Christus ipse ad nos venit. Joseph suis promittebat frumentum, ne morerentur fame; Christus affert ipsam justitiam, ne pereamus in inferno. Exultate igitur & dicite cum Jacobo: *Sufficit, quòd Redemtor meus vivit: sufficit, quòd salus mea appropinquat. Vadam ad ipsum per pœnitentiam, & videbo ipsum per fidem.*

Discrimen Legis & Evangelij.

Duo montes celebres.

Duo verò hîc notanda sunt 1. *Quibus hoc gaudium conveniat?* Non nisi filiæ Sion & Jerusalem. Duo sunt montes celebres 1. *Sinai*, ubi lex data. 2. *Sion*, unde Evangelium exiit, Esa. 2. vers. 3. Sio-

nis

nis filij esse debemus, si de gaudio per Christi adventum orto participare volumus. Monemur autem 1. *Vt deseramus terrestria.* Sion mons elevatus erat, in quo arx David posita, typus cœlestis palatij. Linquamus ergò terrena, & elevamur ad suprema, ubi Christus est, Davidis filius & Dominus, Coloss. 3. vers. 1. In monte salvum te fac, dicebant angeli Lotho, Genes. 19. vers. 17. Et tibi mons cœli ascendendus est, ut salvus fias, & æternùm gaudeas. *Ascendamus interim corde, ut olim sequamur & corpore,* inquit Augustin. Serm. 175. de Temp. 2. *Vt sequamur Ecclesiam.* Hujus enim typus fuit Sion & Jerusalem. Filij ergò Sionis sumus, si Ecclesiam matrem habemus. Naturâ quidem nascimur iræ filij, Ephes. 2. vers. 3. sed regeneramur per verbum Dei vivi, 1. Petr. 1. vers. 23. quod prædicatur in Ecclesia, cœlesti Hierosolyma, quæ Christianorum mater dicitur, Galat. 4. vers. 26. per cujus ubera nutrimur, Es. 66. vers. 11. Huic igitur nos associemus, si filij Sion esse & gaudere volumus. *Non enim habiturus est DEVM Patrem in cœlis, qui non habet Ecclesiam matrem in terris,* Augustin. lib. 4. de Symb. cap. 10. 3. *Ne spem ponamus in operibus.* Non Sinæ, sed Sionis filiis annunciatur gaudium. Mons Legis deseratur, & ad montem Evangelij accedatur. Moses è Sinâ terret; Christus è Sione salvat. Hujus nomen arx & turris est fortissima. Ad illum curramus, & exaltabimur, Proverb. 18. vers. 10. Quos autem mons Sinæ continet, hoc est, qui spem in operibus ponunt, vocem Domini sustinere non poterunt, ut Israëlitæ, Exod. 20. vers. 19. nec venient in cœlestem Canaan, quippe in quam

Mons Sion quæ revocet in memoriam?

quam introduxit non Moſes, ſed Joſua, Chriſti typus.

Duplex gaudium.

II. *Quale gaudium eſſe debeat?* Reſp. In Domino Immanuele noſtro, *Pſal. 37. v. 1. Phil. 4. v. 4.* Nam duplex gaudium datur, *Mundi* & *Eccleſiæ*; *Carnis* & *Spiritus*. Filij hujus mundi lætantur heluando, bacchando, ſuperbiendo. Sed gaudium iſtud *non* eſt *verum*, quia oritur ex bonis fragilibus & terreſtribus, *Iohan. 2. v. 16.* Non eſt *merum*, quia dolore miſcetur, *Prov. 14. v. 13.* non eſt *diuturnum*, quia impij citò abripiuntur, & æternùm puniuntur. Nam juxta Auguſt. *Mundi lætitia eſt impunita nequitia.* Filij autem Sionis lætantur in Domino, quod gaudium conſiſtit *tùm* in agnitione Dei, ſummi boni, ex verbo hauſta, *Pſalm. 112. v. 1. tum* in tranquillitate conſcientiæ, de qua *Rom. 5. v. 1. tùm* in δοξολογίᾳ perpetua, quâ celebramus Chriſti advenientis beneficia. Et hoc gaudium eſt *verum*, quia oritur à Spiritu Sancto *ſincerum*, quia fit ſine peccato: *æternum*, quia continuabitur & perficietur in cælo. Gaudeamus igitur in Chriſto, nec audiamus AntiChriſtum, qui hoc tempore hymnum, TE DEUM LAUDAMUS & ſimiles, *Durando* teſte, abrogavit. Rex David, cujus arx erat in Sion, quàm exultabat, quùm arcam Domini introduceret? *2. Sam. 6. verſ. 15.* Non arca, ſed Dominus ipſe advenit: Non extra te ponitur, ſed cor tuum ingreditur. Exulta igitur cum filia Sion, & jubila, conſcientiam purgando, Chriſtum recipiendo, & ejus beneficia prædicando. Fiat hîc gaudij initium, ut ſequatur illic æteruum complementum.

PARS

PARS III.

De Adventu modo.

EXultationis causam narraturus Propheta, admirationis & attentionis notam præmittit, *Ecce venit*, non secus ac Dominus ipse ait, Psalm. 40. v. 8. *Ecce venio!* Si princeps ingressurus moratur, expectantes defatigantur, & segniùs assistunt. Quòd si nuncius clamet, *Ecce jam venit princeps*, mox omnes occurrunt, & cum gaudio illum excipiunt. Sic Propheta Ecclesiam per multa secula expectantem; & nonnihil torpentem quasi acclamat: *Ecce venit, ecce jam ingreditur Siloh*, Gen. 49. v. 10. jam oritur stella Jacob, *Num. 14. v. 17.* nunc illucescit Sol justitiæ, *Mal. 4. v. 2.* Accurrite, ecce venit. Excipite, quid moramini? Exultate, cur statis otiosi & tristes? Post hanc verò Ecclesiæ provocationem mox adventantem Dominum, & adventus modum describit. Sunt autem 4. istius descriptionis membra, quæ nos simul admonent, ut Christum advenientem reverenter suscipiamus.

I. Ob majestatem, Quia venit, *ut Rex*. Subditis dispersis quùm Rex præficitur, omnis populus lætatur, *1. Sam. 10. v. 24. 1. Reg. 1. v. 39. 40. 2. Par. 23. v. 11. 13. 21.* Nos dispersi fuimus, & quasi oves erravimus, *Esa. 53. v. 6.* Ecce verò jam Rex de cœlo advenit, quis non exultet? Rex autem est non unius regionis, sed cœli & terræ, imò Rex Regum, *1. Tim. 6. v. 16. Apoc. 17. v. 14. c. 19. v. 16.* cujus regnum omnia imperia superat 1. amplitudine. 2. Potestate. 3. Opibus. 4. Legibus. 5. Privilegiis. 6. Administratione, & 7. duratione. Regnum ve- *Christus adveniens est Rex.*

rò

rò habet tergeminum 1. *Potentiæ* in mundo, quem ſapienter gubernat, & potenter conſervat. 2. *Gratiæ* in Eccleſia; quam verbo colligit, Baptiſmo purgat, in cœna paſcit, per fidem juſtificat, per crucem probat, in perſecutionibus conſervat, & æternùm glorificat. Hoc regnum non eſt de mundo, Joh. 18. v. 36. & hujus præcipuè reſpectu *Rex* à Propheta nominatur. 3. *Gloriæ* in Cœlo, ubi beati vident ipſum de facie, & laudant ſine fine; ubi eſt Eccleſia triumphans, cui adjungemur, ſi in militante bonum certamen certavimus, 2. Timoth. 4. v. 7.

Noſter. *II. Ob proprietatem.* Quia venit, *ut noſter.* Ecce! *Rex tuus venit tibi.* Magna quidem ejus eſt Majeſtas & infinita poteſtas, ſed nolite timere: Rex veſter eſt, & veſtri causâ è cœlo deſcendit. Filij Jacobi quùm fratrem Joſephum agnoſcerent, & ejus potentiam viderent, terrebantur; quippè conſcij ſceleris & infirmitatis ſuæ: ſed erigebat ipſos Joſeph, dicendo: *Nolite timere, prò ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos*, Gen. 45. verſ. 5. Sic quùm majeſtatem fratris noſtri, cœleſtis Joſephi cogitantes timemus, noſtrum eſſe, & pro ſalute noſtra miſſum reputemus. Adſtat nobis & quaſi acclamat, *Nolite timere.* Nobis enim datus eſt parvulus, *Eſa. 9. v. 6.* Noſter ergò quùm ſit, quis non reverenter ipſum ſuſcipiat? Noſter autem eſt, 1. Ob *Incarnationem*, quia carnem noſtram aſſumſit. Unde Bernh. Puto, quòd Chriſtus non poterit me deſpicere, os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ. 2. Ob *Redemptionem*, quia nos ab ira Dei, Legis maledictione, morte, diabolo, inferno redemit. 3. Ob *Inſtructionem.*

Omnis

Omnis enim Christi actio est nostra institutio. Imitemur ergò illam in virtutibus, tanquam Regem nostrum, exemplo prælucentem. Ipse ait Johan. 13. v. 15. *Exemplum vobis dedi.* 4. Ob *glorificationem.* Qui enim ipsi tanquam regi suo fideliter adhærent, illos in die Pantocritico exaltabit, & æternùm glorificabit.

III. Ob Adventus utilitatem, quò tria spectant. Venit enim, 1. JUSTUS, non tantùm ob justitiam inhærentem, *Esa.53. vers. 9.* sed inprimis ob justitiam nostram, quam acquisivit, Legi satisfaciendo, & acquisitam applicat, peccata remittendo. Factus enim est nobis justitia, *1. Cor. 1. v. 30.* ut multos justificet, *Esa. 53. v 11.* ideoq; Jehova justitia nostra vocatur, *Ier. 23. v. 6 cap. 33. v. 14.* Venit 2. SALVATOR, ideoque Jesus dicitur *Matth. 1. v. 21.* hinc divinitas ejus evincitur. Solius enim Dei est salvare, *Esa. 35 v. 4.* Dum autem ut Salvator venit, simul venit, ut vita ad vivificandum, *Ioh 6. v 51. cap. 10 v. 10.* ut lux ad illuminandum, *Esa. 9. v. 1. Iohan. 1. v. 5.* ut Medicus ad sanandum, *Exod. 15. v. 26 Esa. 35. v. 5* ut gigas ad pugnandum, *Luc. 11. v. 21. Col. 1. v. 13.* ut pastor ad pascendum, *Ps. 23. v 2. Ioh. 10 v. 11.* ut doctor ad informandum, *Esa. 50. v. 4. Ioh 1. v. 18.* ut sponsus ad amandum & defendendũ, *Ier. 3. v. 14. Ose. 2. v. 19. &c.* Venit 3. MANSUETUS. Non enim fulmina emittit, non cũ tonitru, vel fragore, ut Deus in mõte Sinai, apparet. Non equo feroci, sed asinæ miti insidet. Non præferuntur hastæ, belli signa; sed palmarum & olearum frondes, pacis Symbola. Non turbulentus incedit, *Esa. 42. v. 3.* sed mitis, *Matt. 11. v. 29.* Venite ergò ad tàm mansuetũ Dominum,

Iustus.

Et Salvator.

Mansuetus.

num,ut requiem inveniatis animabus vestris. Rehabeam terrebat subditos, & defecerunt, *1. Reg. 12. v. 14. 16.* hic suaviter alloquitur, ut cum voluptate serviant.

Pauper. Tandem IV. *Ob spontaneam paupertatem.* Nam ingreditur *pauper, vectus super asinam & super pullum filium asinæ.* O rem admirandam! Cœli rex, omnia habens, pauper fit, ferè nihil habens! *Matth. 8. v. 20.* Pauper nimirum fit, non potestatem amittendo, sed usum ejus intermittendo. Sponte enim semetipsum exinanivit, *Phil. 2. v. 2.* Et hoc nostri causâ, tum ut per paupertatem ejus ditaremur, *2. Corinth. 8. vers. 9.* tum ut humilitatem ejus imitaremur, *Philip. 2. vers. 1. seqq.* Hinc Ecclesia canit: Erist auf Erden kommen arm/ &c. Item: Das hat er alles uns gethan / &c. Erubescant igitur omnes impœnitentes, qui tantam gratiam negligunt. Erubescant superbi, qui sub capite tam humili cristas erigunt. Nos autem Regi nostro procedamus obviam, præferentes olivas misericordiæ, & palmas victoriæ, celebrantes Dominum, & canentes: *Hosianna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosianna in Altißimis.*



EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Luc. 21. v. 25. Matth. 24. v 29. Marc. 13. v. 24.

De extremo judicio.

V. 25. Καὶ ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου.

ET erunt ſigna in Sole & Luna, & ſideribus, & in terrâ anguſtia gentium; & comploſio manuum præ ſtupore ſonitus maris:

Vnd es werden Zeichen geſchehen an der Soñen vnnd Mond vnnd Sternen/vnd auff Erden wird dë Leuten bang ſeyn/vnd werden zagen/vnd das Meer vnnd die Waſſerwogen werden brauſen/

26. ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ. αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται.

Et commotio quæ ejiciet animas hominum præ timore ejus quod invaſurum eſt terram: & commovebuntur virtutes cœlorum.

Vnd die Menſchen werden verſchmachten / für Furcht / vnnd für warten der Dinge/ die kommen ſollen auff Erden. Denn auch der Himmel Kräffte ſich bewegen werden.

27. καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρ-

Et tunc videbunt filium hominis ve-

Vnd als denn werden ſie ſehẽ deß Menſchen Sohn

χόμενον ἐν νεφέλῃ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς.	nientem in nubibus cum virtute multâ magnáque gloriâ.	kommen in den Wolcken mit grosser Krafft vñ Herrligkeit.
28. ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀποκύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν.	Quùm autem hæc incipient fieri, bono animo estote, & attollite capita vestra, quoniã appropinquat redemtio vestra.	Wenn aber dieses anfehet zu geschehen / so sehet auff/ vñ hebet ewre Häupter auff/ darumb das sich ewer Erlösung nahet.
29. καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς, ἴδετε τὴν συκῆν καὶ πάντα τὰ δένδρα.	Porrò dicebat eis parabolam: Videte ficum & omnes arbores.	Vnd er saget jhnen ein Gleichniß: Sehet an den Feigenbaum/ vnd alle Bäume/
30. ὅταν προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ᾽ ἑαυτῶν γινώσκετε ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν.	Quæ quùm pullulaverint, statim ex eis intelligitis propè esse æstatem.	Wenn sie jetzt außschlagen/ so sehet jhrs an jhnen/ vnnd mercket/ das jetzt der Sommer nahe ist.
31. οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.	Ita & vos quùm videritis hæc fieri, scitote propè esse regnum Dei.	Also auch jhr/ wenn jhr diß alles sehet angehen / so wisset/ daß dz Reich Gottes nahe ist.
32. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται.	Amen dico vobis, haudquaquam præterierit generatio ista, quousq; hæc omnia fiant.	Warlich ich sage euch/ diß geschlecht wird nicht vergehen / biß das es alles geschehe.
33. Ὁ οὐρανὸς καὶ	Cœlum & terra	Himmel vnd Er-

ἡ γῆ

ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

34. προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ αἰφνίδιος ἐφ᾽ ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη,

35. Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς.

36. ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

transibunt, verba autem mea minimè transibunt.

Cavete autem vobis ipsis ne quando gravetur corda vestra crapula, & ebrietate, & solicitudine seculi, & repentè vobis superveniat dies ille.

Nam instar laquei illaqueabit eos omnes, qui habitant in superficie universæ terræ.

Vigilate igitur omni tempore, & orate, ut digni habeamini, qui effugiatis hæc quæ futura sunt, & consistatis coram Filio hominis.

den vergehen/ aber meine Wort vergehen nicht.

Aber hütet euch/ das ewer Hertzen nit beschweret werden/ mit Fressen vñ Sauffen/ vnd mit sorgē der Narung/ vnd komme dieser Tag schnell vber euch/

Denn wie ein Fallstrick wird er kommen/ vber alle die auff Erden wonen.

So seid nun wacker allezeit/ vnd betet/ das jhr würdig werden möget/ zu entfliehen disem allen/ vnd zu stehen für deß Menschen Sohn.

Homilia.



Duo sunt vitia cordis humani præcipua: unum *pusillanimitas*, alterum *securitas*, Jerem. 17. v. 9. *Vtrumque* Ecclesia Domini amovere studet, *illud* per consolationem, *istud* per terrorem. Ut enim pia mater, sic Ecclesia,

Duo vitia cordis humani.

filios suos, partim amore, partim timore ad officium faciendum excitat. Nunc enim blanditur, nunc minatur, ut pœnæ metus eum commoveat, qui amica monita nil curat. Quædam arbor leniter tractari debet, ut oliva; quædam duriùs, ut nux, cujus fructus perticâ excutiuntur, ut sequenti anno melius fructificet: Ita quidam corriguntur blandimentis; quidam minis; alij lubenter, alij difficulter obediunt. Petrus ad solum Christi verbum omnia reliquit, *Matth. 4. vers. 18.* Sed Paulus per lucem & vocem terrificam conversus est, *Actor. 9. vers. 4. 5.* Ob hanc ergò diversam indolem duplex sermo adhiberi debet, *tum* blandus, ut erigantur pusillanimes: *tum* acris, ut corripiantur securi. Si mitis *Ioel* nihil efficit, severus *Amos* prædicet. Ut hi Prophetæ sequuntur in Canone Biblico, sic mutuas operas tradant in praxi quotidiana. Christus gregem suum duobus baculis regit, *Zach. 11. v. 7.* Prior vocatur נֹעַם vel amœnus: posterior חֹבְלִים vel durus, & dolorosus, *Illo* tangendi sunt timidi, ut confidant: hoc percutiendi sunt securi, ut pœniteant.

Hinc duplex methodus docendi.

Atque hanc ipsam docendi methodum observat Ecclesia primis duabus anni Ecclesiastici Dominicis. Ante *octiduum* solabatur pusillanimes, prædicando gaudium: *Hodiè* terret præfactos, intimando judicium. *Ibi* audivimus de læto Christi Adventu in carnem; *hodiè* audimus de tremendo ipsius reditu in nubibus. *Ibi* venit propter homines, ut salvet; *hîc* veniet contra homines, ut judicet. Ante *octiduum* amovere voluit Ecclesia timiditatem, *hodiè* securitatem. *Ibi* baculo amœno

Quæ observatur hoc anni tempore.

tetigit,

tetigit, *hodiè* durum oſtendit. Ut ergò attentè audivimus *conſolantem*, ex Evangelio Matthæi: Ita nunc patienter audiamus *comminantem*, ex Evangelio Lucæ. Hujus tres inprimis partes conſtitui poſſunt.

Propoſitio.

I. *Eſt ſignorum antecedentium prædictio.*

II. *Iudicis & judicij deſcriptio.*

III. *Ad vigilandum admonitio*, quæ tria breviſſimè percurremus? *Faxit Chriſtus Ieſus, Iudex œcumenicus, ut ejus gloria & ſalus noſtra fructuosè promoveatur, Amen.*

PARS I.

De Signis antecedentibus.

Signa extremi judicij quædam *ficta*, quædam vera ſunt. *Ficta* vel Iudæorum, vel Pontificiorum. *Iudæi* quindecim ſigna numerant, referente Thoma in Suppl. quæſt. 73. art. 1. *Signa ficta Iudaeorum.*

Dicunt 1. *quòd* maria omnia exaltabuntur quindecim cubitos ſuper montes. 2. Omnia æquora proſternentur in profundum, ita ut vix videri queant. 3. Redigentur in ſtatum antiquum. 4. Beluæ omnes, & alia quæ moventur in aquis, congregabuntur & levabunt capita ſuper pelagus, more contentionis invicem mugientes. 5. Omnes volucres cœli congregabuntur, in campis invicem plorantes, non guſtantes aliquid nec bibentes. 6. Flumina ignea ſurgent contra firmamentum, ab occaſu Solis usque ad ornum corruentia. 7. Omnia ſidera, errantia & fixa ex ſe ſpargent comas ſicut Cometæ. 8. Erit magnus terræ motus, ut omnia animalia proſternantur. 9. Omnes plantæ ſanguineum da-

bunt rorem. 10. Omnes lapides, parvi & magni dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. 11. Omnes colles & montes & ædificia in pulverem redigentur. 12. Omnia jumenta venient ad campos de silvis & montibus, rugientia & nihil gustantia. 13. Omnia sepulcra ab ortu Solis usque ad occasum patebunt cadaveribus ad resurgendum. 14. Omnes homines de tabernaculis recedent, non intelligentes, neque loquentes, neque discernentes. 15. Omnes morientur & resurgent cum mortuis longè antè defunctis. *Hæc sunt* illa commentitia Judæorum signa, quæ omni & scripturâ, & probabilitate carent, ut parum verisimilitudinis habere *Thomas* ipse affirmat.

Signa ficta Papicolarum. Quantumvis autem Judaicis fabulis valedicant Papicolæ, alias tamen similiter ineptas substituunt, dum quatuor Judicij signa comminiscuntur. *Primum* est prædicatio Enochi & Eliæ, quos ante judicium venturos putant, sed per AntiChristum interficiendos. *Secundum* AntiChristi Adventus, quem mirè describunt; fore unum hominem, & quidem Judæum ex tribu Dan, oriundum ex Babylone, educatum in Chorazin & & in Bethsaida, regnaturum in Capernaum, præcipuè tamen Hierosolymis, ubi templum restituet, Missam abolebit, fideles interficiet, per tres autem annos duntaxat cum dimidio regnabit. Tandem enim fugiet in palatium montis oliveti, quo dehiscente, ab Archangelo Michaële ligatus in infernum vivus præcipitabitur: post dies autem 45. veniet Christus ad judicium, quas fabulas vide apud *Hugonem* in Postill. *Schoppium* de

Anti-

AntiChristo, *Viegam* in Apocal. *Iosephum* à Costa lib. de Noviss. temp. cap. 16. 17. *Tertium* juxta ipsos est signum crucis, cui Christus fuit affixus, divinitùs redintegratæ ex particulis, quæ variis in locis nunc extent. *Gregor. de Valent.* Tom. 4. Col. 3313. & *Osorius* Tom. 2. Conc. pag. 915. *Quartum* est conflagratio Mundi, quam similiter antecessuram, ut justi purgentur, *Valentianus* statuit Tom. 4. Col. 2276. ex *Thoma* in Supplem. quæst. 74. artic. 7. *Et hæc* sunt signa Papistica nullibi scripta, alibi refutata, & planè conficta, quæ si recipiantur, diem ultimum longè adhuc abesse, quùm tamen propè sit, sequeretur, Quare missis fabulis illa videamus σημεῖα, quæ Christus in hodierno Evangelio recenset. Sunt illa trium inprimis generum. *Signa vera Christi.*

I. *Quædam signa sunt supra nos*, circa creaturam cœlestem, de quibus Salvator ait, vers. 25. *Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.* Qualia hæc signa futura sint, non exprimitur in Luca, tangitur quodammodò apud Matthæum cap. 24. vers. 29. *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.* *1. Supra nos.*

Quod *obscurationem* Solis & Lunæ attinet, variæ interpretationes circumferuntur. *Hieronymus* & *Beda* intelligunt comparatè, respectu Christi venientis, ad cujus claritatem si comparetur lux Solis & Lunæ, videbuntur meræ tenebræ. *Gregorius* exponit metaphoricè, phrasi illâ non notari diminutionem luminis cœlestis sed varios angores & calamitates, quæ sæpè tenebris comparentur. Sensum hunc affert: *Præ timoris*

magnitudine mortalibus cuncta tenebrescent. Augustin. Epist. 80. ait: Solem & Lunam dici Ecclesiam, quæ obscurabitur AntiChristi tempore. Verùm expositiones hæ à literâ nimiũ recedunt, dum verba Christi absoluta in comparata, & propria in metaphorica commutantur. *Rectiùs* ergò dicitur, quòd Sol & Luna reipsâ obscuranda sint. Sed jam ulteriùs quæritur: *Quales Eclipses intelligantur?* Aut enim *ordinariæ* & naturales erunt, aut *extraordinariæ* & singulares. *Sunt* qui statuant, quamvis Eclipses ordinariæ constent ex causis naturalibus, tamen signa esse judicij, *vel* ratione frequentiæ, *vel* ratione ordinationis divinæ. Nihil enim impedire, quò minus res naturalis signum sit peculiaris eventus. *Sed prius* istud rident Astronomi, qui æqualem Eclipsium rationem ex suis principiis demonstrant. *Posterius* probabilitate caret. Aut enim Eclipses à primordio sunt ordinatæ in signa judicij, aut circa finem. Si à primordio, CHRISTUS scopum suum non attigit, qui signa proximè præcedentia voluit exponere. Si circa finem, unde hoc probabitur? Et quî postremæ Eclipses plus significabunt, quàm primæ, quùm una omnium sit ratio? Quare statuimus potiùs, quòd non vulgares Eclipses intelligantur, sed potiùs singulares, & supernaturales, cum extremo die proximè cohærentes, ut interpretatur *Dn. D. Winckelm.* in Lucam pagin. 996. Hoc enim & litera textus, & peculiaris significandi ratio luculenter evincit.

Per *casum stellarum* Chrysostomus intelligit earum disparentiam & annihilationem, sic ut esse

desinant,

desinant, quia post judicium nulli erunt usui in mundo. *Alij* dicunt astra casura, non ratione substantiæ, sed lucis, quia & ista similiter obscurabuntur. Alii (quos inter *Augustin.* lib. 20. de Civ. Dei, cap. 24.) hunc sensum afferunt, inflammatas exhalationes stellis similes, & fulgura ex aëre demittenda esse. *Possunt* autem hæ posteriores duę ἐξηγήσεις conjungi, quum nihil absurditatis habeant.

Per *commotionem cœlorum*, procul dubio notatur insignis aliqua mutatio, & mirabilis rerum facies, quò referri possunt inusitata Chasmata, Cometæ, Parelii, Venti, grandines, aliæque insolitæ aëris, qui cœlum quandoque dicitur, tempestates. *Sunt* qui per virtutes cœlorum Angelos intelligunt, & commotionem de ipsorum admiratione & stupore exponunt, sed vero id simile non videtur.

2. *Quædam signa sunt intra nos*, circa creaturam rationalem, de quibus v. 25. 26. *Erit in terris pressura gentium*, hoc est, multiplex calamitas & status mœstissimus. Ut enim Adventum Christi primum in carnem, sic Adventum ejusdem ultimum ad judicium præcedent luctuosa tempora. Præcedent variæ turbationes, 1. Ecclesiasticæ, ob schismata & Sectas innumeras, *Matth. 24. v. 24.* ut vix inveniri possit fides, *Luc. 18. v. 8.* 2. Politicæ, ob seditiones & bella varia, siquidem gens contra gentem insurget, *Luc 21. v 10.* 3. Oeconomicæ, ob conjugum lites, & rei familiaris difficultates. Præcedent mala 1. *Publica*, ut Tyrannorum persecutiones, regnorum motus, falsorum fratrum insidiæ, & similia. 2. *Privata*, & partim *interiora*, ut *2. Intra nos.*

ſunt fluctuatio in religione, & timor in conſcientia; partim *exteriora*, uti ſunt inobedientia filiorum, infidelitas proximorum, egeſtas, infirmitas, &c. Quæ mala quamvis & aliis temporibus contigerint, circa mundi tamen interitum cumulabuntur. Cauſſæ horum malorum erunt 1. Juſta Dei indignatio, quam magis magisque patefaciet, de qua *Sap. 5. verſ. 18.* 2. Totius naturæ inclinatio, quæ ſeneſcit quaſi, & gemens liberationem expectat, *Rom. 8. v. 19.* 3. Satanæ malignitas, extrema tentantis, *Apoc. 12. v. 12.* 4. Hominum perverſitas, ſemper in deteriora ruentium, *2. Petr. 2. v. 20.* Annon verò hæc omnia proh dolor experimur? Periit fides, extincta eſt caritas, gliſcunt bella & ſeditiones. Ubi pax & candor? Defecit. Ubi quies & gaudium? evanuit. Verè defecit ſanctus, *Pſ. 11. v. 1.* Rectus inter homines non eſt, *Mich. 7. v. 2.* Maledictum & mendacium & homicidium inundaverunt, *Pſ. 4. v. 12.* Hinc intus terrores, foris pugnæ: areſcunt homines, capita demittunt, & præ dolore ſæpiùs expirant. Signa hæc ſunt, *Chariſſimi*, ſigna, inquam, ſunt diei ultimæ jam jam imminentis, ideoque videamus, ut ſalutem noſtram cum timore operemur, *Phil. 2. v. 12.* & cum puellis prudentibus ſponſum cœleſtem ſolicitè præſtolemur, *Matth. 25. v. 1.*

3. Infra nos 3. *Quædam ſigna ſunt infra nos*, circa creaturam elementarem, v. 25. *Erit ſonitus maris & fluctuum, &c.* Omnia elementa teſtantur de appropinquante die pantocritico. Aër inuſitatas μετεώρων formas exhibet; Terra velut noſtri pertæſa fructus denegat; maria inſurgunt & aquarum inundationes increbreſcunt, ut homines & animantia

tia pereant, quale infortunium præterito Anno vicina Thuringia experta est. *anno 1612*

Atque hæc illa sunt signa tergemina, quæ Christus in hodierno Evangelio expressit: & quidem triplici de caussa, 1. *Vt tolleret securitatem.* Sunt enim empectæ, qui conciones de extremo judicio, si non verbis, tamen factis irrident, *2. Petr. 3. v. 3.* Loth videbatur ludens loqui, quum Sodomæ deflagrationem annunciaret generis, *Gen. 19. v. 14.* Sic impœnitentes cachinnis nos excipiunt, quum mundi πανολεθρίαν intimamus. Verùm si non creditis verbis nostris, signis saltem adhibete fidem. *Ecce!* inquit Salvator, Matth. 24. v. 25. *Prædixi vobis.* Annón verò evenit, quod prædixit? Annón videtis signa in cœlo, signa in vobis, signa in mari & terris? Resipiscite igitur, nec in peccandi studio perseverate. Non præteribit verbum Domini, quod dixit de suo judicio, licet cœlum & terra prætereant. Veniet omninò, ubi in nubibus tribunal eriget judex vivorum & mortuorum, ut rationem reddatis de omni verbo otioso, *Matth. 12. v. 36.* Omnes sancti tremunt & exhorrescunt, factâ hujus judicii mentione. Quid vobis fiet, qui peccatis toti immersi estis? Bedæ dictum est: *Quid tabulis fiet, quando tremunt columnæ.*

Ista signa debent tollere.
1. Securitatem.

2. *Vt tolleret curiositatem.* Christus judicii tempus nominare noluit, sed tantùm probabilia signa proposuit. Ipsi Angeli ignorant diem ultimũ, *Matth. 24. v. 36.* Curiosè igitur non investigemus illum. *Latet unus dies, ut timeantur omnes dies,* inquit August. Utilis ista notitia si esset, Christus non reticuisset. Revelata enim sunt omnia συμφέροντα, *Act 20 vers 20. 27.* Parati ergò simus omni horâ,

2. Curiositatem.

horâ, ne Dei ſuperveniat ira. Erit Adventus ejus veluti laqueus venatorius, *Luc. 21. v. 45.* Veniet ut fur in nocte, *2.Petr. 3. v. 10.* quum minimè ſperabitur, *Luc. 12. v. 45. 1.Theſſ. 5. ver. 3.* Quod ergò tempus impenditur curioſæ diei indagationi, hoc tribuatur potius ſolicitæ animorum præparationi. Sufficiant nobis ſigna iſthæc communia: tempus ipſum nunquam explorabitur. Eſt enim contra Dei voluntatem, & Chriſti vocem. Utrique ſe exponunt, qui momenta temporum inquirunt, quæ ſcire non eſt noſtrum, *Act. 1. v. 7.* Cogitemus iſtud Ambroſii ex lib. 1. de vocat. gent. cap. 8. *Ne appetamus habere cognitum, quòd Deus voluit eſſe ſecretum.*

Auguſtin. Quotquot de hac materia ſunt locuti, mẽdaces ſunt inventi.

Et hoc Auguſtini Serm. 6. de Verb. Apoſtoli: *Loqui volentes de Dei profundo, merſi ſunt in profundum.* Exempla hujus confuſionis vide in horis ſucciſivis *Camerarij* Cent. 1. cap. 41. pag. 192. & ſeqq.

3. Puſillanimitatẽ.

3. *Vt tolleret puſillanimitatem.* Vita piorum in hoc mundo verè eſt vallis lacrymarum. Unde Eccleſia comparatur columbæ gementi, *Cant. 2. v. 14.* & naviculæ hinc inde agitatæ, *Matth. 8. verſ. 23.* Malis enim benè, ſed bonis malè eſt, de quo conqueritur Jerem. cap. 12. v. 1. Prædixit hoc Chriſtus, *Ioh. 16. v. 20. Vos plorabitis, mundus autem gaudebit.* Sed patiamur hæc conſtanti animo. Appropinquat enim tempus, ubi inſtituetur mutatio. Veniet dies, ubi triſtitia noſtra vertetur in gaudium, dies nimirum ultimus, qui ob id dies ἀπολυτρώσεως, vel liberationis vocatur, *Luc. 21. v. 28.* Ibi liberabimur à carne, quæ inficit; à mundo, qui decipit; à Satana qui interficit. Ibi liberabimur à

malis

malis animæ, id eſt, peccatis, à malo corporis, fame, ſiti, morbis: à malo totius vitæ, id eſt, variis ærumnis & miſeriis. Nec procul abeſt hæc liberatio. Ecce ſigna adſunt omnia, quæ prædixit Chriſtus? Arbores, quum fructum producunt, æſtatem propè eſſe colligimus. Nos ſigna diei ultimæ videmus: Diu ergò non aberit, quò ipſo nos ſolari convenit. Nam ideò ſigna prænunciavit Chriſtus, ut animas noſtras poſſideamus in patientia. Eſt enim momentaneum quod patimur; in die ultimo diſtribuetur æternum præmium. Hîc quidem imus flentes, portantes ſemina: ſed brevi erit, ut venientes veniamus cum exultatione, portantes manipulos noſtros, *Pſalm 126. v. ult.* Confidamus ergò, & ſignis iſtis, ἀπολυτρώσεως prænunciis, nos invicem erigamus. Si premunt nos tyranni & hæretici, ecce! hæc ipſa preſſura ſignum eſt adventantis judicii, & noſtræ liberationis. Ita ergò iſtud quod patimur, unà efficax præbet ſolatium, quia non eſt paſſio nuda, ſed paſſio ſignificans præ foribus adeſſe ἀπολύτρωσιν, in quo mirabilem Dei πρόνοιαν vix ſatis admirari poſſumus, qui mala cuncta ſic temperat, ut ſimul σημεῖα ſint futuri gaudii, & refrigeria triſtis animi.

PARS II.

De judicis deſcriptione.

TRia de judice & judicio expreſſa habentur in hodierno Evangelio.

I. *Nomen Iudicis*, qui vocatur filius hominis, cui data eſt poteſtas judicandi, *Iohan. 5. v. 27. Actor. 17. v. 31.* Facit hoc 1. πρὸς ἔλεγχον contra Calvinianos, qui carni denegant omnipotentiam & omni- *Nomen Iudicis.*

ſcientiam

scientiam communicatam, quæ tamen idiomata vel solius judicii executio demonstrat; 2. πρὸς παράκλησιν, quia frater noster in carne nobis similis judicabit, ideoq; fidelibus suis clementer ignoscet. *Is veniet judicaturus, qui est propter te judicatus*, scribit Augustinus. 3. πρὸς ἐπανόρθωσιν, ne Christi meritum & Sacramenta contemnamus, quia visibili formâ iterum apparebit, ut videant omnes, quem pupugerunt & spreverunt, *Zach. 12. vers. 10. Ioh. 19. v. 37. Apoc. 1. v. 7.*

Locus judicij. II. *Locus judicij*, qui nominatur nubes. Innuitur 1. *Throni altitudo.* Ut enim nubes sublimes sunt: Sic & tribunal Domini excelsum erit. Ibi valebit illud *Psalm. 113. v. 6.* Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? 2. *Universalis hominum productio.* Uti sub nubibus omnes degunt: sic omnes ante tribunal in nubibus erectum producentur. 3. *Cunctorum apertio.* Nihil ibi manebit occultum. Ut ex nube omnia, quæ fiunt in terris, possunt aspici: sic coram Christo judice omnia patebunt. Cedit hoc vicissim 1. *piis in solatium.* Ut maximè hîc contemti sint, veniet tamen Judex, qui è nube ipsos aspiciet, & cum gaudio producet, quocunque in angulo mundi hæreant. 2. *Impiis in terrorem.* Non se occultare poterunt, Judex in nubibus sedebit, cernet & prosternet ipsos. Sic ergò vivamus, ut judicem in nube læti aspicere possimus, nec à facie ipsius fugere necesse sit, & clamare: Montes cadite super nos, *Ose 10. v. 8. Apoc. 9. v. 6.*

Modus Adventus III. *Modus Adventus*, vers. 27. Veniet in potestate magna & majestate. Nam venient cum ipso Angeli & omnes sancti: Audietur sonus tubæ &

vox,

vox, *venite mortui.* Terra conflagrabit, & elementa liquefcent. Producentur omnes dæmones & homines, ut audiant fententiam, de qua judicii majeftate quum Dominica ult. Trinit. fufius agatur, nihil ultrâ hîc addimus.

PARS III.

De Chrifti admonitione.

TRiplex ea eft. Num. *1.* v. 28. Monet ad *afpiciendum.* 2. v. 34. 35. ad *cavendum.* 3. v. 36. ad *vigilandum & orandum.* Pofteriores duæ admonitiones non femper folent prælegi, & tractari poterunt alibi. Tantùm igitur de priori quædam fubjiciemus.

Vox Chrifti eft v. 28. *His fieri incipientibus, refpicite & levate capita veftra.* Loquitur de fignis judicii, & hortatur ad eorum confiderationem *Chariffimi,* jam incipiunt ifta fieri. Quare memores hujus moniti, refpiciamus. Quatuor autem funt, quæ in fignis diei ultimæ confiderare debemus. Nam afpiciamus illa. *Signa judicij extremi funt figna*

1. *Vt figna gratiæ.* Tam mitis eft Deus, ut nolit ftatim in nos irruere, fed prius oftendit figna, tanquam publicos pœnitentiæ præcones. Pharaonem quum vellet delere, varia præambula præmifit, ut locum pœnitendi haberet, *Exod. 6. 7. & feqq.* Excidium Hierofolymitanum quot figna præcefferint, fusè à Jofepho defcriptum eft. Idem nunc facit Deus ante judicium extremum. Monet nos variis præcurforibus, ex mifericordia, ut maturè agatur pœnitentia. Per quot annos illa monftravit? Sed etiamnum expectat, ut vel tandem redeamus, 2. *Petr. cap. 3. verf. 9.* Judex maleficum *1. Gratiæ.*

quæ-

quæsiturus, & illi favens, strepitus ciet, ut fugâ sibi consulat. Sic Deus signis suis in toto orbe quasi strepitus excitat, ut per conversionem cordis iram venturam effugiamus. Nolite igitur tantam gratiam negligere, & vel ex signorum aspectu quid vobis faciendum sit, colligite.

2. *Ira.* 2. *Vt signa iræ.* Si σημεῖα sunt adeò horrenda, quale erit judicium? Quum sata Damascenorum incenderet Holofernes, cecidit timor super omnes inhabitantes, *Iudith. 2. v. ult.* Collegerunt enim, si adeò sævit in segetes innocuas, quid nobis fiet, qui imperium Regis Assyrii contemsimus? *Charißimi,* nos pariter colligamus: Si Deus creaturas ἀλόγυς adeò nostri causâ alterat; quomodo nobiscum aget? Sol & Luna peccatis nostris lumen præbuerunt, & obscurantur. Terra fructum dedit, & fertilitas adimitur. Si creaturæ innocuæ ita puniuntur, quod te manebit judicium, qui tot sceleribus pollutus es? Rectè Beda: *Quid fiet tabulis, quando tremunt columnæ?* Et Greg. Naz. *Multa debent mala præcurrere, ut malum sine fine valeant nunciare.* Hæc ergò signa nos moveant, ut cogitando Dei iram, confugiamus ad pœnitentiam.

3. *Tristitia* 3. *Vt signa tristitiæ.* Tota enim mundi machina per ista signa se quasi ad luctum publicum componit. Patrefamiliâs in mortis articulo constituto, tota domus versatur in planctu: Sic homine in extremis agente, universa mundi familia tristatur. Sol & Luna faciem obvelant, nubes lacrymantur, mare sonat & obstupescit. Saulo occumbente, cunctos ad lacrymas excitabat David. 2. Samuel. 1. *Flete,* inquit vers. 21. *vos filiæ Israel super Saul.* Sic natura prævidens interitum, omnes creaturas ad gemitus

gemitus instigat. Elementa tristantur, animalia præ angustiis moriuntur, loca omnia querelis cōplentur. Et tu in hoc luctu publico deliciaberis, genioque indulgebis? Creaturæ brutæ gemunt, & solus homo ratione præditus nihil isthæc curabit? Dedecus sit, in totius universi mœrore operam dare voluptatibus: quin potius levate capita, & tot luctus signa cernentes unâ ingemiscite, ut Deus misereatur nostri.

4. *Vt signa consummationis ultimæ.* Domus quū nutat, ruina propè est. Quid verò signa ista sunt aliud, quàm nutantis naturæ indicia? Terra movetur & conquassatur. In pejus ruunt omnia, & sensim senescit hic mundus. Elevate oculos: Annón cœlum serenitatem, agri fertilitatem denegant? Quum palatii fenestræ & januæ clauduntur, signū est Principem abitum parare. Ecce! Fenestræ cœlorum, januæ illæ mundi, Sol & Luna clauduntur & obscurantur. Deus ergò, Princeps universi, hunc mundum brevi deseret, inque favillas redi-get. Quum pallor totum corpus obsidet, mortem hinc licet præsagire. Pallet facies agrorum & camporum. Annón ergò finis naturæ imminet? Verè nunc licet dicere ex Ezech. 7. v 6. *Finis venit, venit finis. Evigilavit adversum te. Ecce venit!* Vigilate igitur & vos, ut parati sitis, quum venerit. Stabit enim ad judicandum Dominus, & stabit ad judicandos populos, *Esa. 3. v. 13.* Væ tum impio, quia retributio manuum fiet ipsi, *vers. 11.* Sed justo dicite, quoniam fructum suarum adinventionum comedet, *v. 11* *Quem ut comedamus in æternum, faxit Pater misericordiæ, per Iesum Christum, futurum judicem, Redemtorem nostrū semper benedictum, Amen.*

4. Consummationis ultimæ.

EVANGELIUM DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Matth. 11. à Vers. 2. usque ad 11. Luc. 7. V. 18.

De discipulis Baptistæ Iohannis ad Christum ablegatis.

v. 2. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.	Jouchanon autẽ in domo vinctorum (*Carcere*) cùm audisset opera Meschicho, misit duos discipulos suos.	Da aber Johannes im gefengnis die werck Christi hörete / sandte er seiner Jünger zweene.
3. εἶπεν αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν.	Et dixit ei, Tunè is es, qui venturus erat, an aliom expectamus.	Vnd ließ jhm sagen: Bistu der da kommen soll / oder sollen wir eines andern warten.
4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε.	Respondit Jeschua, & ait illis: Ite renunciate ipsi Jouchanon ea quæ auditis & videtis.	JEsus antwortet / vnd sprach zu jhnen: Gehet hin / vnd saget Johanni wider / was jhr sehet vnd höret.
5. Τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ	Cœci vident, & claudi ambulant, leprosiq; mundantur, & surdi audiunt, & mortui re-	Die Blinden sehen / vnd die Lahmen gehẽ / die Aussetzigen werdẽ rein / vnd die Tauben hören / die Todten ste-

ἐγεί-

ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.

surgunt, & pauperibus Evangelizatur.

hen auff / vnd den Armen wird das Evangelium geprediget.

6. Καὶ μακάριός ἐστι, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.

Ac demum felix ille, qui non impegerit in me.

Vnd selig ist/der sich nicht an mir ärgert.

7. Τούτων δὲ πορευομένων, ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ Ἰωάννου, τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι, κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;

Quum autem abiissent, cœpit Jeschua verba facere ad turbas super Jouchanon: Quid existis in desertum visuri? arundinem à vento agitatam.

Da die hin giengen/fieng Jesus an zu reden zu dem Volck von Johanne: Was seyd jhr hinauß gegangen in die wüsten zu sehen? woltet jhr ein Rohr sehē/ das der Wind hin vnd her wehet.

8. ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.

Sin minùs, quid visuri existis? Virum vestimentis mollibus indutū? Ecce ii, qui mollibus vestiuntur, in aulis regum degunt.

Oder was seyd jhr hinauß gegangen zu sehen? Woltet jhr einen Menschen in weichen Kleidern sehen? sihe / die da weiche Kleider tragē/ sind in der könige Häuser.

9. ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ, λέγω ὑμῖν,

Sin minùs, quid visuri existis? Prophetā? Certè dico

Oder/ was seyd jhr hinauß gegangen zu sehen? Woltet jhr einen Propheten sehen? Ja

καὶ περισσότερον προφήτου.

vobis, & Prophetâ præstantiorem.

ich sage euch / der auch mehr ist / deñ ein Prophet.

10. οὗτος γάρ ἐστι περὶ οὗ γέγραπται, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

Ipse enim est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam coram te.

Denn dieser ists / von dem geschriebẽ stehet : Sihe / Ich sende meinẽ Engel für dir her / der deinen weg für dir bereiten soll.

Homilia.



Christi tria nomina.

ESAIAS tribus nominibus Messiam nobis commendat cap. 33. v. 22. *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.* Tres isti tituli triplicem Christi Adventum innuunt. Venit enim *ad* homines, venit *in* homines, venit *contra* homines, *Bernh. Serm. 3. de Adventu.* Primus fuit Adventus *humilis* & despectus; secundus est *gratiosus*: tertius erit *gloriosus.* Primus in Incarnatione temporali, *Iohan. 1. v. 14. Galat. 4. v. 4.* Secundus in Regeneratione spirituali, *Iohan. 14. vers. 23. Apoc. 3. v. 20.* Tertius in judicio universali consistit, *Matth. 24. vers. 30. cap. 25. vers. 31. 1. Thessal. 4. vers. 16.* Primus peractus est *olim* in Judæa: Secundus peragitur *quotidiè* in Ecclesia: Tertius *adhuc* peragendus restat in mundi πανολεθρίᾳ. In proximo venit, ut *Rex noster*, quem expectârunt Patres: In tertio veniet, ut *Iudex noster*, coram quo sistemur omnes: In secundo venit, ut *Legifer*, seu *doctor noster*, qui docet & illuminat mentes. De Adventu regio diximus

Et triplex adventus.

diximus *Dominica I.* De Adventu ultimo & judiciali actum est *Dominica præced.* Restat adhuc exponendus Adventus *medius* & mysticus, quo per verbum in nos venit Christus, ad purgandum corda, & habitandum in iis, Scopus hic tangitur præsenti Evangelio, in quo Johannes discipulos suos ad Christum ablegat, ut illum coràm audiant, ex auditu credant & credendo habitaculum Christo præparent. Quæ præparatio quum ordinariè fiat per vocem pastorum, Salvator in persona Johannis describit doctorem verè Evangelicum, ut sciamus quos sequamur, ne per mercenarios aliò deducamur.

Sunt igitur hujus Evangelii partes *duæ.* In *prima* describitur legatio Johannis ad Christum, & hujus responsio, *v.* 2. 3. 4. 5. 6. In *secunda* continetur commendatio Johannis; quæ simul requisita veri pastoris exprimit, *v.* 7. 8. 9. 10. Nos ἐξήγησιν huic unico puncto includemus. *Partes Evangelii.*

Qualiter comparati esse debeamus, ut Christus ad nos veniat, & sua in nobis gratia semper habitet? *Propositio.* Veni ergò Christe Jesu, solve linguam, & aperi aures, ut de Adventu tuo mystico necessaria & salutaria dicamus, Amen.

TRACTATIO.

EXponuntur in hoc Evangelio aliquot proprietates eorum, ad quos Christus mysticè venit, & apud quos gratia sua permanet. Quæ ut melius inculcentur auditoribus, *quatuor Regulis seqq. comprehendi* possunt. *Quatuor regulæ, quas sequamur, si Christus advenire debet.*

I. Ad patiendum te præpares. Docent hoc vincula & carcer Johannis, de quibus statim in *1. Ad patiendū te præpares.*

in Exordio Evangelii ſermo fit. Erat Johannes Bapt. Chriſti præcurſor: Erat vox clamantis, *Eſa.* *40.v.2.* Angelus viam præparans, *Malach.3.v.1.* Elias ſecundus, *Mal.4.v.5. Matth.17.v.12.* ob ſpiritum & virtutem Eliæ, *Luc.1.v.17.* Vitam ducebat inculpatam & planè rigidam, *Matth.3.v.4.Marc.1.* *v 3.* officio ſuo præerat cum ſingulari zelo, *Matth,* *14.v.4.* Unde à Chriſto vocatur maximus inter natos mulierum, *Matth.11.v.11.* Chryſoſtomus nominat eum *virtutis ſtolam, ſanctitatis normam, &* *juſtitiæ formam.* Talis ergò & tantus præco vinculis includitur, in carcerem conjicitur, & quidem ob fidelitatem in officio, in gratiam Herodiadis, quam *Chryſoſtomus* nuncupat *filiam Diaboli, &* *matrem iniquitatis.* *Chariſſimi*; ſi Johanni hoc contigit, quid aliud nos expectare poterimus? Si ergò Chriſti vis eſſe diſcipulus, myſticúmque Chriſti Adventum deſideras, maturè ad patiendum te præpares. Quod Johanni accidit, omnibus accidere poteſt.

Regnum enim Chriſti non eſt de hoc mundo, *Iohan.18.v.36.* Veniente igitur Chriſto, mundus tumultuatur, & nil niſi carceres minatur. Dominus regnavit, hinc iraſcuntur populi & commovetur terra, *Pſalm.99.v.1.* crux portanda eſt, ſi Chriſtum ſequi velimus, *Matth.10.v.28.* Plorandum eſt, quum mundum deſerimus, *Ioh.16.v.20.* Patiendum eſt, ut Chriſto conformemur, *Rom.8.* *v.17.* Tribulatio ſuſtinenda, ut cœlum ingrediamur *Actor.14.v.23.* perſecutio perferenda, ut piè vivamus, *2.Tim.3.v.10.* Quem enim diligit Dominus, hunc caſtigat, *Hebr.12.v.6. Apoc.3.v.19.* Tobias quoniã acceptus erat, premebatur, *Tob.12.*

verſ.13.

verſ.13. Unde igitur plangis, quòd pateris? *Medicina eſt, non pœna,* inquit Auguſtinus. Per turbinem Elias raptus eſt in cœlum: Vis ſequi? Non expectes placidos lætitiæ favonios, ſed potiùs vinculorum ſtrepitus, & tribulationum turbines. Ut venti feſtucas in altum & cœlotenus librant: ſic perſecutiones fidelium animas in ſublime tollunt. Arca Noæ magis elevabatur creſcentibus aquis: ſic anima fidelis extollitur ingruentibus malis. Stephanus lapidandus, videbat cœlos apertos, *Actor. 7. verſ. 55.* Sic quum maximè premimur, Deus miſeretur. Carceri quum nos includunt tyranni, cœlum aperit Jehovah. Perpendite hoc qui in vinea Domini cum tempore laborabitis. Quodnam pro fidelitate præmium habebitis? Si non carcerem cum Johanne, attamen crucem cum omnibus Apoſtolis. Sed confidite! Merces veſtra erit copioſa in cœlis, *Matth. 5. v. 12.* Johannes quamvis in vinculis eſſet, non tamen deſerebat Chriſtum: ſed ſuos ad ipſum diſcipulos mittebat. Non igitur laſſemini in officio: præſtat Deum habere propitium, quàm mundum benevolum. Clama cum Johanne, ne ceſſes. Chriſtus aderit & defendet, ſive in carcere ſis cum Joſepho, ſive in lacu cum Jeremia, ſive in fornace cum tribus viris, ſive in medio Leonum cum Daniele, ſive in vinculis cum Petro, ſive inter manus carnificis & perſecutorum cum Stephano, aliisque martyribus. Stat enim fixa Jehovæh ſententia, quam dixit Eſa. 43. v. 1. *Noli timere, ego vocavi te, Meus es tu, & tecum ero.*

II. Veritatem diligenter inquiras. Exemplo nobis præeūt diſcipuli Johannis. Hos enim *2 Veritatem inquiras.*

emittit, ut Meſſiam quærerent, & loquentem audirent. Johannes quidem de perſona & officio Chriſti nihil quicquam dubitabat. Nam ſuis illum manibus contrectaverat in Baptiſmo, *Matth.* 3. *verſ.* 13. digitis monſtraverat, *Iohan.* 1. *verſ.* 29. ſpiritum deſcendentem viderat, *verſ.* 32. & patrem de cœlo loquentem audierat, *Matth.* 3. *v. ult.* Diſcipulorum ergò ignorantiæ tantùm conſulere voluit. Nimis adhærebant Baptiſtæ, *Iohan.* 3. *verſ.* 26. & quoniam ipſum vinculis detineri videbant, non parùm triſtabantur, & ſpem de Meſſiâ omnem ferè abjiciebant. Quare diligentius ut inquirant, admonet, adeoque ad Chriſtum ipſum, ut pleniùs informentur, ablegat, cum quæſtione: *Túne es ille, qui venturus eſt?* hoc eſt. *Túne es* ſemen illud mulieris benedictum? *Geneſ.* 3. *verſ.* 15. & ſemen Abrahæ, in quo benedicendæ gentes? *Geneſ.* 12. *verſ.* 3. *cap.* 18. *verſ.* 18. *cap.* 22. *v.* 18. Túne es Melchisedech ille ſine patre & matre? *Geneſ.* 14. *v.* 18. *Hebr.* 7. *v.* 1. ille Siloh? *Geneſ.* 49. *v.* 18. illa ſtella Jacobi? *Num.* 24. *v.* 17. Túne es ille Propheta magnus? *Deut.* 18. *v.* 8. virginis filius? *Eſa.* 7. *v.* 14. germen Davidis? *cap.* 11. *v.* 1. Uno verbo, *túne* Meſſias es, à Deo promiſſus, à Prophetis prænunciatus, à nobis hactenus expectatus.

Imitemur, *Chariſſimi*, hanc ſcrutandi diligentiam. Accedamus ad Chriſtum, & conſulamus Dei verbum. An ignoratis præceptum Domini, quod dedit Johan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Berhoënſes aſpicite, qui licet Apoſtolos audirent, Scripturas tamen aſſiduè legebant, ut veritatem perciperent, *Actor.* 17. *v.* 11. Maximum in hoc momentum eſt poſitum. Verſamur in bivio.

Vel ad cœlum, vel ad infernum ibis. Cœlum vis petere? Inquiras ergò, num rectam viam insistas. Angusta enim porta est, & pauci sunt, qui inveniunt eam, *Matth. 7. v. 14.* Examen igitur institue cum discipulis Johanniticis; & doctores tuos adi: *Tunc Christi præco es, & viam veritatis doces? Estné hæc vera fides, quam profiteris?* Cognitâ ex verbo doctrinâ purâ, teipsum examina & quære: *Túne es, qui esse debes?* Túne es inter illos qui verbum sincero corde audiunt, & fructum afferunt in patientia? *Luc. 8. v. 16.* Túne es vera Christi ovicula, quæ vocem pastoris audit, cognoscit, sequitur? *Ioh. 10. v. 27.* Túne verus Christianus es, cujus virtutes Apostolus describit? *Rom. 12. v. 10. seqq. Ephes. 4. v. 23. seqq.* Tales quæstiones institui debent in omni ætate, in omni sexu & statu. Probet seipsum Pastor, probet se magistratus, probent parentes, liberi, servi, juxta monitum Apostoli, *2. Corinth. 13. vers. 5.* Et ubi defectum viderint, maturè corrigant. Ita Christus veniet, inque cordibus ipsorum gratum sibi habitaculum figet.

III. Christo loquenti attendas. In hoc similiter imitemur discipulos, qui quæstione propositâ audiunt, & lubenter erudiri volunt. Christus enim respondet placidè, & in rem præsentem discipulos ducit. Prædictum erat de Messia, quanta sit editurus miracula, *Esa. 35 v. 5.* Hæc jam impleri per cæcorum illuminationem, claudorum sanationem Christus demonstrat, ut ipsum Messiam esse, exinde colligerent. *3. Christo attendas.*

Utinam, *inquis*, & ego Christum loquentem

audire possim? Potes omninò. Christi enim verbum est, quod Christi minister prædicat. *Qui vos audit, me audit,* ipsius vox est, *Luc. 10. v. 16.* Christo igitur si attendere velis, attende illis, qui Christi verba rectè explicant. Utque in specie verba Christi in hodierno Evangelio, proposita consideremus, duas illa eximias doctrinas suppeditant.

Locus de miraculis.

I. *De Veritate Ecclesiæ.* Gravis est quæstio, *Quænam & ubinam sit vera Ecclesia?* Christo attende & cognosces. Duo inprimis signa nobis commendat. 1. *Miraculorum operationem.* Nam discipulos Johannes ad miracula ablegat, ut ex iis veritatem æstiment. *Ergo vicimus!* clamant Papicolæ. Sed ne triumphum canatis ante victoriam. Miracula quædam *divina* sunt, quædam *Diabolica. Illa* veri, *hæc* falsi sunt symbola, de quibus vide *Matth. 7. vers. 12. cap. 24. vers. 24.* Divina sunt, quæ Christus, quæ Apostoli & eos proximè sequentes discipuli ediderunt. Quam illa doctrinam & confirmârunt, ea vera est & Catholica. At verò confirmârunt nostram, non Papisticam. Dubitas? Collationem institue, & videbis fidem Apostolicam & Papalem extremè dissentire. Nos illa profitemur unicè, quæ Apostoli docuerunt: Nostra ergò sunt Apostolorum miracula. Alia Christi, alia Papæ doctrina est: Christi ergò miracula, Papæ dogmata quî confirmabunt? *Inquis,* novis opus est miraculis, si veritas dignosci debet. *Verùm* 1. Tempore fidei propagandæ necessaria erant, post propagatam non item. Rectè Chrysostom. Homil. 23. in Johan. *Si Christum diligis, non indiges signis. Signa enim incredulis dantur.* August. lib. 22. de Civit. Dei,

Dei, cap. 8. *Qui adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* 2. Circa finem mundi non miraculis attendere, sed ab iis cavere jubemur, *Matth. 24. v. 24. 2. Thessal. 2. v. 9.* tanquam signis Anti-Christi. 3. Miracula Papistica, vel sunt ficta, vel simulata, vel diabolica. 4. Fides nostra, quùm nova non sit, novis signis non indiget. 5. Si omninò signa poscunt, admirandum reformationis opus cogitent, quo impuri spiritus Monachi ex claustris ejecti, spiritualiter cæci surdique sanati sunt. 2. *Evangelij prædicationem.* Præcipuum hoc veræ fidei & Ecclesiæ signum est, quòd *pauperibus evangelizatur*, hoc est, lætum de peccatorum remissione nuncium affertur. Ut enim Scriptura, sic & Scripturæ conformia dogmata ad doctrinam & consolationem faciunt, *Rom. 15. v. 4. 2. Timoth. 3. v. 17.* At minimè fit hoc per Papisticam, vel per Calvinisticam religionem. *Illa* meras dubitationes inculcat, in loco de Justificatione: *hæc* desperationem vel securitatem caussat in loco de Prædestinatione. Neutra igitur fides est Apostolica. Nos autem verâ παρακλήσει erigimus timidos per justitiam imputatam & electionem ordinatam: solidâ νυθετήσει revocamus securos, per Legis maledictionem & comminationes divinas. Quùm igitur apud nos pauperibus Evãgelizetur, de veritate Ecclesiæ nostræ quî dubitari poterit?

Prædicatio Evangelij.

II. De gratia Dei. Quæ enim miracula Christus operabatur corporaliter, illa contingunt etiãnum spiritualiter, in nostri justificatione. Tam misericors est DEUS, tantæ virtutis est Christi meritum, ut quotidiè cæci videant, claudi ambulent,

Deus quotidiè facit miracula.

lent, &c. Nam peccator 1. *Cæcus est* ob ignorantiam mentis, *1. Cor. 2. v. 14. Eph. 4. v. 18. cap 5. v. 8.* est instar noctuæ, quæ lumen Solis aspicere nequit 2. *Claudicat*, quia pedes ejus ad malum currunt, *Prov 1. v. 16.* nec recto gradu incedit, 3. *Leprosus* est, quia peccatum inficit, & Deum hominésq; separat, *Esa. 59. v. 1.* 4. *Surdus* est, nec audit admonitiones divinas, *Ier. 6. v. 10.* ob strepitum rerum mundanarum. 5. *Mortuus* est, quoniam caret gratiâ Dei, quæ est vita animæ. Mors hæc vocatur prima & mystica, ut ex *Apoc. 20. v. 14.* colligitur. Tandem 6. *Pauper* est, quia caret bonis spiritualibus, fide, justitiâ, sanctitate & υἱοθεσίᾳ. Ab his ergò malis omnibus liberamur, quando Christus in nos venit; ideoque ipsi lubentiùs attendere debemus. Restituit *visum* per mentis illuminationem, & verbum suum, quod lucerna est, *Psal. 19. v. 9. 2. Petr. 1. v. 21.* Sanat nos *claudicantes* per internam gubernationem, ut omnia in ipso possimus, *Phil. 4. v. 13.* Tollit *lepram* spiritualem per preciosum sanguinem, quo emundamur, *1. Ioh. 1. v. 7.* Aperit *aures*, ut lubenter auscultent, & mysteria intelligamus, *Matth. 11. v. 25.* *Vivificat* per regenerationem, ut vivamus in spiritu, *Rom. 8. v. 10* & tandem nos replet *divitiis* spiritualibus; quoniam ipse pauper factus est, ut nos ditemur per ipsum, *2. Cor. 8. v. 9.* Venite igitur Cæci, Christus lux est, *Ioh. 1. v. 3.* & illuminabit. Venite claudi, Christus via est, *Ioh. 14 v. 6.* & deducet. Venite leprosi, Christus Medicus est, *Exod. 15. v. 26.* & sanabit. Accedite surdi, tanget vos Christi digitus, *Marc. 7. v. 33.* & audietis. Accedite mortui: Hic est dux vitæ, *Actor. 4. vers. 15.* & vivetis. Accedite paupe-

pauperes, in Christo sunt omnes thesauri, *Col. 2. vers. 3.* & satiabimini bonis: Beati enim pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, *Matth. 5. vers. 3.*

Tandem IV. A scandalis tibi caveas. *Beatus*, inquit CHRISTUS, *qui non fuerit scandalizatus in me.* Multi pervenirent ad cœlum, nisi impedirentur per scandalum. Quid Judæos retraxit in fide? Hoc inprimis, quia offendebantur Christi humilitate. Verè hic est lapis offendiculi, *Esa. 8. v. 14. 1. Petr. 2. vers. 8.* in quem impingunt potentes hujus seculi. Sic corruptus est homo per Originale vitium, ut sæpius murmuret contra Deum. Cùm ex justitia punit, indignatur caro. Cùm ex misericordia recipit, murmurant Pharisæi, *Luc. 15. v. 2.* cùm malis benefacit, queritur Jeremias, *cap. 12. v. 1.* cùm Johannes rigidè viveret, dæmonium habere ipsum clamabant, *Matth. 11. v. 19.* Christum cùm ederet, potatorem vini esse blasphemabant, *v. 20.* Ita nimirum justificatur sapientia à filiis suis. Grave hoc peccatum est, *fratres*, quod gratiosum Christi adventum vehementer impedit. Non intrat animam murmurantem, sed submissam. Non offendaris Christi humilitate, quia nunc sedet ad dexteram Patris. Non te abstrahat Ecclesiæ vilitas: Nam gloriosa erit in cœlis. Non rideas pastorum vocem, quia ministri sunt Dei omnipotentis. Non murmures in passione, quia compensabitur in resurrectione, Si Herodes te conjecit in vincula, expecta cum Johanne in patientia. Breviter, *Iactemus curam in Dominum, ipse faciet*, Psal. 55. v. 2. Quid murmutas homo adversus Deum? Scrutemur potiùs vias

4. A scandalis caveas.

nostras,

nostras, & revertamur ad Dominum, *Threnor. 5. vers. 40.* Ita ipse veniet ad nos suâ gratiâ; veniet in nos, suâ præsentiâ, & quùm venerit ad judicium, indues nos æternâ gloriâ, ubi Johannes non amplius erit in carcere, sed cum ipso triumphabimus de Herode, visuri Christum de facie, & percepturi gaudium sine fine, *quò nos omnes perducat is, qui est principium & finis, Deus benedictus in secula*; Amen.

EVANGELIUM DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Iohan. 1. à Vers. 19. usque ad v. 29.

De Legatione Pharisæorum ad Iohannem Baptistam.

V.19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου, ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευΐτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, σὺ τίς εἶ;

ET hoc est testimonium ipsius Jouchanō, quando miserūt ad eūIihou dæi ab Ourischlé, Sacerdotes & Levitas ut interrogarent eum, tu qui es?

Vnd diß ist das Zeugniß Johannis/ da die Juden sandten von Jerusalem/ Priester vnnd Leviten/ das sie jn fragten: Wer bist du?

20. καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο καὶ ὡμολόγησεν, ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός.

Et confessus est, neque negavit: & confessus est. Non sum ego Meschicho.

Vnd er bekandte vnd leugnet nicht/ vnnd er bekandte/ Ich bin nit Christus.

21. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, τί οὖν; Ἠλίας

Et interrogaverunt eum rursus,

Vnd sie fragten jhn? Was denn/

εἶ σύ;

εἶ σύ; καὶ λέγει, οὐκ εἰμί. ὁ προφήτης εἶ σύ; καὶ ἀπεκρίθη, οὔ.	Quid ergo? Ilijo es? ait, Non ſum. Es tu Propheta? & ait, Minimè.	Biſt du Elias? Er ſprach: Jch bins nicht. Biſt du ein Prophet? Vnd er antwortet: Nein.
22. εἶπον οὖν αὐτῷ, τίς εἶ, ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πέμψασιν ἡμᾶς; τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ;	Dixerúntque ei, Ecquis es? ut demus reſpōſum iis, qui miſerunt nos: quid dicis de teipſo.	Da ſprachen ſie zu jm: Was biſt du denn? daß wir antwort geben/ denen/ die vns geſand haben. Was ſageſt du von dir ſelbs?
23. ἔφη, ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, εὐθύνατε τὴν ὁδὸν κυρίου, καθὼς εἶπεν Ἡσαΐας ὁ προφήτης.	Ait, Ego ſum vox clamantis in deſerto, complanate viam Domini, prout dixit Eſchajo Propheta.	Er ſprach: Jch bin eine Stimme eines Predigers in der Wüſten/ Richtet den Weg deß HERRN/ wie der Prophet Eſaias geſagt hat.
24. καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων.	Illi autem qui miſſi fuerant, ex Periſchæis erant.	Vnd die geſand waren/ die waren von dē Phariſeern/
25. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ, τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστὸς, οὔτε Ἡλίας, οὔτε ὁ Προφήτης.	Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Quid igitur baptizas, ſi tu non es Meſchicho, neque Ilijo, neque Propheta.	Vnd fragten jn/ vñ ſprachen zu jm: Warumb teuffeſt du denn/ ſo du nit Chriſtus biſt/ noch Elias / noch ein Prophet?
26. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰωάννης, λέγων, ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδα-	Reſpondit Jouchanō, & dixit eis, Ego baptizo in A-	Johannes antwortet jhnen / vnd ſprach: Jch tauffe

τι. μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.	qua, ſed inter vos ſtat ille, quem vos neſcitis.	mit Waſſer / Aber er iſt mitten vnter euch getretten / den jhr nicht kennet.
27. αὐτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.	Ipſe eſt, qui ponè me venit, & fuit ante me: is (*inquā*) cujus non ſum dignus qui ſolvam corrigias calceamentorum.	Der iſts der nach mir kommen wird / welcher vor mir geweſen iſt / deß ich nicht werth bin / dz ich ſeine Schuhriemen aufflöſe.
28. ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾶ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων.	Hæc in BethAnio facta ſunt trās Jourdenon, ubi baptizabat Iouchanō.	Diß geſchach zu Bethabara / jenſeit deß Jordans / da Johannes täuffet.

Homilia.

Ad operū diviniorū cognitionem opus eſt præparatione.



QUùm Deus Iſraelitas per Jordanem deducturus eſſet in terram Canaan, hoc ipſis per Joſuam præceptum dedit: *Sanctificamini Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, Joſuæ 3. v. 5. Innuitur his verbis, præparanda eſſe corda, quoties manifeſtatur Dei gloria, & contingunt mirabilia. *Chariſſimi*, appropinquat dies Nativitatis Domini, dies feſtus & honorabilis, ille nimirum dies, quo inter nos mirabilia fecit Altiſſimus. Admiranda eſt *Patris benignitas*, qui filium ὁμοούσιον cœlo demittit ad lapſos homines. Admiranda eſt *Filij humilitas*, qui luteum intrat corporis humani ergaſtulum. Admiranda eſt *Unionis ſublimitas*, ob quam Deus in carne manifeſtatur, & caro in Deo exaltatur. *O magnum pietatis myſterium!*

In nativitate Chriſti multa ſunt admirabilia.

sterium! Quis unquam talia vel vidit, vel audivit? Quare quùm hæc arcana proximè ſimus cognituri, moneamus nos invicem & repetamus Joſuæ vocem: *Sanctificamini.* Audietis mirabilia quæ fecit nobis Dominus.

Gentilium antiſtites ſacra tractaturi, altâ voce clamabant: ἑκὰς ἑκὰς ἔςε βέϐηλοι, *Proculô procul esto profani.* Sublimiora ſacra tractabimus: Non alicujus idoli, ſed ipſius Jehovæ feſtum celebrabimus. Procul igitur ſint profani, procul ſint porci Epicurei, & omnes impij. Sanctificatione opus eſt: Animos præparate, ut intret Rex gloriæ· Obviam ite, ut accipiatis dona gratiæ. Viam ſternite, ut audiatis tanta myſteria cum devotione.

Ignoras verum præparandi modum? *Ecce* ſuccurrit iterum ſancta mater Ecclesia. Monet enim hac Dominicâ, ut viam pares Domino; & docet, quî parare debeas. Ad hunc ſcopum dirigemus ἐξήγησιν hodierni Evangelij, quod aliâs *duabus* conſtat partibus, quarum *prior* eſt Phariſæorum legatio: *à verſ. 19. uſque ad 26. Poſterior* Johannis de Chriſto teſtificatio, *verſ. 26. 27. 28.* Verùm nos agemus *de ſalutari præparatione ad feſtum inſtans,* quam docet Johannes *1. ſuo Exemplo, 2. Verbo & præcepto.* *Partes Evangelij.*

Poſterius alij tempori reſervabimus: prius autem paucis conſiderabimus. CHRISTUS JESUS, *qui in medio noſtrûm ſtetit, ſuâ nobis gratiâ etiamnum clementer adſiſtat,* Amen. *Propoſitio.*

TRACTATIO.

UTi Samuel Eliab ungere volebat in regem, neglecto David, 1. *Sam.* 16. *v.* 16. Sic Pharisæi Baptistæ detulerunt Messiæ honorem, spreto Dei filio. Erat enim Johannes ex sacerdotali genere, & vivebat asperè: Christus verò dicebatur fabri filius, & potator vini, *Matth.* 11. *vers.* 19. Sed Johannes, qui noverat, Deum juxta hominis intuitum non judicare, 1. *Samuele.* 16. *v.* 7. recusabat ex humilitate, quod offerebant Levitæ ex animi cæcitate. Proponitur ergò in hoc Evangelio *exemplum*, quod imitemur: *speculum*, quod intueamur. Vis Christo viam parare? Christi præcursorem sequere. Illius actio tua sit instructio. Ipse missus est ad parandas vias, & dandam scientiam, *Luc.* 1. *vers.* 67. Ipsum igitur si æmuleris, in præparando non errabis. Multa verò sunt, quæ suo nos exemplo docet: quibus positis festum instans dignè celebrabimus. Præcipua breviter attingemus.

Johannes Baptista exemplum præbet rectæ præparationis.

Præparare nos possumus.

I. Sui ipsius agnitio. Johanni hæc quæstio proponebatur, *tu quis es?* Non succensebat propterea, sed in seipsum mox descendebat, probans se & examinans. Primum hoc requisitum est in salutari præparatione. Ut enim cognoscenda est via, quam parare volumus: sic nos ante omnia explorare debemus. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate*, inquit Apostolus, 2. *Corinth.* 13. *vers.* 5. *Si nosmetipsos dijudicamus, non judicamur à Domino*, 1. Cor. 11. vers. 31. Sed proh dolor! *Multi multa sciunt & seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, & seipsos deserunt*, uti Bernhardus

1. Per agnitionem nostri.

dus conqueritur *lib. de Anima, cap. 1.* Ad aliorum examen prompti, ad noſtrum tardi ſumus. Feſtucam proximi videmus facilè: ſed trabem propriam agnoſcere nolumus, *Matth. 7. verſ. 3.* Morus hic mos eſt, *ô amici.* Mittamus quæſtiones de perſona tertia: *Quis eſt iſte aut ille?* Teipſum inſpice & quære, *Tu quis es?* Relinque *cætera, & teipſum diſcute: per te curre, & in te conſiſte. A te incipiat cogitatio tua, & in te finiatur: nec fruſtrà in alia diſtendaris te neglecto,* Juxta Bernhardi monitum, cap. 6. Meditat. Apud Turcas Torlacis, qui inſtar religioſorum apud eos habentur, ſolenne eſt, ſpecula geſtare in manibus, & obviantes hortari, ut ſe intueantur, & visâ fragilis corporis imagine, vilis ſuæ conditionis recordentur. *Ecce!* hi barbari nôrunt, quantum in agnitione ſui ſit poſitum; Et nos Chriſtiani eam negligemus?

Sunt autem inprimis 4. ratione quorum examen debemus inſtituere. Nam 1. *Tu quis es, reſpectu tuæ naturæ?* Terra es, ſuperbire noli. Rationem habes, voluptatem ſperne. Spiritus es, cœleſtia quære. Pollutus es, veniam à Deo precare, & ita vive, ne dici poſſit: *O ſuperbe, quàm degenerâſti!* Non es terra humilis: ſed ventus tumeſcens. Non es homo ratione utens, ſed beſtia malè vivens. Non es ſpiritus, quærens cœleſtia, ſed caro ſapiens terrena. 2. *Tu quis es, reſpectu divinæ gratiæ?* Beneficia quamplurima accepiſti & corporalia & ſpiritualia. Quid enim habes quod non accepiſti? *1. Corinth. 4. v. 7.* Agnoſce igitur, gratias age, & cum Jacobo fatere ex *Geneſ. 32. verſ. 10.* Domine minor ſum

cunctis miserationibus tuis. 3. *Tu quis es respectu officij?* Pastor es? Ergo clama cum Johanne, ne cesses, *Esai. 58. vers. 1.* Magistratus es? Ergò justè impera, nec recedat à te volumen Legis, *Deut. 17. vers. 19.* Subditus es? Ergò Magistratum cole, & obtempera, *Rom. 13. v. 1. 7.* Pater es? Educa filios in fide & pietate. *Ephes. 6. v. 4.* Filius es? Honora parentes, ut sis longævus super terram, *Exod. 20. v. 12. &c.* Tandem 4. *Tu quis es respectu vitæ?* Hîc teipsum examina, num in bono ambules, & legem Domini observes? Num vivas erga Deum piè, erga proximum justè, erga teipsum castè? Si fit, alacriter pergas: si non fit, maturè corrigas. Nam *cogita quis sis?* Christianus es, & te esse profiteris. Christum ergò imitare, ut vivas piè, & lux tua luceat coram hominibus, *Matth. 5. v. 16.* Nam, ut *Ambrosius* inquit, *Mendacium est, Christianum se dicere, & opera Christi non facere.*

Lacedæmoniorum Rex Pausanias, quùm à Simonide Philosopho Regulam vitæ petiisset, hanc accepit: *Hominem te esse memento.* Idem & tibi esse dictum existimes. Vive igitur, ut homo, non ut bestia: Vive ut Christianus, non ἄθεος & Epicureus. Retine fidem bonámque conscientiam. Sic optimè præparatus eris, & cum tempore accipies justitiæ coronam, *2. Tim. 4. v. 8.*

2. Per veram humilitatem. II. Humilitatis sectatio. Messiæ honor Baptistæ offerebatur, sed recusabat, expressè dicens: *Non sum ego Christus, v. 20.* Pergunt, *An sit Elias?* Nimirum Thesbites & redivivus. Sed iterum negat. *An sit Propheta?* Negat vicissim, quia non Christum venturum prædicebat, sed jam venisse

nisse dicebat. *Quid ergò tandem esset*, interrogant. Hìc clarê profitetur: *Vox sum, prætereaque nihil. Non honores affecto, non alta cogito. Delectat me mea humilitas. Sufficit me vocem esse, quâ paro viam Salvatori meo.* Imitamini, *fratres charissimi.* O quàm pulcra virtus est humilitas?

Trita beat, damnat corda superba Deus.

Vel nullum, vel difficilimum iter est super montes: Ita non intrabit cor vestrum Immanuel, si montis instar tumescat, & elatum sit. Humilietur hic collis, ut complanetur via. Dominus dispergit superbos, & exaltat humiles, *Luc.* 1. *v.* 51. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, in cœlo & in terra? *Ps.* 113. *vers.* 6. Humiliamini ergò sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, 1. *Pet.* 5. *vers.* 6. Johannem cogitate: Major hoc non surrexit inter natos mulierum, *Matth.* 11. *v.* 11. Et tamen nil se, nisi vilem voculam esse dicebat. Si maximus hominum ita se humiliat, quam ob caussam tu superbies? Offerebatur ipsi magna dignitas in *Messiæ*; magna authoritas in *Eliæ*; magna sanctitas in *Prophetæ* titulo: Sed honores hos omnes respuit. Et nos rapiemus etiam illos qui non offeruntur? Non hoc est Christo præcurrere cum Baptista, sed Christo adversari cum Satana. Ipse Immanuel noster, quantoperè se dimittit? E cœlo venit, luteam carnem assumit, & in illa obambulat. *Erubesce igitur superbe cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas?* Bernhard. Homil. 1. in Fest. Annunc. Si omninò magnus esse velis, nullum est commodius medium, quàm humilitas. Johannes putabat se minimum esse, & tum

erat maximus. Quare *si humilis es, quisquis es, magnus es*, ait Bernhard. l. d. Et pulcrè Gregorius: *Magnum est, honorem non appetere; majus oblatum respuere; maximum, de habito non superbire.*

3. Per Christi venerationem. III. Solius Christi veneratio. Uti quis de se humiliter sentire: sic contrà Christum magnifacere debet. Johannes iterum nobis exemplo præit. Nam Christum extollit: se coram Christo prosternit. In baptizando, ait, se non nisi aquam effundere, Christum virtutem addere. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, *1. Cor. 3. vers. 6.* Summam hanc Christi dignitatem considerans Baptista, se indignum autumat, qui solvat corrigiam calceamenti. Vilissimum hoc est officium, & tamen illo se indignum fatetur Johannes. Tanta nimirum Salvatoris est majestas, ut ad ipsum vix accedere digni simus. Quare ipsum solum evehamus: nos verò submittamus. *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus*; ait ipse apud Jerem. cap. 6. vers. 24. Dicamus cum Abrahamo ex Genes. 18. v. 27. *Ecce ausus sum loqui ad Dominum meum, quùm sim pulvis & cinis*: cum Davide ex Psalm. 115. v. 1. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: Cum Centurione ex Matth. 8. v. 8. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Excepturi principem, magnâ cum reverentia expectamus; Rex regum veniet; Ergò cum devotione ipsum præstolemur. Festo appropinquante purgantur plateæ, mundantur conclavia, lavantur utensilia: Si externæ mundiciei adeò studemus, cur internam negligimus? Si Christum venerari volumus;

mus, corda potiùs purgemus, ut nostram reverentiam hoc ipso testatam faciamus.

IV. Mutua Commonitio. Johannes vox erat, semper ingeminans, *Dirigite, Parate viam Domini.* Ministris quidem hoc inprimis competit; ab aliis tamen prorsus negligi non debet. Omnes clamantes simus, ut festum dignè celebremus. Proximus proximum admonet, ut quivis suum officium faciat. Ingrediente Principe fit clamor, ut reverenter excipiatur: Clamemus ergò & nos, ut parati sint singuli. Clamemus cum Psalte, ex Psalm. 24. v. 7. *Attollite, ô portæ capita vestra, Introibit Rex gloriæ.* Clamemus cum populo ex Esa. 2. v. 3. *Venite ascendamus ad montem Domini.* Ex Oseæ 6. v. 1. *Venite, & revertamur ad Dominum, &c.*

4. Per mutuam admonitionem.

Acclamare autem solemus 1. *Surdos.* 2. *Dormientes.* 3. *In tumultibus constitutos.* 4. *Longe distantes.* Omnia hæc in peccatoribus concurrunt. (1.) *Surdi* sunt, quia verbum Domini non audiunt, sed instar aspidis aures obturant, *Psal. 58. v. 5.* (2.) *Dormiunt*, quia in lecto voluptatis suaviter cubant, instar Simsonis in gremio Dalilæ dormientis, *Iud. 16. v. 19.* Dalila est carnis concupiscentia, cui dediti privantur virtute, & traduntur Satanæ. (3.) In *tumultibus* mundi versantur, & præ strepitu ejus nil audiunt. (4.) *Longè sunt* à Deo, quia peccata inter homines & Deum dividunt, *Esa. 59. v. 2.* Ergò clamandum est, ut isti resurgant.

Peccatores excitandi sunt.

Exaltanda est vox, ut tuba, *Esa. 58. vers. 1.* quò audient. Clamare autem possumus varijs tubis,

 (1.) pro-

(1.) promittendo gloriam, ut amore boni ipſos attrahamus. (2.) Comminando pœnam, ut timore mali ipſos retrahamus. (3.) Docendo velocem mundi tranſitum, ut ab illo avellamus. (4.) In memoriam revocando mortem, ut ad præparandum excitemus. (5.) Exaggerando Dei judicium, coram quo omnes ſiſtemur, ut omnium rationem reddamus, &c. Hoc pacto ſi cum Johanne clamemus, & nos invicem admoneamus, via rectè præparabitur, & feſtum inſtans dignè celebrabitur.

5. Per ingenuam confeſſionem.

Tandem V. **Ingenua Confeſſio.** Non negavit Johannes, ſed confeſſus eſt, non tantùm quis ipſe ſit, ſed inprimis, quis Meſſias ſit. *In medio*, inquit, *veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe poſt me venturus eſt*, ratione humanitatis, & prædicationis, *qui antè me factus eſt*, ratione divinitatis. *Chariſſimi*, Chriſtus etiamnum ſtat in medio noſtri. Inter nos eſt (1.) per ſuam omnipræſentiam, (2.) per verbi efficaciam. (3.) Per donorum κοινωνίαν, (4.) per pauperum indigentiam, quibus quùm benefacimus, Chriſto ipſi benefacimus, *Matth. 25. verſ. 40.* Quare non imitemur Phariſæos, qui ipſum neſciunt, ſed Baptiſtam, qui ipſum confitetur. Cur negabimus illum, qui ſtat in noſtri medio? Non ſufficit velle intus credere: Oris confeſſione demonſtranda eſt fides, ſi præcurſorem ſequi, & Chriſto viam parare volumus. Nam corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem, *Rom. 10. verſ. 9.* Qui negaverit Chriſtum, negabitur à Chriſto, *Matth. 10. verſ. 33.* Quare parati ſemper ſimus rationem fidei reddere cuivis petenti, *1. Pet. 3. v. 15.* Tales con-

feſſores

feſſores fuerunt Danielis ſocii, *cap. 3. v. 18.* Daniel ipſe, *cap. 6. v. 10.* Eleazar, *2. Maccab. 6. v. 18.* ſeptem fratres, *2. Macc. 7.* Apoſtoli, *Actor. 4. v. 8. 19.* Confitemur autem Chriſtum 1. *Ore*, ſi profiteamur fidem. 2. *Opere*, ſi ipſum diligamus, proximo benefaciamus. Ut enim quædam negatio fit factis, *Tit. 1. v. ult.* ſic & quædam confeſſio. Proinde omnia membra hîc concurrant, ſi verè parati eſſe volumus. *Cor* credat, *lingua* dicat, *manus* benefaciat. Diligamus Chriſtum *corde*, confiteamur *ore*, & utrumque teſtemur *opere*. *Cor* ſeipſum cognoſcat, & ſit humile: *Lingua* Chriſtum veneretur, proximum hortetur, & fidem fateatur, quæ ſi *bonis operibus* confirmetur, nihil præparationi noſtræ deerit, ſed cum gaudio Chriſtum venientem expectare poſſumus, & cum Eccleſia dicere ex Cant. cap. 7. v. 11. *Veni dilecte mi, Veni & commoremur.* Ita fiat! dicamus omnes, Fiat, Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Luc. 2. à verſ. 33. usq; ad verſ. 41.

De parentum Chriſti admiratione & Simeonis Hannæq; concione.

v. 33. Καὶ ἦν Ἰωσὴφ, καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ.

J Auſeph autem & mater ejus mirabantur ſuper iis, quæ dicebantur de eo.

VNd ſein Vatter vnd Mutter wunderten ſich deß / das von jhm geredt ward.

34. καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Συμεὼν, καὶ εἶπε πρὸς Μαριὰμ τὴν μητέρα αὐτοῦ, ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον.

Et benedixit eis Schemeoun, & dixit Mariam, matri ipſius, Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſroiel & in ſignũ contradictionis.

Vnnd Simeon ſegnet ſie / vnnd ſprach zu Maria ſeiner Mutter: Sihe / dieſer wird geſetzt zu einem Fall vnnd Aufferſtehen vieler in Jſrael / vñ zu einem Zeichen / dem widerſprochen wird.

35. καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία· ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.

Cæterùm animã tui ipſius trajiciet lancea, ut revelentur cogitationes cordium multorum.

Vnd es wird ein Schwert durch deine Seele dringen / auff das vieler Hertzen Gedancken offenbar werden

36. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις θυγάτηρ Φανουὴλ ἐκ φυλῆς Ἀσήρ, αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς ζήσασα ἔτη μετ᾽ ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς.

Porrò Channo Prophetiſſa filia Phanuil de tribu Aſchir & ipſa erat decrepita diebus, annisq; ſeptem cũ marito ſuo vixerat à virginitate ſua.

Vnd es war eine Prophetin Haña / eine Tochter Phanuel / võ geſchlecht Aſer / die war wol betaget / vnd hatte gelebet ſieben Jahr mit jhrem Manne / nach jhrer Jungfrawſchafft.

37. Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι

Et erat vidua quaſi annorum octoginta & quatuor, nec deſcedebat à templo: ſed jejunio & oratione

Vnd war nu eine Witwe bey vier vnd achtzig Jahrẽ / die kam nimmer vom Tempel / dienet Gott mit faſten

λατρεύ-

λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν.

colebat (*Deum*) die nocteq;.

vnd beten Tag vnd Nacht.

38. Καὶ ἄυτη ἀυτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα, ἀνθωμολογεῖτο τῷ κυρίῳ, καὶ ἐλάλει περὶ ἀυτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ.

Quin etiam ipsa surrexit ea ipsa hora, & gratias egit Domino, ac loquebatur de eo cum quolibet præstolante redemtionem ipsius Ourischlem.

Dieselbe trat auch hinzu zu derselbigen stunde / vnnd preisete den HErren / vnd redete von jhm / zu allen / die da auff die Erlösung zu Jerusalem warteten.

39. Καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ μετὰ τὸν νόμον κυρίου, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν γαλιλαίαν εἰς τὴν πόλιν ἀυτῶν Ναζαρέθ.

Quumque perfecissent omnia secũdum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in Nozerath civitatem suam.

Vnd da sie es alles vollendet hatten / nach dẽ Gesetz deß HErrn / kereten sie wider in Galileam / zu jhrer stadt Nazareth.

40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας, καὶ χάρις θεοῦ ἦν ἐπ᾽ ἀυτῷ.

Puerulus autem crescebat, & corroborabatur spiritu, ac replebatur sapientia, & gratia Dei erat super eum.

Aber das Kind wuchs / vnd ward starck im geist / voller Weißheit / vnd Gottes gnade war bey jhm.

Homilia.



REx David, in spiritu considerans beneficia N. Testamenti, *Psalm. 46.* cũctos ad piam attentionẽ excitare voluit, partim suis, partim ipsius Dei verbis. vers. 9 & 11. *Venite & videte opera Domini. Venite & videte, quoniam ego sum Deus. Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Quæ ad-

monitio

monitio licet omni tempore, cumprimis tamen præſente nos extimulare debebat, ad ſeriam divinorum operum meditationem,& devotam gratiarum actionem. Eo enim tempore jam vivimus, quo Eccleſia recordatur ſummè admirandi operis, cui ſimile quid nemo vidit, vel viſurus eſt; nemo audivit, vel auditurus eſt. Novum enim creavit Dominus: fœmina circundedit virum, *Ierem. 31. v. 22.* Rorârunt cœli deſuper, & è nubibus deſcendit juſtitia, *Eſa. 45. v. 8.* Venit ex Sion ſalutare Iſraël, *Pſalm. 14. v. ult.* & virgo peperit Immanuelem, *Eſa. 7. v. 14.* Parvulus natus eſt nobis, & filius datus nobis, *Eſa. 9. v. 6.* Egreſſus eſt ex Bethlehem Dominator in Iſrael, *Mich. 5. v. 2.* & venit deſideratus cunctis gentibus, *Hagg. 2. v. 8.* Verbum caro factum, *Iohan. 1. v. 4.* & Deus in carne manifeſtatus eſt, *1. Timoth. 3. v. ult.* dum ſemen Abrahæ, non Angelos aſſumſit, *Ebr. 2. v. 16.* Venite igitur & videte opus tam admirandum: Venite & videte, quoniam ipſe eſt Deus.

Nativitas Chriſti admiranda & piè conſideranda eſt.

Verùm, *quis credit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt?* Eſa. 53. v. 1. Major pars conſurgit ad potandum, & pauci reſpiciunt opus Domini, *Eſa. 5. v. 12.* Sapientia clamat in plateis, ſed renuunt: extendit manum, ſed nemo eſt, qui adſpiciat, *Prov. 1. v. 24.* Ut enim tempore Nativitatis Chriſti ſecurus erat Rex Herodes, & clerus Hieroſolymitanus, non conſiderans opus tam mirabile: Ita multi Judæos pertinaces hodiè imitantur, nec attentione debitâ tam ſublimem fidei articulum perpendunt.

Sed plerique negligunt.

Interim tamen ſemper aliqui reperiuntur, quos Davidis monitum ſtimulat, ut opera divina piè adſpiciant,

Pauci hoc divinum

ſpiciant, & dignè concelebrent. Nato Iſaac quidam gaudebant, ut Sara & Abraham : quidam irridebant, ut Hagar & Iſmael, *Geneſ. 12. verſ. 1.9.* Idem nato Meſſia, cœleſti Iſaaco, contigit. Judæi parvipendunt, Phariſæi ſpernunt, Herodiani illudunt & indignantur. Sunt tamen nonnulli, qui vacant & vident, qui ſublimitatem facti mirantur, & bonitatem Dei prædicant. *opus dignè contemplantur:*

Exemplum unum & alterum proponit hodiernum Evangelium, quo introducuntur 1. *Parentes* Chriſti admirantes, 2. *Simeon* vaticinans, 3. *Hanna* ſuam de Jeſulo Confeſſionem edens. Hi omnes vacant & vident, ſuoq; exemplo ad imitandum nos invitant.

Partes Evangelii ſunt quatuor: *Prima* deſcribit parentum Chriſti admirationem, verſ. 33. *Secunda* Simeonis vaticinium, verſ. 34. 35. *Tertia* Hannæ vitam & confeſſionem, verſ. 36. 37. 38. *Quarta*, Parentum reverſionem, & Jeſuli profectus, verſ. 39. 40. *Partes Evangelii.*

Nos poſtremas duas partes alii tempori reſervantes dicemus 1. De *Parentibus Chriſti admirantibus*, & 2. De *Simeone vaticinante*. Adſit autem nobis Immanuel, *ut rectè vacemus, & attentè videamus hæc opera, ad ipſius gloriam & ædificationem noſtram*, Amen. *Propoſitio bimembris*

PARS I.

De Parentum Chriſti admiratione.

PArentes Chriſti multa præclara de filio ſuo audierant, à *Gabriele* ante conceptionem; ab *Eliſabetha & Angelo*, poſt conceptionem; à *Paſtoribus & Magis*, poſt nativitatem, à *Simeone*, poſt præ-

ſentationem

ſentationem in templo. Hæc omnia fideli corde conferentes, non poterant non admirari tantam rei ſublimitatem, & tot teſtium unanimem conſenſum. Ita enim Lucas Evangeliſta refert: Et erant Pater ejus, & Mater ejus mirantes. Patrem aliâs in terris nullum Meſſias habuit, quoniam ἀπάτωρ eſt quoad humanitatem, ſicut ἀμήτωρ quoad divinitatem, *Ebr. 7. verſ. 3.* Joſephus tamen pater Chriſti vocabatur *tum* ratione communis opinionis, *Luc. 3. v. 23. tum* ratione deſponſationis, quia mater Chriſti Joſepho deſponſata erat, *Matth. 1. v. 18. tum* ratione adoptionis & curæ, quia matris filiique cuſtos & nutritius eſſe debuit. Unde in hymno quodam vocatur *Pater curæ, non naturæ.* In vetuſtis codicibus & verſione Syriaca non habetur vocabulum πατὴρ, ſed Ιωσὴφ: ſed non opus eſt hac textus immutatione, quia Joſeph & alibi pater Chriſti nuncupatur, uti notum eſt ex *Matth. 13. verſ 55. Marc. 6. verſ 3 Luc. 4. verſ. 22. & verſ. 27.* hujus *cap.* 2. plurali numero vocantur γονεῖς vel *parentes*, & Maria ipſa Joſephum appellat patrem, *verſ. 48.* Hic ergò pater putativus, deſponſatus & adoptans, Materq; Domini Maria, ἦν θαυμάζοντες, *Erant mirantes*, hoc eſt, mirabantur. Eſt enim Idiotiſmus Hebræis & Syris uſitatus, ut imperfectum efferatur per participium & verbum ſubſtantivum. Unde Lutherus rectè vertit: Sein Vatter vnd Mutter verwunderten ſich. Hîc autem explicandum venit, *quid* ſit Admiratio, *quot* ejus ſpecies, & *qualis* fuerit parentum Chriſti.

Quo ſenſu Ioſephus dicatur Pater Chriſti.

Quid ſit admiratio

Admiratio eſt quædam animi commotio, orta ex rebus à communi vitæ & naturæ curſu alienis, viresque

viresque & captum hominis tranſcendentibus, quas quum intelligere ſatis haud poſſumus, *admirari dicimur.*

Fit hoc non eodem ſemper modo, ſed diverſis. Et ſi exempla omnia diligenter percurramus, quatuor inprimis ſpecies admirationis occurrunt. Datur enim. *Quadruplex datur admiratio*

I. *Admiratio infidelium*, qui videntes miracula,& audientes magnalia Dei, obſtupeſcunt quidé, ſed aſſenſum non præbent, vel ſi maximè convicti ſint, in ſua tamen infidelitate contumaciter perſiſtunt. Talis fuit admiratio Magorum Pharaonis, quum pediculos producere non poſſent, *Exod. 7. v. 16.* & Bethlehemitarum,qui Chriſti nativitatem mirabantur, ſed Chriſtum non venerabantur, *Luc. 2. v. 18.* Longè alia fuit parentum Chriſti admiratio, quippe qui omnia fideli corde aſſervârũt, cum ſcripturis contulerunt, & inde πληροφορίαν fidei hauſerunt. *Imitemur* hoc exemplum, ne admiremur opera Domini ex infidelitate, ſed potiùs cum aſſenſu fideli, obedientia & gratitudine. Dedecus eſt ſublimitatem fidei agnoſcere, & aſſentiri nolle. Nefas eſt vim verbi ſentire, & obedientiam denegare. Gentile & Phariſaicum eſt,ad Dei magnalia obſtupeſcere, & nihilominus antiquos errores defendere. *Hodiè ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, Pſalm. 95. v 8. Auditis utique per Dei gratiam, & videtis lucem Evangelii divinitus accenſam. Sic igitur audiatis, ne obdurentur corda, & ita videatis, ut deponatur ἀπιστία. *1. Infideliũ*

Tres ſunt infidelis admirationis & notæ & cauſſæ. 1. *Epicuræa ſecuritas*, quũ opera Dei non curant, nõ mirantur homines, & religionem pro indifferente habent. *Tres notæ & cauſæ infidelis admirationis.*

habent. 2. *Calviniſtica temeritas*, quum quis ita miratur myſteria, ut ſimul metiri velit rationis ſuæ decempedâ. Et tandem 3. *Papiſtica cæcitas*, quum vis Evangelii cum ſtupore animadvertitur, in ſcripturam tamen & ὀρθοδοξίαν fidei non inquiritur, ſed in antiqua ſuperſtitione permanetur. Removete hæc obſtacula, & infidelitatis ſigna. Abſit *ſecuritas*, & cum Maria conſervemus omnia. Abſit *temeritas*, & cum parentibus Chriſti miremur, non rimemur: Abſit *cæcitas*, & cum matre Domini conferamus quæ dicta ſunt, *Luc.* 2. 19. cumque Berhoënſibus ſcrutemur quæ ſcripta ſunt, *Actor.* 17. *verſ.* 11. Sic fides magis magisq; augebitur, & certitudo in animis noſtris indies confirmabitur.

2. Ignorantium.

II. *Admiratio ignorantium*, quum quis obſtupeſcit, quia myſteria fidei ignorat, & in rebus divinis inexpertus eſt, vel quia nondum in agnitione Chriſti profecit, uti debuit. Talis fuit admiratio Phariſæorum, *Actor.* 4. *verſ* 19. & diſcipulorum Chriſti, *Marc.* 6. *verſ.* 17. Illi enim mirabantur Petri eloquentiam, quia ignorabant dona S. Spiritus; hi Chriſtum, ſuper mare ambulantem, quia parùm ex aliis miraculis profecerant. Sunt autem hi admiratores in duplici differentia. *Quidam* pigri ſunt, & inquirere nolunt, quæ neſciunt, exemplo Judæorum, *Marc.* 6. *v.* 23. *Quidam* induſtrii ſunt, & ſedulò indagant, quæ ignorant, exemplo Magorum, *Matth.* 2. *v.* 2. & Mariæ, *Luc.* 1. *v* 34. Hos æmulemur, & ſi maximè primùm admiremur ex ignorantia, facilè tamen perveniemus ad veritatis agnitionem, ſi debita adhibeatur diligentia.

Ut

Ut enim Admiratio Philosophiam peperit, ita viam ad fidei cognitionem sternit.

III. *Admiratio invidentium*, quum quis stupet ad felicitatem & dona proximi, quæ invidet, & quibus illum indignum reputat, qualis fuit Herodes, *Matth. 2. v. 3.* Pharisæi & Herodiani, *Matt. 22. v. 22. Luc. 20 v. 26.* Tales multi hoc tempore inveniuntur; ubi nullum frequentius est vitium quàm invidia. Floret aliquis, & à Deo præclaris donis est præditus? Mox adstant malevoli, qui succensent, invident, insidiantur. Morus hic mos est hujus seculi, longè recedens à simplicitate parentum Christi, qui mirabantur eximias pastorum & Simeonis conciones, non invidendo, sed congratulando. Si mirari vis fortunam proximi, ne invideas, sed Dei bonitatem potius extollas. Secus si fiat, & Deum, & proximum, & teipsum lædes. (1) *Deum*, quia ejus voluntati resistunt, & opera petulanter improbant, ut vinitores illi murmurantes, *Matth. 20. v. 11.* digno responso excepti, *v. 14.* (2) *Proximum*, quem debebant diligere, *Levit. 19. v. 18. Ioh. 13. v. 35.* sed invidendo oderunt, & caritatem perdunt, siquidem juxta veteres: *Invidia est toxicum charitatis, & ostium iniquitatis.* (3) *Teipsum*, quia cor perpetuo dolore afficitur, & corpus affligitur, siquidem invidia est *putredo ossium*, Prov. 14. v. 30.

3. Invidentium.

Dehortatio ab Invidia.

Iustius invidiâ nihil est, quia protinus ipsum
Autorem torquet, discrutiatq; suum.

IV. *Admiratio credentium*, quum opera divina & mysteria fidei miramur, mirando meditamur, meditando assentimur & credimus. Ita miratur populus, *Marc. 12. v. 12. cap. 7. v. 37.* & Sergius, *Act. 13.*

4. Credentium.

verf.12. de qua ipſa etiam admiratione Salvator loquitur, *Ioh.5.v.20.*

Et tales quoque admiratores fuerunt parentes Chriſti, qui non ex ἀπιςίᾳ, non ex ignorantia, vel invidia, ſed ex verâ ardentique fide admirati ſunt illud ὁμολογουμένως μέγα μυςήριον, quòd Deus erat in carne manifeſtatus.

Fidelis admiratio conſiſtit in tribus.

Conſiſtit hæc admiratio 1. *In attenta myſteriorum conſideratione.* Ut enim aromata preſſa odoré fragrantiorem exhalant: Sic opera Dei diligenter conſiderata, majorem in animis noſtris lætitiam gignunt. 2. *In fideli aſſenſu.* Nec enim ſufficit myſteria conſiderâſſe: ſed opus eſt, ut firmâ fide amplectamur, licet omni rationi videantur abſona. 3. *In devota celebratione.* Quis enim non extolleret Deum tam magnum & bonum, qui facit mirabilia ſolus, & revelat illa fidelibus? Magnificet ergò anima noſtra Dominum, *Luc.1.v.46.* & benedicamus Deo, qui fecit redemtionem plebi ſuæ, *v.68.*

Atque in his omnibus ſuo nobis præluxerunt exemplo parentes Chriſti, quos verâ fidelique admiratione imitari convenit. Omnia enim in Chriſto magna ſunt, & quocunque reſpicias, admirandi cauſam invenies, Unde *admirabilis* dicitur, *Eſa 9.v.6.*

Chriſtus verè eſt admirabilis multiplici reſpectu.

Verè admirabilis eſt, reſpectu (1) *Perſonæ*, quæ conſtat ex infinito & finito. (2) *Nativitatis*, quæ duplex, æterna ſine matre, temporalis ſine patre (3) *Officij*, quo docuit, ut Propheta, ſatisfecit ut Sacerdos, regnat ut Dominus. (4) *Exaltatæ carnis*, quæ ſedet ad dexteram patris. (5) *Regni*, quod adminiſtrat inter omnes per potentiam; inter fideles, per gratiam, inter beatos per gloriam;

inter

inter damnatos per justitiam (6) *Doctrinæ*, quæ rationem superat, piis vitæ, infidelibus mortis odor est. (7) *Operum*, ad quæ natura sæpius stupescit, quorum caussæ nonnunquam occultæ, nunquam injustæ sunt. Quæ si non omnia, tamen aliqua procul dubio consideràrunt Christi parentes, & ob id mirati sunt. Accesserunt multa singularia ante & post nativitatem admirationis plena ut (1) apparitio Gabrielis Archangeli, Zachariæ & Mariæ facta. (2) Exultatio Johannis in utero. (3) Elisabethæ benedictio. (4) Zachariæ primùm muti, pòst ex improvisò loquentis concio. (5) Mariæ virginis partus absque dolore. (6) Angelorum exultatio & hymnus. (7) Pastorum adventus. (8) Magorum cultus. (9) Simeonis cantus Cygneus. Quæ omnia paucis conjungit *Ambrosius*, quum scribit: *Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat.*

Sed Lucas noster aliam admirationis caussam assignat, dum ait: Erant mirantes ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ *super his, quæ dicebantur, vel dicta erant de ipso.* Plurima verò & præclara erant jam olim de illo prolata. Dixerat de illo Deus Pater protoplastis, *Gen. 3. v. 15.* & Abrahamo, *Gen. 12 v 3. c. 22. v. 18.* Dixerat Jacobus *Gen. 49. v. 10.* Dixerat Bileam, *Num. 24. v 17.* Moses, *Deut. 18. v. 18.* Jobus, *c. 19. v 25.* David, *Psal. 2. 8. 16. 22. 40. 41. 68. 110.* Salomon, *Proverb. 8. v. 22. & in toto Cantico.* Esaias, *c. 7 v. 14. cap. 9. v 6. cap 11. v. 1. c 53. v. 2.* Jeremias, *c 31. v. 22.* Ezechiel, *cap 34 v 23* Daniel, *cap 7. v 13. c. 9 v. 25.* Oseas, *cap. 1. v. 7. c. 6. v. 2. c. 13. v. 14.* Joel, *c 2. v 13* Amos, *c. 9. v. 11.* Obadias, *v 21.* Jonas, *cap. 2 v. 1.* Michas, *cap. 5*

Farrago eorumque de Christo dicta sunt.

v. 12. Nahum, *cap. 1. v. 15.* Habacuc, *cap. 2. v. 3. c. 3. v. 18.* Sophonias, *cap. 3. v. 11.* Haggæus, *cap. 2. v. 7.* Zacharias, *c. 9. v. 9.* Malachias, *cap. 3. v. 1.* Post Prophetas dixerat de Christo Gabriel, *Luc. 1. v. 17. 31.* Angelus, *Matth 1. v. 20.* Elisabeth, *Luc. 1. v. 43.* Zacharias, *v. 68.* Angelus, *Luc. 2. v. 10.* Pastores, *v. 17.* Magi, *Matth. 2. v. 2.* Simeon, *Luc. 2. v. 29.*

Et hæc, hæc erant illa eximia, de Jesulo dicta, quæ parentes in summam non immeritò rapuerunt admirationem. Sequamur. *Auditores*, miremur, lætemur, prædicemus. Nunc enim scimus Filium esse incarnatum, Patrem placatum, & in nobis habitare Spiritum S. Nunc disruptæ sunt nubes, & descendit gratia. Nunc caro nostra in λόγον assumta est, & potenter regnat in mundo universo. Nunc Eva acquisivit virum Dominum, & in Abrahamo benedictæ sunt gentes. Nunc Siloh advenit, ut audiamus ea, quæ multi audire voluerunt, sed non potuerunt. Considerate hæc magnalia cum parentibus Christi, & admiramini. Gaudeat mundus in prudentia sua: triumphet ob bona corporis & fortunæ: Miretur opes suas & ædes magnificas: Nos verò *lætabimur in Deo salutari nostro, quoniam lux orta est nobis, & justitia Beatus populus, cujus Dominus est Immanuel*, Psalm. 144. vers. ultim.

PARS II.

De Simeonis benedictione & vaticinio.

LUcas de Simeone duo commemorat, 1. *Benedictionem.* 2. *Prædictionem. Primùm* enim Christo & parentibus junctim benedixit; *pòst* Mariæ

ſeorſum futura prædixit. De utroque pauca ſubjungemus.

I. De Simeonis Benedictione. καὶ ἐυλόγησεν ἀυτοὺς, *& benedixit illis Simeon*, ait Lucas v. 34. *I. Simeon benedicēs.*

Variæ ſunt Benedictionis ſpecies. In genere alia eſt *divina*, quæ conſiſtit in beneficiis Dei, qui dicitur benedicere, quum benefacit, ſiquidem Dei dicere eſt facere, & ita ſumitur *Pſ.* 112. *v.* 2. Alia *humana*, quæ triplex 1. *Sacramentalis*, quâ miniſter benedicit pani in Cœna Domini, dum à vulgari cibo ſegregat, & ad myſticum uſum deſtinat. 2. *Euchariſtica*, quâ benedicimus Deo, *Pſ.* 103. *v.* 1. quum laudamus & gratias agimus. 3. *Votiva*, quâ benedicimus proximo & cibo noſtro, quum precamur, ut hic ſalutaris, illi beati & felices evadant. Hæc iterum vel *privata* eſt, quum alter alteri benè precatur, *vel publica*, cùm viri Dei Sacerdotes, Prophetę, Paſtores, optima vovendo benedicunt piis extraordinariè vel ordinariè, de quo *Num.* 6. *v.* 24. *Benedictionis variæ ſpecies.*

Jam verò quod Simeonis benedictionem attinet, fuit illa *partim* Euchariſtica, *partim* votiva. *Euchariſtica*, reſpectu Chriſti, quem ut Dei filium procul dubio celebravit, & cui pro Adventu in carnem gratias egit. *Votiva* reſpectu parentum Chriſti, quibus bona & temporalia & ſpiritualia ex animo precatus eſt. Imò utraque benedictio ad utrumque objectum, tam Chriſtum quàm parentes referri poteſt. Laudavit *Chriſtum* ut Dei filiū, *Mariam* ut Dei matrem, & *Ioſephum* ut θεοτόκῳ deſponſatum. *Qualis fuerit Simeonis benedictio.*

Benè precatus eſt *Chriſto*, ut perficeret opus redemtionis: *parentibus*, ut fruerentur beneficiis merito Chriſti acquirendis.

Benedicendum Deo & proximo. Laudabile hoc Exemplum & imitatione dignum est. Multa à Christo accepimus, & pluribus indigemus. Benedicamus igitur Christo, grates agendo pro acceptis; Benedicamus nobis invicem, optando illa, quibus opus habemus. Minores sumus miserationibus Dei, *Gen. 32. vers. 10.* Quid est homo, quòd memor es ejus? *Psalm. 8. v. 5.* Benedictum igitur sit sanctum nomen ejus in æternũ, *Dan. 2. v. 20.* Quid enim aliud retribuemus Domino, quàm ut nomen ejus prædicemus? *Psalm. 116. v. 12. 13.* Quia verò bona multa desunt, & mala multa imminent, benedicamus invicem, orantes Dominum, ut largiatur pacem in diebus nostris. Vult enim Deus pro omnibus fieri supplicationes, *1. Tim. 2. v. 1.* Quum Moses oraret pro Israelitis, vincebant hi suos hostes, *Exod. 17. v. 11.* & impetrabant veniam, *cap. 32. v. 34.* Nisi mutuis precibus nos opponamus periculis, pessum ibimus; Precemur ergò unanimes, ut propagetur veritas in Ecclesia, ut vigeat pax & æquitas in politia; ut sit salus & felicitas in Oeconomia. O Domine juva, & da successus prosperos, *Psalm. 118. vers. 25.* Respice servos tuos & opera manuum nostrarum dirige, *Psalm. 90. vers. 16. 17.* Benedic nobis assistendo & opem ferendo. Ita nos vicissim benedicemus nomini tuo, æternum gloriæ hymnum grato pectore decantando.

2. Simeon prædicens. II. De Simeonis prædictione. Solam matrem alloquitur, quia noverat Josephum non esse naturalem patrem Christi, quippe absq; virili semine concepti. Duobus autem membris constat hoc vaticinium: *prius* Christum, *posterius* Mariam attinet.

De *Christo* tria prædicit ordine, nempe quòd sit positus 1. *εἰς πτῶσιν in ruinam*. Dixerat Simeon v. 31. *Christus esse salvatorem ante faciem omnium populorum*: Nunc addit limitationem, *esse unà positum in ruinam multorum*. *Illud* verum est respectu intentionis divinæ, *hoc* respectu perversitatis humanæ: *Illud* loquitur de acquisitione salutis, quæ omnibus parta: *hoc* de applicatione, quam multi negligunt, adeoque æternùm pereunt. Nam πτῶσις vel casus nil aliud quàm animæ interitum, & æternum exitium denotat. Omnes naturâ demersi sumus in luto peccati, nostrisque viribus resurgere non valemus. A DEO autem positus est in Sion & Ecclesia lapis angularis Christus, *Matth.21. v.12. 1.Petr. 2. v. 7.* cujus fidelis apprehensio est spiritualis resurrectio. Sed multorum vitio fit, ut non apprehendant, sed magis impingant, & impingendo cadant pereantque. Atque sic lapis anguli ex intentione divina, fit lapis offendiculi ex perversitate humana, qui dicitur ob id positus in ruinam, non respectu consilii divini, quod aliter describitur, *Ezech.33 v.11. Luc.7. v 30. Matth.23. v.37. 1.Timoth.2.v.4.* sed tantùm respectu 1. *Eventus.* 2. *Occasionis*, quæ non datur per se, sed ab impiis arripitur, per accidens. Sumunt enim occasionem scandali ex Christo & ejus doctrina. Sic Rom. 7. v.8. Lex sancta dicitur *operari omnem iniquitatem*, videlicet occasionaliter, versu 11. Sic Christus venit ad judicium, *Iohan. 9. v. 39.* Sic munera excæcant, *Exod 23.v.8.* non ἐνεργητικῶς, sed ἀφορμητικῶς. Ita igitur & Christus in ruinam dicitur positus, non intentionaliter respectu Dei, non causaliter, respectu nostri, sed tantùm evẽtualiter & occasionaliter,

Quo sensu Christus dicatur positus. 1. In ruinam.

naliter, quia secus si exponatur, Scripturæ universæ contradicitur, & analogia fidei evertitur. Videamus autem ut cautè ambulemus, ne lapis anguli nobis etiam fiat petra scandali. Non amat Christus perniciem nostram, sed venit salvare, quod perierat, *Luc. 19. v. 10.* Hinc suaviter nos invitat, vocatque *Matth. 11. v. 28.* Væ illis, qui culpâ suâ impingunt & pereunt. Nihil enim habent, quod prætendant. Pater diligit, Filius satisfacit, Spiritus sanctus annunciat. Habemus verbum ex quo gignitur; habemus Sacramenta, quibus confirmatur fides. Non negligamus hæc media, ne sequatur ruina. In salutem positus est hic lapis per se & Dei voluntatem, in lapsum ponitur per accidens & nostram incredulitatem. Confundentur omnes, qui allidunt. Potens est lapis iste: Resistentes conterit, apprehendentes erigit. Qui ergò habet aures audiendi, audiat, *Luc. 8. v. 8.* qui verò sordet, sordescat adhuc; *Apoc. 22. v. 11.*

2. In resurrectionem. II. *Εἰς ἀνάστασιν, in resurrectionem multorum.* Uti mors duplex est, corporis & animæ, sic resurrectio datur gemina, tum *Spiritualis* quæ prima; tum *Corporalis*, quæ secunda vocatur, *Apoc. 20. vers. 6. 14.* A Simeone spiritualis ἀνάστασις intelligitur, quum homo in peccatis mortuus, Christo incipit vivere per fidem & pœnitentiam, adeoq; resurgit à tenebris ad lucem, à metu ad spem, à mœrore ad lætitiam, à morte ad vitam & salutem æternam. Hujus resurrectionis caussa *Christus* est, qui ob id dicitur positus εἰς ἀνάστασιν. Unde apparet diversitas utriusque locutionis. Nam positus est Christus *in ruinā* occasionaliter, non caussaliter. In *resurrectionem* verò per modum caussæ,

non nudæ occaſionis. Surge igitur qui dormis, *Epheſ. 5. v. 14.* habes Dominum qui eſt vita & reſurrectio. Ah ſatis dormitum eſt: cur peribis? Ecce præ foribus adeſt ſponſus, ut intret in thalamum: Excluderis cum fatuis virginibus, *Matth. 25. v.* 11. ſi peccati ſomno indulſeris. Chriſtus vita eſt; Vivas cum illo per fidele obſequium, & vives cum illo in æternum. Chriſtus pro te vigilat: & non vigilabis cum ipſo? Dormies ſecurus? Ecce appropinquat hora judicij. Surgite ergò & ambulate, ut filij lucis. Mortuus es in peccatis? ſurge per fidem. Dormis in curſu operum? Surge per pietatem & charitatem. Relapſus es in ſcelera? Surge per pœnitentiam. Ita Chriſtus, qui eſt vita & reſurrectio, *Ioh. 11. v. 25.* te vivificabit per gratiam, & olim cum omnibus beatis reſuſcitabit ad gloriam.

III. Εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, *In ſignum cui contradicitur.* Parentes mirabantur Chriſti encomia, & fortè mundanam ejus gloriam fore opinabantur. Aliud docet Simeon: Erit in mundo contemtus; erit ſignum contradictionis; erit ſcopus, quem omnes certatim petere tentabunt. Erectus eſt per ſe in ſignum ſalutis, ut quæratur, *Eſa. 11. v. 10.* ſed per accidens ponitur in ſignum, cui contradicitur. In Paradiſo contradixit Satanas, *Gen. 3. v. 4.* Etiamnum contradicunt *Diaboli*, multos ſeducendo: *Pagani*, conſenſum denegando: *Tyranni*, fideles perſequendo: *Hæretici*, ſcripturas depravando: *falſi fratres*, ſchiſma excitando: *Hypocritæ*, mandata contemnendo: *Omnes impij*, perverſè vivendo, quibus modis omnibus blaſphematur nomen Domini, & contradicitur

3. In ſignũ contradictionis.

illi, quem audire & ſequi debebant univerſi. Caveamus ab hoc ſcelere, ne incurramus indignationem Domini. Curramus ad illũ, ſed credendo & invocando, non contradicendo & blaſphemando: Qui autem contradixerit in hac vita, illi contradicet Chriſtus in altera, & excludet ab æterna gloria.

Chriſtus ſignum vocatur figuratè, Metaphorâ ſumtâ vel à jaculatoribus, quorum ſignum eſt Scopus, quò tela dirigunt. Sic Chriſtus eſt Scopus noſtræ vitæ: Vel à viatoribus, quorum ſignum erectum in ſilva eſt regula viæ & itineris: Sic Chriſtus eſt via & ductor noſter: vel à militibus, quorum ſignum & vexillum eſt nota, cui adhæreant ſatellites: Ita Chriſtus nobis inſtar vexilli eſt propoſitus, ut ſub illo militemus, quo pertinet locus, Eſa. 11.

De gladio pertranſeunte Mariam.

Auguſtin. philoſophatur ex verbo pertrãſibit, quòd ſcandalũ tẽpore paſſionis Chriſti non ſauciârit animã Mariæ, ſed eã prætererit. Verùm Lucas habet non παρελεύσεται pertranſibit, ſed διελεύσεται penetrabit, trajiciet.

Atque hactenus fuit vaticinium de Chriſto: ſequitur de *Maria* verſ. 35. *Animam tuã pertranſibit gladius.* Notatur mœror, quo afficienda erat mater Domini, quia gladius notat ſæpè tribulationes & dolores, *Pſalm.* 22 *v.* 21. *Pſalm.* 36. *v.* 15. *Pſalm.* 105. *v.* 18. Senſit Maria mœrorem iſtum 1. in fuga. 2. quùm Phariſæi blaſphemarent & perſequerentur Chriſtum. 3. Inprimis tempore paſſionis & mortis, ubi tantus fuit dolor, ac ſi acutus gladius ad intima viſcera penetrâſſet. Ita *typus eſt Eccleſiæ,* cujus animam ſemper gladius pertranſit. In mundo vivimus, ubi preſſuram habemus. In militia ſumus, ubi hoſtes crebrò irruunt. Sed confidite: vicit Chriſtus, *Iohan.* 16. *v. ult.* In illo & nos vincemus. Non erit dolor perpetuus: Tranſibit, & triſtitia vertetur in gaudium, *Ioh.* 16. *verſ.* 20.

Tandem additur uſus conſequens: *Vt revelentur*

tur multorum cogitationes. Ponitur Christus in ruinam, Ecclesia affligitur, ut probati fiant manifesti, 1. *Corinth. 11. vers. 19.* Felicitas plerunque est hypocryseως nutricula: sed quùm veniunt scandala, & pericula premunt, tùm revelantur hypocritæ, & probantur fideles. Non tàm igitur caussa quàm eventus & consecutio notatur. Particula enim *ut* crebrò consecutivè & eventualiter, non perpetuò caussaliter accipienda est, quod patet ex *Iohan. 12. vers. 18.* Nos ergò constantes maneamus, si maximè animam nostram pertranseat gladius. Nec enim sufficit incepisse: pergendum est in cursu, & perseverandum usque ad finem. Ita salvi erimus, *Matth. 10. v. 22.* & coronam accipiemus, *Apoc. 2. v.* 11. Hanc imponat nobis Christus Jesus, & faxit, ut *per ipsum resurgamus, non cadamus, ut sequamur, non reluctemur: Ipsi soli precioso & angulari lapidi Ecclesiæ sit honor & benedictio in æternum,* Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA POST CIRCUMCISIONEM CHRISTI.

Matth. 2. à vers. 13. usque ad fin.

De fuga Christi in Aegyptum & infanticidio Herodis.

V. 13. ΑΝαχωρησάντων δὲ

QUum auté abiissent, apparuit

DAsie aber hinweg gezogen

αὐτῶν

αὐτῶν, ἰδοὺ Ἄγγελος κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσὴφ, λέγων. ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ φεῦγε εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἴσθι ἐκεῖ, ἕως ἂν εἴπω σοι. μέλλει γὰρ Ἡρώδης ζητεῖν τὸ παιδίον, τοῦ ἀπολίσαι αὐτό.

Angelus Domini in ſomnio ipſi Jauſeph, &ait illi: Surge, accipe puerulum & matrẽ ejus, & in Ægyptum fugito, & illic eſto uſque dum dixero tibi: futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum, ut illum perdat.

waren / Sihe / da erſchien der Engel deß HErren dem Joſeph im Traum vnd ſprach: Stehe auff/ vnd nim̃ das Kindlein vnd ſeine Mutter zu dir/ vnd fleuch in Egyptenland / vñ bleibe allda/ biß ich dir ſage. Denn es iſt fürhanden / das Herodes das Kindlein ſucht / daſſelbe vmbzubringen.

14. ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ νυκτὸς, καὶ ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον.

Jauſeph itaque ſurgens, accepit puerum&matrem ejus noctu, fugáq; in Ægyptum contendit.

Vnnd er ſtund auff/vnd nam das Kindlein vnd ſeine Mutter zu ſich bey der Nacht/vnd entwich in Egyptenland.

15. καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδου. ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ Προφήτου λέγοντος· ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

Et fuit illic adusq; mortem Heroudis: ut adimpleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetam dicentẽ: Ex Ægypto vocavi filium meum.

Vnd blieb allda biß nach dem Tode Herodis / auff das erfüllet würde/ das der HERR durch den Propheten geſagt hat / der da ſpricht: Auß Egyptẽ hab ich meinen Sohn geruffen.

16. τότε

16. τότε Ἡρώδης ἰδὼν, ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, ἐθυμώθη λίαν, καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεέμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω κατὰ τὸν χρόνον, ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων.	Tum Heroudes quùm videret se à Magis illusum esse, vehementer excanduit, misitque qui interficerét omnes pueros Bethlechmitas, finitimósque omnes à nato duos annos & infrà, secundùm tempus quod ex Magis exquisierat.	Da Herodes sahe / das er von den Weisen betrogen war / ward er sehr zornig / vnd schickte auß / vnnd ließ alle Kinder zu Bethlehem tödten / vnd an jhren gantze Gräntzen / die da zweyjärig vñ drunter waren / nach der Zeit / die er mit fleiß von den Weisen erlernet hatte.
17. τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου, λέγοντος.	Tunc impletum est id, quod dictum est per Irmeio Prophetam dicentem:	Da ist erfüllet / das gesagt ist / von dem Propheten Jeremia / der da spricht:
18. φωνὴ ἐν ῥαμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς πολὺς. Ραχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί.	Vox audita est in Remotho, fletus & lamentum multum: Rochel plorans super filios suos, renuítq; ullàm accipere consolationẽ, eò quòd non sunt.	Auff dem Gebirge hat man ein Geschrey gehört / viel Klagens / weinens vnd heulens / Rahel beweinet jhre Kinder / vnd wolt sich nicht trösten lassen / denn es war auß mit jhnen.
19. τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ἡρώδου, ἰδοὺ	Quùm autem obiisset rex Heroudes, visus est An-	Da aber Herodes gestorben war / sihe / da erschien der

Ἄγγελος

Ἄγγελος κυρίου κατ' ὄναρ φαίνεται τῷ Ἰωσὴφ ἐν Αἰγύπτῳ.	lus Domini in somnio ipsi Jauseph in Ægypto, & ait illi:	Engel deß HErrn Joseph im Traum in Egyptenland/ vnd sprach:
20. λέγων, ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ πορεύου εἰς γῆν Ἰσραήλ. τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου.	Surge, assume puerum & matrẽ ejus & proficiscere in terrã Isroiel, etenim mortui sũt illi, qui quærebant animam pueri.	Stehe auff/ vnd nim̃ das Kindlein vnd seine Mutter zu dir/ vnnd zeuch hin in das Land Jsrael/ Sie seind gestorben/ die dem Kinde nach dem Leben stunden.
21. ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Ἰσραήλ.	Cùm itaq; surrexisset Jauseph, assumsit puerum & matrem ejus, & venit in terram Isroiel.	Vnnd er stund auff/ vnd nam das Kindlein vnd seine Mutter zu sich/ vnnd kam in das Land Jsrael/
22. ἀκούσας δὲ ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν· χρηματισθεὶς δὲ κατ' ὄναρ, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας.	Quum autem audivisset Archelaum in Jihoudæa regẽ esse loco Heroudis patris sui, timuit illuc proficisci. Et visum est ei in somnio eundum esse in regionem Galilææ.	Da er aber hőret/ das Archelaus im Jűdischen Lande Kőnig war/ an statt seines Vaters Herodis/ furcht er sich dahin zu kommen/ vñ im Traum empfieng er befehl von Gott/ vnd zog in die őrter deß Galileischen Landes/
23. καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λε-	Quò cùm pervenisset, habitavit in	Vnd kam vnnd wonet in der Statt

γομένην Ναζαρέτ, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν, ὅτι Ναζαραῖος κληθήσεται.

civitate, quæ vocatur Nozerath: ut impleretur id quod dictum est per Prophetam, fore ut Nazarenus vocaretur.

die da heisset Nazareth. Auf das erfüllet würde / das dagesagt ist durch die Propheten. Er sol Nazarenus heissen.

Homilia.



ECCLESIA rectè comparatur *Lunæ*, quæ pro diversa ad Solem habitudine φάσεις vel aspectus suos permutat, ut nunc plena fulgeat, nunc abscondita delitescat. Habet Ecclesia quoque Solem suum, quem respicit, Solem justitiæ, Christum Jesum Salvatorem unicum, *Malach. 4. vers. 2.* Unde fit, ut non eâdem semper facie appareat, sed modò conspicua fit, & pateat; modò inconspicua reddatur, & lateat. Neque hoc mirari adeò debemus, quùm idem CHRISTO capiti Ecclesiæ contigerit. Hactenus non nisi præclara de ipso audivimus; *Miraculosa* fuit Nativitas: *Admiranda* cœlestis militiæ apparitio: *singularis* pastorum concio: & *insueta* divini nominis impositio. Nunc autem sequitur miseria & tristitia, nunc irruit persecutio & infelix vitæ ratio: Migrandum est puerulo recens nato: Exulandum est in Ægyptum & plorandum cum Rachele, ob interfectos filios. *O rem nefandam! O inauditam Herodis crudelitatem!* Regi gloriæ insidiatur, quem venerari debebat. Innoxios infantes necat, quorum vitam conservari fas & æquum erat. Sed moritur tandem Tyrannus, revertitur CHRISTUS, & post exilium

Ecclesia Luna similis est.

quietâ

Tria tempora Ecclesiæ. quietâ vitâ fruitur. Eadem ſors eſt Eccleſiæ, cujus tria tempora innuuntur tribus Evangelij partibus. *Primum* eſt tempus *exilij*, quando fugiendum cum Chriſto. *Secundum* eſt tempus *martyrij*, quando moriendum cum infantibus. *Tertium* eſt tempus *gaudij* & quietis, quando revertendum cum Chriſto, quæ tamen lætitia metu permixta eſt, quùm Eccleſia ſuos ſemper Archelaos habeat, quos timere cogitur.

De ſingulis temporibus multa occaſione præſentis hiſtoriæ proponi poſſent, ſed quùm brevitati ſtudendum ſit, primam duntaxat Evangelij *Propoſitio.* partem *de Chriſti fugâ & Chriſtianorum ſtatu agentem* explicabimus, & præcipuas doctrinas paucis attingemus. *Chriſtus verò ſuâ adpropinquet, non aufugiat gratiâ, ut ipſi accepta, nobis ſalutaria dicamus,* Amen.

ἘΞΉΓΗΣΙΣ.

MOs Dei eſt, ut quod ſemel prædixit, reipsâ compleat, qui potens eſt in faciendo, ſicuti *Divinæ prædictiones implētur.* verax in prædicendo. Simeon inſtinctu Dei concionatus eſt de ſigno contradictionis, & gladio transeunte animam: Nunc utriusque exemplum deſcribitur. Ita enim fieri ſolet, ut concionem de cruce verbalem, mox excipiat realis. Textum audivimus è Simeone: *Hic poſitus eſt in ſignum contradictionis:* Nunc gloſſam addit Angelus, *Futurum ut Herodes quærat puerum ad perdendum.* Dura fuit hæc contradictio, reſpectu Chriſti, & acutus gladius reſpectu Mariæ, quæ varias in itinere ex Ægypto moleſtias experta eſt. Hæc autem

tem historia, quùm notatu vel maximè digna sit, præcipuas ejus partes breviter percurremus.

Describitur verò I. Angeli apparitio, vel somnium Iosephi, Magis enim in regionem suam revertentibus. *Ecce! Angelus Domini apparet Iosepho in somnis.* Facta est hæc apparitio non in assumtâ formâ visibili, nec per vocem exteriùs formatam, quia hæc vigilantibus obtingunt, non dormientibus: sed per species phantasiæ impressas, quæ Angelum & præsentem & loquentem repræsentabant, sicuti Jacobus scalam vidit in somnis per imaginationem, oculis cordis ostensam, *Gen. 28. v. 12.*

1. Apparitio Angeli in somnio Iosephi.

Nam quatuor apparitionum species sunt juxta *Abulensem* quæst. 2. super cap. 9. 3. Reg. & quæst. 55. in Matth. *1. Ocularis*, quùm Deus vel Dei Angelus certam figuram assumit, & in ea conspicitur, quale exemplum, *Gen. 18. v. 1. Iud. 6. v. 12. cap. 13. v. 2. 9.* legitur. *2. Vocalis*, quùm solâ voce ad vigilantem factâ apparet, sicut Israelitis locutus est DEUS in promulgatione Legis. *3. Intellectualis*, quùm Deus mentem alicujus elevat & immutat, ad intelligendum supernaturalia, quod fit partim cum ἐκστάσει, exemplo Pauli, *2. Corinth. 12. v. 2.* partim sine ἐκστάσει, exemplo Elisæi, *2. Reg. 3. v. 15. seqq.* *4. Imaginaria*, quæ fit in somno & per somnium, quùm Deus nec in sensum exteriorem, nec in intellectum agit, sed certas imaginationi species imprimit, suámque per illas voluntatem manifestat.

Quatuor divinarũ apparitionum species.

Et talis fuit præsens apparitio, quippe quæ in somnis dicitur facta, ideoque nil fuit aliud quàm

divinum somnium, in quo Angelus dormienti Josepho visus est apparere.

Locus de somniis. Atque hîc occasionem habemus, aliquid de somniis dicẽdi, quæ in genere ita dividi possunt, quòd sint *vel fortuita*, vaga & nihil præsagientia, ex spirituum jactatione orta, quæ observare stultum est, juxta Ecclesiastem *cap. 5. v. 6.* Syr. *cap. 34. v. 1. seqq.* vel certa & aliquid portendentia, quorum tres species vulgò numerari solent.

Somnia naturalia. Dantur enim 1. *somnia φυσικὰ vel naturalia*, quæ oriuntur *partim* à rebus interdiu conspectis tractatísque, *partim* ab humoribus & temperamento, *partim* ab aliquo animi effectu, *partim* à peculiari vi ϛοχαϛικῆ, quæ futuros eventus præsagit: Unde & talia somnia in specie præsagientia nuncupantur.

Diabolica. 2. *Somnia δαιμονιόπεμπτα vel Diabolica*, quæ à dæmone vel ad terrendos animos, vel ad libidinem provocandam vel ad superstitionem confirmandam alióve noxio fine immittuntur, qualibus Enthusiastæ solent decipi. Non autem adeò difficile est illa discernere. Nam quæ sunt 1. Obscæna, 2. ἀμφίβολα. 3. Scripturis contraria, & 4. malum suadentia, hæc extra omne dubium pro Diabolicis haberi debent.

Divina. 3. *Somnia θεόπεμπτα seu divina*, quæ à Deo immediatè, vel ministerio Angelorum immittuntur in voluntatis divinæ significationem vel futurorum prædictionem. Hæc si *modum significandi* spectes *vel* sunt θεωρηματικὰ & clara, *vel* ἀλληγορικὰ & ænigmatibus involuta. Si *res ipsas* considres, Deus vel somnijs terret, ut Abimelechum, *Genes. 20. v. 3.* & Labanum, *cap. 31. vers. 24.* vel solatur,

latur, ut Josephum, *Matth. 1. v. 20.* vel docet, ut Magos, *Matth. 2. vers. 22.* & hîc Josephum nostrum: vel prædicit futuram gloriam, ut Josepho *Genes. 37. v. 7.* vel ignominiam, ut pistorum Magistro, *Genes. 40. v. 16.* vel incitat ad res magnas, ut Gedeonem, *Iud. 7. v. 13. seqq.* vel revelat mysteria, ut Jacobo, *Gen. 28. v. 12.* vel peculiare quid promittit, ut Salomoni, *1. Regum 3. v. 5.* vel futuros rerum humanarum eventus præmonstrat, ut Abrahamo, *Genes. 15. v. 12.* Pharaoni, *Genes. 41. v. 1. seqq.* NebucadNezari, *Dan. 2. & 4.* Ex quibus exemplis luculenter patet, quòd sine omni dubio multa divinitùs immittantur somnia, quæ sunt certissima, & dignosci possunt. 1. *Ex rebus*, si sint arcanæ, nec verbo contrariæ. 2. *Ex finibus*, si dirigantur ad Dei gloriam & Ecclesiæ usum. 3. *Ex modo revelationis*, si animus singulariter commoveatur, adeoque vi divinâ se moveri reipsâ experiatur, quod procul dubio Josephus hîc persensit, ideoque statim mandato Dei obediit. *Nos* autem talia somnia nec petamus, nec expectemus, nec præsumamus temerè, ne à Satanâ decipiamur, qui se novit in angelum lucis transformare. *2. Corinth. 11. v. 14.* Nos verbum habemus, quod lucerna est, *2. Petr. 1. v. 19.* ut nullis præterea somniis egeamus.

An somnia liceat petere vel observare?

Olim quidem locutus est Deus per somnia, *Num. 12. vers. 6.* nunc verò ad filium nos remisit, *Matth. 17. v. 5. Hebr. 1. vers. 1.* ad Legem & testimonium, *Esa. 8. v. 20.* ad Mosen & Prophetas, *Luc 16. v. ult.* ideoq; lectioni Scripturarum, non somniis jubemur attendere, *1. Tim. 4. v. 16.*

Interim non planè prohibitum aut ineptum

est, observare somnia, præsertim ea, quæ 1. Corporis constitutionem indicant, 2. sæpiùs recurrunt. 3. aliquam veritatem patefaciunt. 4. ad bonum excitant, vel 5. aliquod periculum denunciant. Semper tamen videndum, ne simus superstitiosi, quod interdictum, *Levit.19.v.26.& Deut. 18. v. 10.* Temerarium enim est, singula expendere: Curiosum est, futura scire velle: superstitiosum est, res suas secundum somnia componere: stolidum est, inanibus curis se macerare. Proinde si prospera promittuntur per somnium, non efferamur: si adversa, non dejiciamur, sed illa petere, hæc deprecari, & in omnibus divinæ voluntati nos submittere debemus.

2. Divina præmonitio.

II. Divina præmonitio. Herodes, postquam audiit ex Magis, novum Regem Judæorum esse prognatum, mox insidias struit, & de cæde infantuli cogitat. Videt hoc Deus *καρδιογνώστης*, ideoque per Angelum jam præmonet Josephum: *Surge & fuge in Ægyptum.* Insigne hoc bonitatis divinæ exemplum est: *Herodes* sævit, *Josephus* dormit, sed *Deus* vigilat & custodit. Idem sæpè accidit, ut securi simus, quùm imminet periculum. Deus verò est, qui pro nobis excubias agit, quùm hostem ignoramus. Nec enim dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel, *Psal. 121. v. 4.* Multi sunt qui nobis se opponunt, quærunt animas nostras: sed sperate in Dominum: ipse faciet. Si nos dormierimus, ipse vigilabit. *Respicite filij: Nullus qui speravit in Domino, confusus est,* Syr. 2. vers. 11. *novit pios è tentatione eripere,* 2. Pet. 2. vers. 9. Ipse est Immanuel, qui exit cum nobis;

Deus pro nobis vigilat, cui proinde fidamus.

ma-

manet in nobis, vigilat pro nobis: quis igitur contra nos erit, aut esse poterit? Si multiplicentur inimici, nos tamen dormiemus securi, quia Deus sustentat nos, *Psalm. 3. vers. 16.* Varia habet media, quibus nos è manu hostium liberare novit. Adhibet (1.) *Sapientiam*, arcana consilia revelando, ut eò meliùs caveamus. Testis est Elias, *1. Reg. 17. vers. 2.* Elisæus, *2. Reg. 6. vers. 12.* & præsenti textu Josephus. Adhibet (2.) *Providentiam*, certa media præscribendo, & nos admonendo: Sæpè insidiantur hostes, sed Deus Æptum monstrat, ubi tuti possimus delitescere. Quùm fames ingruit, jubet Abrahamum in aliam terram descendere, *Genes. 13. vers. 10.* Quùm Saul Davidem persequitur, monstrat speluncam in qua lateat, *1. Samuel. 22. vers. 1.* Quùm Herodes Petrum necare cogitat, Angelus Dei catenas solvit, *Actor. 2. v. 7.* Adhibet (3.) *potentiam*, confundendo hostes, & liberando fideles. Audimus enim quòd Josephus cum Jesulo servetur, & Herodes confundatur. Facile est Domino, vel cæcitate punire, *2. Reg. 6. vers. 18.* vel impedimentum objicere, 1. *Samuel. 25. v. 27.* ut salva maneat Ecclesia. Fidamus tam benigno & potenti Domino, nec nimiùm metuamus nostros inimicos. Sint callidi; Deus sapientior est. Meditentur mala; Deus providebit. Emittant exercitum: Deus militabit pro nobis, ut tuti evadamus, ut victoriam læti reportemus.

III. Iosephi obedientia. Illâ ipsâ enim nocte, accepit cum matre puerum, & secessit in Ægyptum. Non diu cunctatus est, non rationem consuluit, non de mandati sensu disputa- *3. Iosephi obedientia.*

 vit,

vit, ſed ſimpliciter & humiliter obedire voluit. Non ipſum teneritas infantuli, non imbecillitas matris, non longinquitas viæ retardare potuit: Plus valebat apud ipſum Dei præceptum, quàm rationis conſilium, vel carnis repugnantia, vel futura incommoda. Christi enim diſcipulos nihil magis decet, quàm obedientia, quippe quæ omnibus victimis eſt præſtantior, *1. Sam. 15. verſ.* 22. Quæ igitur vel credenda vel facienda nobis proponuntur in Scripturis, illa non ad rationis trutinam appendamus, ſed in vera cordis humilitate exequamur. Abrahamum cogita, patrem credentium. Huic datum erat præceptum de immolando filio, in quo tamen benedicendæ erant gentes terræ, *Geneſ. 22. verſ. 2 18.* Sed ille contra ſpem in ſpem credidit, & obtemperare Deo, quàm ſuas ſpeculationes ſequi maluit. Sic Paulus non conſuluit carnem & ſanguinem, *Galat. 1. verſ. 16.* Sed in voluntate Dei humiliter acquievit. Utinam Eva feciſſet idem in Paradiſo; ne omnes pœnam inobedientiæ adhuc luere teneremur! Utinam illa fugiſſet Satanæ colloquium, ne Chriſtus jam cogeretur fugere in Ægyptum! Nos ergò Joſephum obedientem imitemur; Sic certi eſſe poſſumus de divinâ gratiâ. Si exulandum omninò ſit: non deſeremur à Domino. Monſtrabit locum tutæ manſionis: procurabit neceſſaria, & reducet cum gloria. Nunquam enim abſque præmio demiſit obedientes. Si ergò repugnet caro, avocet mundus, retardet Satanas; nil curemus. Major ſit nobis Dei præcipientis autoritas, quàm omnium impedimentorum difficultas.

Hanc imitemur.

IV. Chri-

IV. Christi fuga. O rem admirandam! *Illum*, à cujus conspectu fugit terra, *Apocal.20. v. 11.* à cujus increpatione fugerunt aquæ, *Psalm.104. vers.7.* unius caduci vermis minas fugere, & tyrannidem! *Illum*, qui Israelitas fugere jusserat ex Ægypto, jam ex improviso fugere in Ægyptum! *Illum*, qui vix dum in propria venerat, voluntarium subire exilium! *Sed* mirari desine: non fortè aut frustrà id contigit, non ex timore aut impotentia fugit. Graves subsunt rationes, quæ & doctrinas & admonitiones varias comprehendunt. *4. Christi fuga.*

Fugit enim 1. *Vt* innueret, nos esse fugitivos, & extorres è Paradiso, quos suâ fugâ æternæ patriæ voluit restituere. 2. *Vt* ostenderet tum humanitatis veritatem, tum suam in statu exinanitionis humilitatem, quæ fuit inclinatio miserationis, non defectio potestatis. 3. *Vt* depingeret statum Ecclesiæ & Christianorum, quos odium Diaboli & persecutio mundi semper insequitur. Cum Christo enim sæpè fugiendum est, mala plurima veniunt sustinenda. *Nam DEVS sanctos suos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas*, dicente Chrysostomo. 4. *Vt* nobis præberet exemplum patientiæ, quùm ipse, quamvis rerum esset Dominus, multa tamen infortunia æquo animo perpessus sit. 5. *Vt* rationem regni sui adumbraret, quod non venit cum observatione, nec in externâ pompâ consistit, sed plerunque abjectum in mundo apparet. 6. *Vt* fugientibus & exulibus eò meliùs posset compati. 7. *Vt* Herodis pœnam redderet atrociorem. Permittit ipsum furere, nec statim *Cur Christus fugerit?*

 punit,

punit, ut tarditatem supplicii compenset gravitate. 8. *Vt* apud gentes quoque se regnum suum instituere, & Evangelium passim disseminare velle indicaret. *Vt* doceret, legitima media non esse aspernanda. Nec enim tentandus est Deus, nec temerè amandum periculum. Chrysost. Serm. 151. *Hoc nobis reliquit exemplum, ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus.* Si persecutio sit *personalis*, non communis, fuga est licita, juxta Christi monitum, *Matth. 10. v. 23.* & exemplum *tùm hîc, tùm Ioh. 6. v. 15. & cap. 8. vers. ult.* descriptum, cui addimus exemplum *Davidis*, 1. Sam. *19.* v. 12. *Eliæ*, 1. Reg. 17. v. 3. *Pauli*, Actor. 6. v. 24. 30. 2. Cor 11. v. 33. *Petri*, Act. 12. v. 17. *Polycarpi*, apud Eusebium lib. 4. cap. *15.* *Athanasii*, apud Socrat. lib. *3.* cap. 13. & lib. 4. cap. 20. *Ambrosii*, in Vita ejus apud Paulinum, & *Chrysostomi*, in trip. lib. 10. cap. *13.* Sin autem persecutio sit *communis*, manendum est, nec fugiendus lupus, ne oves pastore destitutæ vel præda fiant, vel mœrore contabescant.

In persecutione melius est fugere, quam negare.

Porrò autem quòd Christus in Ægyptum, non in alias terras fugit, id factum esse dicunt Veteres 1. *Vt* indicaret, se verum esse Messiam, qui populum ex Ægypto securitatis, è manu Pharaonis infernalis velit liberare, & in terram promissionis educere. 2. *Vt* unâ medicinâ decem AEgypti plagas sanaret, omnesque pœnas, & Legis maledictiones in se derivatas ostenderet. Ideò enim transiit loca ista, ubi lex in Sina lata, ubi serpens in deserto exaltatus, ubi primum Pascha mactatum contra Angelum vastatorem. 3. *Vt* po-

Cur in Aegyptum fugerit.

populus

pulus qui ante fuerat perſecutor populi primogeniti, jam fieret cuſtos filii unigeniti. 4. *Vt* innueret, ſe in ſua veniſſe, ſed à ſuis receptum non fuiſſe, & hanc ob cauſſam cum Evangelio ſuo tandem ad gentes abiturum eſſe, quod *Act. 13. v. 26.* completum legitur. 5. *Vt* perfidiam Judæorum per fidem gentium caſtigaret. Nam *Dominum ſuum, quem Iudæa fugaverat, AEgyptus obſequenter accepit, ut Eccleſiam Synagogæ, Iudæis gentes anteponendas in fide, ſuam panderet per figurã*, quæ *Chryſologi* Serm. 151. verba ſunt. 6. *Vt* mortifera idoladiſſiparet, juxta *Eſa. 19. v. 1.* quam rationem tangit autor imperfecti operis in Matth. 7. *Vt* impleretur vaticinium Oſeæ, *cap. 11. verſ. 4.* Ex Ægypto vocavi filium meum. Quibus verbis ad duo reſpicitur 1. ad *Iſraelis*, 2. ad *Chriſti* manſionem in Ægypto. *Illud* litera Prophetæ, *hoc* verba Matthæi indicant. Fuit enim Iſrael typus Chriſti, fuit & ille dilectus Dei filius, *Exod. 4. v. 22.* qui natus in Canaan, pôſt expulſus in Ægytum, quod fuit quaſi tempus infantiæ & pueritiæ, donec vocante Deo rurſus egrederetur: ſic Chriſtus Unigenitus Dei filius, in terra Canaan prognatus, fugit in Ægyptum, ibique annos aliquot infantiæ ſuæ tranſegit, donec à DEO rurſus evocaretur. Quia ergò Iſrael fuit Chriſti typus, & quæ membris contingunt, ob arctiſſimam conjunctionem, ad caput rectè accommodantur, hinc illa ipſa Oſeæ Prophetia in Chriſto nonimmeritò completa dicitur.

Non eſt nuda accommodatio, ut placet Ianſenio, ſed vera prædictio, quoniam hæc Scriptura dicitur tum impleta, quum Chriſtus in AEgyptum fugeret. Aliud autem eſt impletio, aliud nuda alluſio & accommodatio. Chemnitius in Harm. pag. 264. notat vatici-

nia Scriptura quatuor modis impleri. (1) *Cùm illud fit, quod simpliciter & praecisè in vaticinio intelligitur, ut Matth. 1. v. 23.* (2) *Cum simile aliquid fit, quod cognationem habet cum re praeterita, ut de Rachel &c.* (3) *Cum vaticinium generale est, potest ad quaevis specialia exempla accommodari, ut Matt. 15. v. 7. &c.* (4) *Cum vel in capite, vel in membris vel utrisque impletur, ut Ose. 11. v. 1.*

5. Christi exilium. V. Christi Exilium. Eo ipso enim dum è patria fugit in Ægyptum, exul factus est, ut nos exules in Paradisum & vitam æternam reduceret.

Duplex Exilium, Mortale & Vitale. *Duo* aliàs exilia proponuntur in Scriptura. Alterũ *mortale*, alterum *vitale* nominant Theologi.

Mortale est exilium primorum parentum, qui è Paradiso pulsi ob lapsum, exulare coacti, mortíq; tandem subjecti sunt. Eadem sors omnes manet, & inde perpetua piorum exilia sunt orta, ut Abrahæ, Isaaci, Josephi, & totius populi Israelitici.

Vitale exilium Christi est, qui fugiendo nobis vitam reparavit, & miserias exilii nostri mitigavit. Si enim maximè expellamur, Christum ducem habemus: Si ipse nostri caussâ exilium pertulit, cur non cum ipso ad tempus exulare vellemus?

Terra Dei est, & ubiq; sumus sub tegmine cœli,
Exulis auxilium, qui fuit exul, erit.

Hujus verò solatii tantùm ii compotes redduntur, qui veri sunt exules, non simulati.

Quatuor requisita veri exilij Requiritur autem ad verum exilium Christi exemplo 1. *Fugæ necessitas.* Nec enim ob leviculas caussas Josephus abiit, sed DEO mandante, & periculo urgente. Non igitur pro exulibus habendi, qui vel ex pigritiâ, vel ex petulantiâ, vel ex intempe-

tempestivo metu officia sua deserunt. 2. *Obsequii humilitas.* Josephus audito mandato, non diu liberat, sed noctu consurgit, & sua relinquit: Ita veri exules non curant nimiùm terrestria, non simulant ad tempus ad auferenda bona, sed promti sunt exire, & pro Christo aliquid pati. Sic quum Abrahamo diceretur Genes. 12. v. 1. *Egredere*, mox egressus est, licet quò migrandum sit, ignoraret. 3. *Christi matrisque societas.* Josephus non exire voluit solus, sed puerum & matrem ejus assumsit: Ita Christo adhæreant, qui exulare debent: Ecclesiam sequantur, qui tutò ire desiderant. Hi sunt fideles comites, imò duces, quos sequi non tàm exulare, quàm beatè vivere est. *Omnia* enim *habet, qui Christum omnia habentem habet*, juxta Augustin. Talis exul cum Davide ait, ex Psalm. 73. v. 29. *Deficiat sanè caro mea & cor meum, petra tamen, & pars mea es, ô Deus, in æternum.* 4. *Patientiæ præsentia.* Josephus æquo ferebat animo, quum in Ægyptum, terram Idololatricam & longinquam esset abeundum. Ita simus contenti & patientes, si maximè hospitium nobis obtingat vile & molestum. Quò plùs patimur, eò præstantius erit præmium. Verum enim exilium nunquam est absq; Dei auxilio, vivoq; solatio.

Huc pertinet (1) *Viatici largitio.* Non jubetur Josephus surgere, antequam à Magis accepisset munera. Confide igitur: De victu necessario providebit Dominus. Prius petræ aquam funderent, & corvi cibum afferrent, quàm pii deserentur à Deo. (2) *Hostium illusio.* Vulpecula Herodes multa struxerat Christo retia: sed salvus evadit. Qui enim in cœlis habitat irridet hostes, *Psal 2. vers 4.* *Quatuor solatia veri exulis.*

verſ.4. Emittit angelos, ut caſtra metentur in circuitu noſtro, *Pſalm. 34 verſ. 8*. Noli ergò timere, plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis, *2. Reg. 6. verſ. 16*. (3) *Hoſpitii præparatio*. Antequam ſævire inciperet Herodes, jam præparatum in Ægypto erat hoſpitium. Cur ergò timebimus? Pellimur ex antiquo domicilio? Fidamus Deo, qui jam antè nobis paravit aliud. Nam Domini eſt terra, qui facilè tutum monſtrabit receptaculum. Novit hoc *Baſilius*, qui interrogantibus, ubi manſurus eſſet in exilio, piè reſpondit: *Aut in cœlo aut ſub cœlo*. Tandem (4) *Mirabilis liberatio*. Joſephus audit ex Angelo: *Eſto illic, donec dixero tibi*. Non igitur perpetuum fuit exilium: Revocatus eſt ex Ægypto, & *mortui ſunt, qui quærebant animam pueri*. Ergò poſſideamus animas noſtras cum patientiâ: Simus conſtantes in exilio, donec dicatur nobis: *Surgite & redite*. Erit enim, erit tempus, ubi triſtitia vertetur in gaudium. Veniet dies, quo morientur inimici noſtri. Appropinquabit hora, quâ ex noſtro exilio revocabimur, & in veram æternamq; patriam transferemur, ubi perpetua erit manſio, & ſumma manſionis jucunditas, & felix jucunditatis æternitas; *quò nos exules perducat exul beatiſſimus, Chriſtus Ieſus, cui pro exilio ſuo omnibusque beneficiis ſit laus & gratiarum actio ſempiterna*,

Amen.

EVAN-

EVANGELIUM
DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIA.

Lucæ 2. à v. 41. usq; ad fin.

De Christo docente in templo.

v. 41 ΚΑὶ ἐπορεύοντο οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατ᾽ ἔτος εἰς Ἱερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ Πάσχα.

ET homines (*parentes*) ejꝰ quotannis adibant Ouriſchlem in Feſto Pezcho.

Vnd ſeine Eltern giengen alle Jahr gen Jeruſalem / auff das Oſterfeſt.

42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, ἀναβάντων αὐτῶν εἰς Ἱεροσόλυμα, κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς.

Quumq; eſſet filius annorũ duodecim, aſcenderũt, prout conſueverant in feſto.

Vnd da er zwölff Jahr alt war / giengen ſie hinauff gen Jeruſalem nach gewonheit deß Feſtes.

43. Καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς, ὑπέμεινεν Ἰησοῦς ὁ παῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

Et quum impleti fuiſſent dies illi reverſi ſunt: Jeſchua verò puer remanſit in Ouriſchlem, Jauſeph & matre ejus neſcientibus.

Vnd da die Tage vollendet waren / vnnd ſie wider zu Hauſe giengen / bleib das Kind JEſus zu Jeruſalem / vnd ſeine Eltern wuſtens nicht.

44. Νομίσαντες δὲ αὐτὸν ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι, ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν, καὶ ἀνεζή-

Putabant enim eum eſſe cum filiis ſocietatis ipſorum: quumq; veniſſent iter diei unius, re-

Sie meineten aber / er were vnter den Geferhten / vnd kamen eine Tagreiſe / vnd ſuchten jhn

τὸν

τουν αὐτὸν ἐν τοῖς συγ-
γενέσι, καὶ ἐν τοῖς
γνωστοῖς.

quirebant eũ apud
ſuos homines, &
apud unũquemq;
notum ſuum.

vnter den gefreũn-
ten vnd Bekand-
ten.

45. Καὶ μὴ εὑρόν-
τες αὐτὸν, ὑπέστρεψαν
εἰς Ἱερουσαλὴμ, ζητοῦν-
τες αὐτόν.

Nec invenerunt
Et reverſiſunt rur-
ſus ad Ouriſchlẽ,
ac requirebant e-
um.

Vnd da ſie jhn
nichtfunden/gien-
gen ſie wiederumb
gen Jeruſalem/vñ
ſuchten jhn.

46. Καὶ ἐγένετο,
μεθ' ἡμέρας τρεῖς εὗ-
ρον αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ
καθεζόμενον ἐν μέσῳ
διδασκάλων, καὶ ἀ-
κούοντα αὐτῶν, καὶ ἐ-
περωτῶντα αὐτούς.

Tribus verò pòſt
diebus invene-
runt eum in tem-
plo ſedentem in
medio doctorum,
& audientem ab
eis, ac interrogan-
tem eos.

Vnnd es begab
ſich nach dreyẽ Ta-
gen/funden ſie jhn
im Tempel ſitzen/
mitten vnter den
Lehrern/das er jh-
nen zuhörete/ vnd
ſie fragte.

47. ἐξίσταντο δὲ
πάντες οἱ ἀκούοντες
αὐτοῦ ἐπὶ τῇ συνέσει
καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν
αὐτοῦ.

Et mirabantur ii
omnes, qui audie-
bant eum, ob ſa-
pientiam & re-
ſponſa ipſius.

Vnd alle die jm
zuhöreten/ verwũ-
derten ſich ſeines
Verſtands vnd ſei-
ner Antwort.

48. Καὶ ἰδόντες
αὐτὸν, ἐξεπλάγησαν·
καὶ πρὸς αὐτὸν ἡ μή-
τηρ αὐτοῦ εἶπε, τέκνον,
τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως;
ἰδοὺ ὁ πατήρ σου κἀγὼ
ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν
σε.

Utque viderunt
eum, mirati ſunt;
& ait illi mater i-
pſius, Fili mi; Cur
ita feciſti nobis?
quoniam ecce ego
& pater tuus cum
multa anxietate
quærebamus te.

Vnd da ſie jhn
ſahen/ entſatzten
ſie ſich: Vnd ſeine
Mutter ſprach zu
jhm: Mein Sohn
warumb haſtu vns
das gethan? Sihe/
dein Vatter vnnd
ich haben dich
mit ſchmertzen ge-
ſucht.

Kai

49. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, τί ὅτι ἐζητεῖτέ με, οὐκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με.	Dixit eis; Cur quærebatis me? nescitis quòd in domo patris mei oportet me esse.	Vnd er sprach zu jhnen: Was ists/ dz jhr mich gesucht habt? Wisset jhr nicht/ das ich sein muß in dem das meines Vaters ist.
50. Καὶ αὐτοὶ οὐ συνῆκαν τὸ ῥῆμα, ὃ ἐλάλησεν αὐτοῖς.	Illi verò non intellexerunt sermonem quem dixerat eis.	Vnd sie verstunden das wort nicht/ das er mit jhnen redet.
51. Καὶ κατέβη μετ' αὐτῶν, καὶ ἦλθεν εἰς Ναζαρέθ. καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ διετήρει πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα, ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς.	Et descẽdit cum eis, venitq; Nozerath: & subjectus erat eis; mater verò ipsius conservabat hos omnes sermones in corde suo.	Vnd er gieng mit jhnen hinab/ vnnd kam gen Nazareth vnd war jhnen vnterthan. Vnd seine Mutter behielt alle diese wort in jhrem Hertzen.
52. καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις.	Porrò Jeschua crescebat staturâ & sapiẽtiâ suâ, nec non gratiâ apud Deum & homines.	Vnd Jesus nam zu/ an Weißheit/ Alter vnd Gnade/ bey Gott vnd den Menschen.

Homilia.



Ux *Gideon* militibus suis hanc regulam præscripsit, Jud. 7. v. 17. *Quod me facere videritis, hoc facite.* Æquum enim est, ut Imperatorem sequatur exexcitus, & exemplum illius imitetur. *Ecce v.* & nos Imperatorem habemus! Venit in terrã cœlestis Gideon, pugnaturus pro nobis, & cum nobis,

Christi exemplum imitari debemus.

nobis. Idem igitur præceptum dedit, & velut alter Gideon repetiit: *Quæ me videritis facere, & vos facietis.* Nam omnis Christi actio nostra debet esse instructio. Illum ergò tanquam ducem & consummatorem fidei in omnibus aspicere & æmulari debemus, *Hebr.* 12. *v.* 2.

Atque hanc ob causam eò majori devotione hodiernum Evangelium nos audire convenit: Prima enim Christi actio ibi habetur descripta, quomodo nempè puer duodennis docuerit in templo, & perseveraverit in iis, quæ sunt Patris cœlestis.

Romanenses multa finxêre miracula, à Christo puero edita, ut quòd è cera aves volantes, & virunculos incedentes formaverit, prout *libro de Infantia Christi* fabulantur. *Sed* Scriptura nihil tale commemorat, contenta unico miraculo, quod hodiè considerandum proponitur. Ut ergò hactenus Christum in stabulo natum, à Magis adoratū, in Ægypto exulantem vidimus: Ita nunc eundem in templo docentem aspiciemus, & quid nobis faciendum sit addiscemus. Utilis erit hæc commonefactio, præsertim juventuti quæ ad malum prona fertur præceps.

David hanc quæstionem proposuit Ps. 119. v. 9. *In quo corriget adolescens viam suam?* Et respondet: *In custodiendo sermones suos.* Uti verò Dei dicta, sic Christi facta informant, & viam adolescentis corrigunt.

Propositio. Præsentis igitur Evangelii explicationem eò dirigemus unicè, ut *quæ in Christi exemplo nobis ad imitandum proponuntur, ex textu fideliter eruamus, quò ita & nos crescamus gratiâ coram Deo & hominibus.* Tu verò Christe Jesu, qui accepisti linguam

linguam eruditam, doce nos, & ad obſequendum redde idoneos, ob meritum tuum ſanctiſſimum, Amen.

ἘΞΉΓΗΣΙΣ.

MAlachias de Chriſti Adventu & vitâ vaticinans, *Veniet*, inquit, *ad templum ſuum dominator, quem quæritis*, cap. 3. v. 1. Impleta nunc eſt prædictio iſta: Venit Dei filius, intrat templum Altiſſimi, & ſedet in medio doctorum. Quo facto plurimas nobis commonefactiones reliquit, quæ ordine tanguntur in Evangelio & ſequentibus regulis includi poſſunt. *Regulæ ab exemplo Chriſti petitæ.*

I. Deum reverenter colas. Chriſtus cum parentibus aſcendit Hieroſolymam in feſto Paſchatos, ut veneraretur Patrem, ipſiq; cultum exhiberet in lege præſcriptum. Hoc primum eſt imitatione digniſſimum. Si Dei filii eſſe volumus, Patrem noſtrum humiliter colamus. Inter cætera verò ad hunc cultum tria pertinent. *1. Deum colas.*

I. *Feſtorum celebratio*. Nam & Chriſtus *ſecundum conſuetudinem diei feſti aſcendit*, nobis exemplum præbens, ne feſtivitates temerè negligamus. In Veteri Teſtamento feſta inſtituit Deus *partim* communia, *partim* ſolennia. *Communium* & ſæpè recurrentium fuerunt duo: 1. *Sabbathum*, quod ſingulis ſeptimanis celebrandum. 2. *Neomenia*, ſeu principium novæ Lunæ, quæ dies feſta fuit in laudem creatoris, & autoris cunctorum temporum, *Solemnium* & anniverſariorum quinque numerantur. 1. *Paſcha*, decimâ quartâ Lunâ primi menſis inſtitutum in memoriam liberationis ex AEgypto. 2. *Pentecoſte*, quinquageſimo *Feſtorum celebratione.*

die à Paſchate, ubi frugum primitiæ erant offerendæ. 3. *Feſtum Tubarum*, primâ die Septembris in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione. 4. *Feſtum Propitiationis*, 10. Septembris in memoriam placati Dei poſt μοσχολατρείαν. 5. *Scenopegia*, vel Feſtum Tabernaculorum. 14. Septembris in memoriam 40. annorum, quibus in deſerto ſub umbraculis habitandum fuit. Ex his tria erant maximè ſolemnia, & ſeptem diebus celebranda, nempè Feſtum Paſchatos, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, quo tempore omnis maſculus debebat aſcendere Hieroſolymam, juxta legem, *Exod. 23. verſ. 17. Deuter. 16. verſ. 16.* præſertim feſto Paſchatos, ubi nulla, niſi infirmitatis admittebatur excuſatio, unde & *Lucas* tantùm Paſchatos, ut Feſti principalis mentionem facere voluit. Hunc igitur morem divinitùs ſancitum, & Chriſtus & parentes ejus piâ devotione obſervant, & per aliquot milliaria divini cultus cauſsâ iter faciunt.

Nos imitemur, & dies feſtos habeamus ſolemnes, quo extollatur nomen Domini, & agantur gratiæ pro cunctis beneficiis. Tam multa enim accepimus, ut numerari; tàm magna, ut menſurari nequeant: Majora nobis fecit Dominus quàm olim Judæis. Hi tamen, non conſideratâ itineris difficultate, lubenter aſcenderunt Hieroſolymam. Et nos qui templum ante fores habemus, tàm ingrati erimus, & deſides, ut convenire diebus feſtis renuamus? Maria dicebat Chriſto voce querulâ: *Fili, cur nobis hoc feciſti?* putans indignum eſſe, ut filius in mœrorem conjiciat parentes. Quid verò Deum, cujus filii ſumus, dictu-

rum

rum putatis, quum festa negligitis, & ipsum tristitiâ afficitis? Conqueretur tota Trinitas,& dicet: *Filii cur nobis hoc fecistis? Ego Deus, ego pater vester, ubi verò timor, ubi honor meus?* Mal. 1. v. 6. Judæis multi erant in victimas sumtus faciendi diebus festis: Nullæ tales à nobis impensæ postulantur, & nihilominùs in cultu negligentes sumus. Apud Judæos affligendæ erant animæ, *Levit. 23. vers. 27.* apud nos regnat luxus & dissolutio. Ibi comedendus fuit panis afflictionis, *Deut. 16. v. 3.* nunc indulgetur variis voluptatibus. Itáne verò festivitatem Dei in tempus peccati convertitis? Non impunè hoc abibit: Deseremur à Christo, & amittemus ipsum. *Res mira!* Die festo amittit filium Maria. Ita innuitur perversitas hominum, qui plerumque diebus festis,quum Christo deberent adhærescere, ab illo sunt remotissimi. Luna non nisi quum plena est, Eclipsin patitur per interjectum terræ: Sic Christianus si die festo deliciis abundet, lumen à Christo justitiæ Sole acceptum, facilè amittit.

2. *Templi visitatio.* Ascendunt parentes filiusque Hierosolymam, non ut ludant bibántve, sed ut templum intrent, & Deum honore afficiant. Nec enim rectiùs celebratur festum, quàm sæpè visitando templum. *Dei memoria præcipuum festi caput est*, inquit Gregorius. Illa verò in templis viget, sanctorúmque conventibus. Hos ergò minimè deseramus, *Hebr. 12. v. 15.* sed potiùs nos invicem ad ascendendum excitemus, *Esa. 2. v. 3. Amos. 4. v. 2.* Inprimis autem videndum,ne differatur hæc pietas in senium, sicut multi faciunt, floré juvẽtutis diabolo, feces senectutis Deo consecrãtes. *Templi visitatione.*

Christus nos aliud docet, qui statim in pueritia assumtus à parentibus ascendit. Duo suis liberis debent parentes, 1. *Nutritionem*. 2. *Institutionem*. Videant ergò, ne dum liberorum curatur corpus, interim negligatur animus. Filii tibi sunt ? *Erudi illos*, ait Sapiens, *cap. 7. v. 25*. Hoc nomine commendatur Abraham, *Genes. 18. vers. 19.* & Hanna, 1. *Samuel. 1. v. 24*. quæ exempla parentes extimulent, ut liberos in pietate informent, & maturè ad templum Domini adducant. Multi tantùm opibus corradendis inhiant, sed *similes sunt iis, qui calceorum curam habent, & interim pedem negligunt*, ut Plutarchus ait, lib. περὶ παίδ. ἀγ. Christi parentes non domi relinquunt, sed unà assumunt filium : Facilis enim est seductio, si soli relinquantur liberi. Quum Moses ductor paterque populi abesset, peccabant graviter erigendo vitulum, *Exod. 32*. Ita Satanas in decipiendo occupatus est, si filios extra templum & solos inveniat. *Duplex* institutio puerorum in populo Dei usitata fuit. Prior *generalis*, quâ omnes partim domi informabantur, partim ad templum, ut legem audirent, ducebantur, *Exod. 12. vers. 26. Deut. 4. vers. 10. cap. 6. vers. 7*. Posterior *specialis*, quâ nonnulli præceptoribus in Synagogis erudiendi tradebantur, qui Prophetarum filii dicti, *2. Reg. 2. v. 3. cap. 4. v. 38*. Idem requiritur à parentibus in Novo Testamento, ut suos liberos educent in timore Domini, *partim* domi instituendo, *partim* publicis præceptoribus committendo.

Tales Synagogæ Hierosolymis multæ fuerunt, ultra 400 ut docet Rabbini.

Diligenti auscultatione.

3. *Diligens auscultatio*. Sedit Christus in medio doctorum, & *audivit illos*. Licet enim omnes sapientiæ thesauri in ipso fuerint absconditi, *Col. 2.*

vers. 3.

verſ 3. alios tamen audire non erubuit. Et nos tam ſuperbi erimus, ut concionatores audire recuſemus? Templa Dei domicilia ſunt, in quibus ipſe nos alloquitur. Non hominum, ſed Dei verbum eſt, quod ibi prædicatur, *1. Theſſ. 2. v.* 13. Legatione funguntur miniſtri, tanquam Deo per ipſos exhortante, *1. Cor. 5. v. 20.*

Non igitur perſonam, ſed perſonæ officium attendamus, & docentes ſummâ attentione cum Chriſto audiamus.

II. In bono perſeveres. Parentes Chriſti domum redeunt, ſed filius in templo permanet. Ita pauci ſunt qui perſiſtunt: *Incepiſſe quidem multorum eſt, ſed perfeciſſe paucorum*, ait Gregorius. Principium quandoque fervet, medium tepet plerunque, & ultima frigent. *Verùm* abſit à vobis hæc pigritia: Chriſti ſectatores eſtote, Chriſtum cogitate, qui abeunte matre, nihilominùs remanet in iis quæ erant Patris cœleſtis. Tene igitur quod habes, ne alius coronam tuam accipiat, *Apocal. 3. verſ.* 11. In ſtadio ſumus: Ita currite, ut comprehendatis, *1. Cor. 9 v. 24.* Non ſufficit caput hoſtiæ, cauda etiam debet offerri, *Levit. 3. verſ. 9.* Quid enim juvat benè incipere, & in termino vitæ reſilire? Quid commodi habuit uxor Lothi, poſtquam egreſſa? In ſtatuam ſalis mutata eſt, quia reſpexit, *Geneſ. 19. v. 26.* In cultu Dei eſt perſeverandum, ſi reportare volumus præmium. *Nam inter virtutes ſola perſeverantia coronatur*, teſte Bernhardo: Non qui cœperit, ſed *qui perſeveraverit, ſalvus erit*, Matth. 10. v. 22. *Qui vicerit, columna erit in domo altiſſimi*, Apoc. 3. v. 12. *Ineptus eſt regno Dei, qui reſpicit retro*, Luc. 9. v. ult. Non perveniunt

2. In bono perſeveres.

in terram promiſſionis, qui redire cogitant in Ægyptum afflictionis. O miſeros, qui conſtantes non perſiſtunt, quum laudabiliter inceperunt! *Eſto igitur fidelis usque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ*, Apoc. 2. verſ. 11. Si obiiciuntur impedimenta, ne cures, ſed removere potius allabores. Habebat Chriſtus parentes, quos ſequi debebat, ſed Deum magis dilexit. Mater exprobrat, ſed piè reſpondet: *Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, me eſſe oportet?* Naturâ quidem implantatus eſt amor parentum, ſed non tranſcendat naturæ Dominum. *Diligendus eſt generator, ſed proponendus creator*, juxta Auguſtinum. Magis enim Deo quàm hominibus obediendum eſt, *Act. 5. verſ. 29.* Sponſa domum patris deſerit, & maritum ſequitur, *Pſal. 45. v. 11.* Ipſe Deus noſter Sponſus eſt, nos ſponſa ſumus, *Oſe. 2. v. 19.* Si ergò parentes nos revocant, Deum potiùs ſequamur, & dicamus: *Neſcitis, quòd me eſſe oportet in his, quæ ſunt patris mei optimi; quæ ſunt ſponſi mei exoptatiſſimi? Vos quidem parentes eſtis, ſed alium habeo in cœlis, quem venerari debeo.*

III. Sapientibus te aſſocies. Chriſtus Hieroſolymis commoraturus, nullibi manere voluit niſi in templo, & nullis intereſſe, niſi doctoribus. In horum medio invenitur, hos audit & interrogat, *v. 46.* *Amici*, & vos facite, quod Chriſtum feciſſe intelligitis. Fugite malorum conſortia: nec ametis imperitorum colloquia. Quid ab illis diſceditis, qui decernere nequeunt? Prudẽtes audite, pios ſequimini: Ita creſcetis gratiâ & ſapientiâ. *Qui picem tetigerit, inquinabitur*, Syr. 13. v. 1. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1. Cor.

1. Cor. 15. v. 33. *Quæ conventio Christo ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* 2. Corinth. 6. v. 15. Si Christi discipulus esse & audire cupis, cur filiis Belial te associas? Capra quum eryngion comedit, & ipsa & reliquus grex subsistit: Sic in societate, si unus pascitur vitiis, mox & reliqui tardentur. Leprosum fugimus, ne corpus inficiat; cur non malos potiùs, ne animum interficiant? Ut ignis sibi propinqua accendit: ita mali bonos corrumpunt, & quocunque consuetudinis contractu morum venena afflant. *Rerum enim natura sic habet*, ait Chrysost. super Matth. *ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur*. Separatio igitur ab impiis, est initium salutis. Noha deserens ante-diluvianos & ingrediens arcam, mediis servatur in undis, *Genes. 7.* Abraham ex Ur Chaldæorum discedens benedicitur, *Gen. 12. v. 3.* Israelitæ ex Ægypto egressi, in terram Canaan introducuntur. Exeamus igitur de Babylone, & fugiamus impios, *Esa. 48. vers. 20.* Inter doctores sedeamus cum Christo, non in Cathedrâ irrisorum, *Psalm. cap. 1. vers. 1.* In antiquis est sapientia, *Iob. 12. v. 12.* Hos audi, & proficies. Sponsa, quum quæreret Christum, invenit eum inter vigiles, *Cant. 3. v. 3.* Si quæras illum ipsum & veram de ipso doctrinã; nullibi nisi inter doctores, qui sunt speculatores Ecclesiæ, *Ezech. 3. v. 17.* reperies.

IV. Humilitati studeas. Christus jam admonitus, statim descendit cum parentibus, & erat illis subditus, *vers. 51.* O rem admiratione plenam! Deus hominibus, creator creaturæ, Dominus suis subditis servísq; fit subditus. Confundan- *4. Humilitati studeas.*

tur omnes elati, qui ſuperioribus ſuis denegant obedientiam. *Erubeſce ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas!* inquit Bernardus. Audite Chriſtum clamantem, & obedite monenti: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth. 11. v.29. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, Luc.18. v.14. Chriſtus obediens Patri, *exaltatur* ad dexteram ejus, Philip. 2. v.9. *Reſpicit* enim *humilia in cœlo & in terra*, Pſalm. 113. v. 6. *Excelſus es Domine, ſed humiles corde ſunt domus tuæ*, ait Auguſtinus. Non erat Deus in ſpiritu grandi; non in commotione; non in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis, 1. *Reg.* 19. *verſ.* 12. quo innuitur, quòd non ingrediatur animam ſuperbam, grandes ſpiritus gerentem: non avarum & opes undique conquirentem; non libidinoſum, & inſtar ignis ardentem, ſed humilem, manſuetum & demiſſum.

Dei ergò habitaculum eſſe deſideras? Sis humilis, & lubenter te ſubjicias. Reddite omnibus debita, *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem*, Rom.13. v.7. Subjecti ſimus (1) *Deo*, cui jure creationis honorem, jure dominii timorem, jure redemtionis amorem, jure ſanctificationis obedientiam debemus. (2) *Dei miniſtris*, paſtoribus noſtris, qui legatione funguntur, *2.Cor.5. v.20.* & verbum Domini nobis loquuntur, *Heb.13. v.7.* (3) Magiſtratui, *Rom.13.v.1.* quia Dei miniſter eſt in bonum *v.4.* Itaq; qui reſiſtit Magiſtratui, Dei ordinationi reſiſtit, *v.1.* Subjecti denique ſint (4) omnes liberi ſuis parentibus, vi quarti præcepti & exemplo Chriſti. Joſephus erat pater ejus tantùm quoad curam, non naturam, & tamẽ ipſi fuit ſubditus. Quis tu igitur es, qui parentibus obſequi recuſas?

Num

Num tibi major videris, quàm ipſe Dei filius? Sint parentes ſtatu viles, doctrinâ rudes, & opibus deſtituti: parentes tamen tui ſunt. Quis Chriſtus, quis Joſephus erat? Ille Dei filius, hic miſer homuncio: ille Dominus gloriæ, hic faber lignarius: ille æterna ſapientia & opulentia, hic plebejus & pauper. Nihilominus tamen Chriſtus Joſepho, atque ſic Dei filius homuncioni, gloriæ Dominus fabro lignario, ſapientia plebejo, opulentia pauperi obtemperavit & ſubjecta fuit. Multò magis vos filij audite judicium patris, & ſic facite, ut ſalvi ſitis, *Sir. 3. v. 3.* Maledictus verò qui non honorat patrem ſuum, & matrem, & dicet omnis populus, Amen, *Deut. 27. v. 16.*

V. Tandem Sapientia & pietate proficias. Hoc enim de Chriſto dicitur, & intelligi poteſt reſpectu ſapientiæ *vel* finitæ, quæ crevit reipsâ & habitualiter: *vel* infinitæ, quæ crevit manifeſtatione & effectualiter, uti Solis claritas creſcere dicitur in meridie. Quemadmodum verò Chriſtus crevit: Ita & nos creſcere laboremus. Semper operamini ſalutem veſtram, *Phil. 2. v. 12.* ſatagite, ut per bona opera vocationem firmam faciatis, *2. Pet. 1. v. 10.* Creſcat *ſapientia*, frequenter verbum audiendo, & diligenter meditando: Creſcat *Pietas*, in curſu bonorum operum quotidiè pergendo: Creſcat *Patientia*, voluntatem Dei in omnibus agnoſcendo. In via eſtis, ubi pergendum, non ſtandum. *In via Dei non progredi, eſt regredi*, juxta Gregorium. Imperator Carolus pro inſignibus habuit columnas Herculis cum inſcriptione: *Plus ultrà:* Chriſtianorum hoc ſit Symbolum, ut quotidiè plus ultrà cogitent. Progre-

5. Sapientia & pietate proficias.

diendum ſemper eſt, donec conſummemus curſum, & perveniamus in cœlum, ubi erimus pleni gratiâ, perfecti ſapientiâ, & fruẽtes æternâ lætitiâ, *id quod nobis omnibus concedat, qui præivit & viam paravit, Chriſtus Ieſus in ſecula benedictus*, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIA,

Iohan. 2. à Verſ. 1. usq; ad 12.

De Nuptiis in Cana celebratis.

V. 1. Καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας· καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ.	CÆterùm die tertio factum eſt convivium in Kotne civitate Galilææ: materq; Jeſchua illic aderat.	Vnd am dritten Tage ward eine Hochzeit zu Cana in Galilea/vnd die Mutter JEſu war da.
2. ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.	Quin & ipſe Jeſchua, ac diſcipuli ejus, vocatus eſt ad illud convivium.	Jeſus aber vnd ſeine Jünger wurden auch auff die Hochzeit geladen.
3. καὶ ὑστερήσαντος οἴνου, λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν, οἶνον οὐκ ἔχουσι.	Et defecerat vinum, quùm dixit ei mater ipſius Jeſchua, Vinum non habent.	Vnnd da es an Wein gebrach/ ſpricht die Mutter JEſu zu jhm: Sie haben nicht Wein.
4. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.	Dixit ei Jeſchua, Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.	Jeſus ſpricht zu jhr: Weib/was hab ich mit dir zu ſchaffen? Meine ſtunde iſt noch nit komen.

5. λέγει

5. λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις, ὅ,τι ἂν λέγῃ ὑμῖν ποιήσατε.

Dixit ejus mater ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.

Seine Mutter spricht zu den Dienern: Was er euch saget/das thut.

6. ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ιουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς.

Erant autem ibi hydriæ lapideæ sex quæ positę fuerant ad purgationem Jihoudæorum capientes singulæ binas metretas aut ternas.

Es waren aber allda sechs steinern Wasserkrüge gesetzet / nach der weise der Jüdischen Reinigung / vnd giengen je in einẽ zwey oder drey Maß.

7. λέγει αὐτοῖς ὁ Ιησοῦς, γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω.

Dixit eis Jeschua: Implete has hydrias aqua: & impleverunt eas ad summum usque.

Jesus spricht zu jhnen: Füllet die Wasserkrüge mit Wasser. Vñ sie fülleten sie biß obẽ an.

8. καὶ λέγει αὐτοῖς, ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. καὶ ἤνεγκαν.

Dixit eis, Haurite adhuc & afferte præcipuo discumbẽti (*architriclino*) itaq; obtulerunt.

Vnd er spricht zu jhnen: Schöpffet nun vnd bringets dem Speisemeister. Vnd sie brachtens.

9. Ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν, οἱ δὲ διάκονοι ᾔδησαν, οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ. φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος.

Quùm autem gustasset ipse architriclinus aquas illas quæ factæ fuerant vinum, nesciebat autem unde esset: sed ministri sciebant, quippe qui implevissent eas aqua, vocat architriclinus sponsum.

Als aber der Speisemeister kostet den Wein / der Wasser gewesen war/vnnd wuste nit von wannẽ er kam / die Diener aber wustens/ die das Wasser geschöpffet hattẽ/ruffet der Speisemeister dẽ Breutgam:

10. καὶ λέγει αὐτῷ, πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω. σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

Et dixit ei, Unusquisque prius vinum bonum offert, & quùm inebriati fuerint (*convivæ*) tunc quod minimum est: tu autem servasti vinum optimũ nunc usque.

Vnd spricht zu jhm: Jederman gibt zum ersten guten Wein / vnnd wenn sie Truncken worden sind / alsdeñ den geringern / Du hast den guten Wein bißher behalten.

11. ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ. καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

Hoc fuit primum signũ quod edidit Jeschua in Kotne Galilææ, & notam fecit gloria suam & crediderunt in eum discipuli ejus.

Das ist das erste Zeichen / das Jesus thât / geschehen zu Cana in Galilea / vnd offenbaret seine Herzligkeit. Vnd seine Jünger glaubten an jhn.

Homilia.

Tres Hierarchiæ.



RES sunt *Hierarchæ* vel status sacri, divinitùs instituti, & ad finem seculi usque continuandi. Primus est *Oeconomicus*, der Nehrstand / in quo ex duobus fit caro una, *Gen. 2. vers. 25.* ad procreandos liberos, & propagandum genus humanum, *Gen. 10. v. 28.* Secundus est *Ecclesiasticus*, der Lehrstand / in quo vivunt pastores, fidem veram docentes, & pietatem sinceram inculcantes, *1. Tim. 3. v. 5.* Tertius est *Politicus*, der Wehrstand / in quo præsidet Magistratus, probis in præmium, improbis in supplicium, *Rom. 13. v. 1. seqq.*

Præ-

Præfigurati ſunt hi ſtatus per tria memoralia, in arca fœderis olim repoſita, quæ fuerunt 1. *Manna*, panis cœleſtis, 2. *Tabulæ* Moſis. 3. *Virga* Aaronis. *Manna* ſtatum Oeconomicum; *Tabula* Eccleſiaſticum: *Virga* Politicum adumbrat. Et ſicuti Cherubin ſuper arcam alas ſuas extenderunt, Deúsque illam ſingulariter protexit: Ita ſuper ſtatus prædictos, alas gratiæ expandit, & mirabiliter eos defendit.

Hoc ipſum ſuo Chriſtus exemplo haud obſcurè comprobavit; utque Hierarchias iſtas ſibi curæ cordíque eſſe palàm faceret, ſingulis gloriam ſuam manifeſtare, & peculiari miraculo innoteſcere voluit. Magis enim qui *Politici* erant peculiarem in Oriente ſtellam oſtendit, quâ ipſos tacitè vocavit, & ad veritatis cognitionem perduxit. Ante octiduum ſedit in medio *ſcribarum*, & approbavit labores docentium. Jam ne *nuptiis* ſtatuíque Oeconomico videatur infeſtus, ſuâ illas præſentiâ honorat, & converſione aquæ in vinum celeberrimas reddit. *Quas Chriſtus confirmavit.*

Primum hoc fuit miraculum, poſtquam ſacrum inceperat miniſterium. Et hoc ipſo doctrinæ ſuæ conditionem luculenter adumbravit. Phariſæorum tradita erant inſtar aquæ turbidæ, quæ nullius efficaciæ: Sed Chriſtus prædicare incipiens, aquam vertit in vinum: & falſis opinionibus ſubſtituit Evangelium. Vini operationis notæ ſunt; 1. Exhilarat. 2. Calefacit. 3. Nutrit. *Sic* Evangelium mœſtos *exhilarat*, annunciando veniam; ſecuros *calefacit*, inculcando pœnitentiam: eſurientes *nutrit*, offerendo gratiam. Non igitur ſignificantius potuit Chriſtus ſignorum

facere

facere initium, quàm convertendo aquam in vinum.

Partes Evangelij. Partes verò Evangelij tres sunt. In *prima* describuntur nuptiæ Cananææ & Convivæ: vers. 1. 2. In *secunda* defectus Vini, & Colloquium Mariæ cum Christo, vers. 3. 4. 5. In *tertia* ipsum miraculum, secundum omnes circumstantias recensetur, vers. 6. & seqq.

Nos usum Evangelij, duorum problematum enodatione, ostendemus.

Propositio. *I. Quomodo juniores ad matrimonium se rectè præparare possint?*

II. Quomodo conjuges in matrimonio contracto se gerere debeant, ut Dei benedictionem, & hominum favorem consequantur.

Supremus conjugij autor faxit, ut *cuncta cedant in ipsius gloriam, & ædificationem nostram;* Amen.

PARS PRIOR.

De rectâ ad matrimonium præparatione.

SAluberrimum est antiquorum monitum: *Quicquid agis, prudenter agas.* Nihil enim magis officit, quàm inconsulta temeritas, & præcipitantia in agẽdo. Qui celeri & properante gressu in via lubrica pergit, facilè labitur: sic quùm vita humana lubrica sit, & in ambiguitate versetur, multis lapsibus expositi sunt, qui actiones suas nimis præcipitant.

Requisita, ad cõjugij præparationem necessaria. Quòd si autem ullibi maturè est deliberandum, & præparatio instituenda, in matrimonio certè contrahendo ante omnia hoc requiritur. Sunt

verò

verò tria requisita, ad rectam præparationem necessaria, de quibus ordine agemus.

Primum est, Honesta de conjugio sententia. Hanc tenuerunt novelli conjuges in præsenti Evangelio. Nisi enim matrimonium pro statu sacro honorabili, & divinitùs instituto habuissent, utique nec ipsi celebrâssent nuptias, nec Christum cum matre & discipulis ad eas invitâssent. *1. Honestâ de cõjugiò sententia.*

In Papatu multa sparguntur, in hunc statum contumeliosa, *quòd* sit contrarius orationi, *quòd* impediat sanctitatem, *quòd* sit illecebrosum lenocinium, & arcta ergastuli latebra, uti calumniatur *Adelhelmus* lib. de Virg. *quòd* sit status carnalis, in quo qui vivant, Deo placere non possint, juxta delirum judicium *Papæ Syricij* dist. 82. c. 2. *Papa extenuat matrimoniũ.*

Hinc cœlibatum Clericis injungunt, & monasticen vehementer extollunt: per matrimonium quidem terram, sed per virginitatem cœlum impleri clamitant.

Verùm alia mens est Apostoli, qui conjugium in omnibus honorabile esse asserit, *Hebr. 13. vers.* 4. & interdictum nuptiarum vocat doctrinam dæmoniorum, *1. Tim. 4. v. 3.* ideoque & Episcopum uxoratum esse posse innuit, *1. Tim. 3. vers. 2. Tit. 2. v. 6.* *Laudes matrimonij.*

Conjugium est status *Antiquissimus*, ab ipso Deo in Paradiso institutus: est status *saluberrimus*, per quem genus humanum conservatur, & in quo seminarium Ecclesiæ cœlique plantulæ educantur: est status *sanctissimus*, in quo pientissimi Patriarchæ & Reges vixerunt, de quo Paphnutius dixit: *In conjugio summa est castitas.*

Hono-

Honoravit hunc ſtatum *Deus Pater*, primos conjuges copulando, *Gen. 2. v. 22.* honoravit *Dei filius*, nuptias Cananæas ſuâ præſentiâ ornando: honoravit *Spiritus Sanctus*, paſſim de illo in ſcripturis loquendo: honorant *Beati Angeli*, qui piis conjugibus aſſiſtunt, & ſobolem defendunt, *Matt. 18. v. 10.* honorârunt denique *Prophetæ & Apoſtoli*, qui ſæpiùs illum commendârunt & ipſi elegerunt.

Hic ſtatus non in uno tantùm Legis præcepto, ſed in multis fundatus & ſtabilitus eſt, ut in quarto, ſexto & decimo: *Hic* ſtatus in Incarnatione Chriſti nobilitatus eſt, qui naſci voluit non niſi ex deſponſata virgine, ut conjugium non minùs ac virginitatem ſibi placere oſtenderet atque ſic utrumque ſtatum ſanctificaret. *Hujus* ſtatus multa & permagna ſunt commoda, ut 1. Mutuum adjutorium. 2. Mutuum ſolatium. 3. Mutuæ preces. 4. Dulcedo amoris & concordiæ. 5. Generatio liberorum. 6. Exercitium variarum virtutum, Unde Veteres:

Commoda matrimonij.

Conjugium humanæ quædam eſt Academia vitæ.

7. Multiplex myſterium, ſiquidem per conjunctionem viri & fœminæ *triplex conjugium myſticum* adumbratur. *Primum* nominamus *hypoſtaticum*, quod eſt inter λόγον & humanitatem Chriſti; quæ naturæ arctiſſimè conjunguntur per unionem perſonalem. Et velut vir caput eſt mulieris, ita λόγος humanitatis. Uti vir uxori ſua bona communicat: ſic λόγος carni ſuam gloriam & idiomata. Utque ſponſus ſponſam introducit in domum ſuam: ſic λόγος per aſcenſionem adduxit in cœlum ſuam humanitatem. *Secundum* nominamus *Eccleſiaſticum*, quod eſt inter Chriſtum & Eccle-

Triplex conjugium myſticum.

Ecclesiam, *Eph. 5. v. 32.* quam sibi desponsat, *Ose. 2. vers. 19.* & æterno matrimonio copulat. Unde fluit 1. Amor mutuus & sincerus. 2. Fides conjugalis. 3. Communicatio bonorum. 4. Compassio. 5. Defensio. 6. ἐπιείκεια in tolerandis infirmitatibus. 7. Generatio & educatio filiorum spiritualium, quæ omnia ij demùm rectè intelligunt, qui similia in conjugio experiuntur. *Tertium* nuncupamus *Baptisticum*, quod celebratur in Baptismo inter Deum & fidelem animam, quæ ipsi desponsatur, & in fœdus gratiæ suscipitur. Uti verò in matrimonio, sic & in hac conjunctione mystica 4. reperiuntur. 1. Amor mutuus & societas bonorum. 2. Fides conjugalis. 3. Generatio filiorum. 4. Defensio & mutuum auxilium. Videamus autem ne instituatur divortium, quod fit per peccata mortalia, quæ separant Deum & homines, *Esa. 59. v. 2.* Hæc igitur mystica quùm Deus in matrimonio abdiderit, honestè de illo sentire, omnesq; ejus contemtores contemnere & floccifacere debemus.

Secundum est, Devota Iehovæh reverentia. Ut omne bonum descendit à Patre luminũ, *Iac. 1. v. 17.* Ita & matrimonium benedictum. Ante omnia ergò devotæ preces ad Deum fundendæ sunt, ut ipse negotium omne dirigat, & conjugium auspicatum reddat. *2. Devota Iehovæh reverẽtia.*

Observârunt hoc nostri Neonymphi, qui Christum Salvatorem ad nuptias suas piâ intentione vocârunt. Non enim Christianum est, quod absque Christo incipitur. Non feliciter procedit, quod sine Christi præsentia peragitur. Hunc ergo paranymphum tibi eligas, & precando instes;

ut μίαν τῶν πλευρῶν, dilectam tibi costam adducat & associet. Hæc enim non nisi à Domino datur, *Prov 19. v. 14.* Dei donum est, *Syr. 27. v. 17.* & qui hanc invenit, jucunditatem hauriet ab ipsa, *Proverb. 18. v. 22.* Fatui sunt, qui fato astrísve connubia adscribunt. *Nisi cor tuum esset fatuum, non crederes fatum*, inquit Augustinus. Solus Deus ut autor, ita & moderator est conjugalis fœderis, qui solus cōjungit animos, ut homo disjungere nō debeat, *Mat. 19. 6.* illum ergò voces ad nuptias, ab illo solo uxorē piam impetrare poteris.

Quùm Isaaco esset adducenda virgo, ipse interim precando instabat ad fontem viventis, *Genes. 24. v. 62. 63.* Sic quùm Tobiæ copulata esset Sara, surrexerunt ambo pariter, & orabant instanter, *Tob. 8. v. 6.* quo facto benedictionem Dei abundantem consecuti sunt. Imitamini hæc exempla, & nihil vobis deerit. Non cæco impetu irruendum est in matrimonium. Vocetur primùm Deus, & ab illo petatur consilium: Ita de ipsius gratiosa præsentia, & auxilio in adversis poterimus esse certissimi.

3. Ordinis observantia. Tertium est, Ordinis observantia. Non temerè, non inconsultò, non in angulo ineundum est matrimonium. Servetur ordo legitimus, & divinitùs sancitus. Fecerunt hoc procul dubio nostri Neogami: aliâs non habuissent tam pios & honoratos hospites.

Sponsalia 1. Non sint jocularia. Non sint sponsalia 1. *Iocularia*, sicuti multi in ebrietate, & quasi per jocum ludúmque uxores ducunt. Deliberatione opus est, & maturo judicio, ne juxta brutum carnis appetitum conjux eligatur.

In

In bivio hîc constitutus es: hîc panditur vitæ vel felicitas, vel perpetua difficultas. Rem ergò prudenter incipe, ne erres in consilio Non te forma decipiat: Satis est si piam, si laboriosam duxeris. Talis fuit *Sara*, quæ rem domesticam diligenter curavit: Talis *Rebecca*, quam non ante speculum stantem, sed hydriam portantem invenit Eleazar, *Gen.24.v.5.* Talis *Rachel*, quam Jacob cum grege suo venientem vidit, *Gen. 29. v. 6.* His ergò similes prudenter eligamus, nec nimis soliciti simus de opibus. Si adfuerit pietas, à DEO cætera nobis facilè adjicientur.

2. *Non sint Angularia*, ut sæpè fieri consuevit, quùm ex cæco impetu, & vesano amore privatim concurritur, & libido exercetur. Ita convenerunt Dina & Sichem, *Gen. 34. v. 1. seqq.* Judas & Thamar, *Gen. 38. v. 16.* Ammon & Thamar, *2. Sam. 13. v. 11.* Hæ sunt Caninæ nuptiæ, ab ipsis sanioribus Ethnicis damnatæ. Aliter nostri Neonymphi rem instituerunt: Non in angulo, sed publicè: non modo illicito, sed ordine modóque consueto nuptias celebrârunt, & in hoc laudabile nobis exemplum reliquerunt. *2. Non sint angularia.*

3. *Non sint Clancularia*; ne absq; parentum aut tutorum consensu instituantur. Sanctè hoc observatum est in Testamento Veteri, ideoq; à nostris procul dubio haud neglectum Aderat mater Domini, priusquam reliqui convivæ vocarentur: non discumbit cum cæteris, sed ministrat & curat, quæ necessaria sunt. Unde colligunt interpp. vel sponsum vel sponsam fuisse ex cognatione Mariæ, & cum hujus consensu matrimonium contractum. In Scripturis sanè passim *3. Non sint clancularia.*

jubentur parentes profpicere fuis liberis de honeftis & idoneis nuptiis, ut *Exod. 34. verf. 16.* Et *Ierem. 29. v. 6.* Hinc reprehenduntur, qui abfque parentum confilio & confenfu fibi ipfis conjuges quæfiverunt, ficut de Efavo Mofes teftatur, eum duxiffe uxores in amaritudinem parentum, *Gen. 26. v. ult.* Sic Apoftolus 1. *Cor. 7. v. 36. 38.* jus elocandorum liberorum parentibus luculenter afcribit. Imò & pater filiæ ab alio ftupratæ, quam aliàs ex Lege Mofaica & dotare & ducere cogebatur, poteftatem habuit liberam, velletne ftupratam filiam dare, vel fecus, *Exod. 22. v. 16. 17.* Hæc igitur fuit perpetua praxis in populo Dei, ut parentes fuos liberos elocarent. In hoc confentiunt pij Patres, & Leges Juftiniani, *lib. 1. Inft. tit. 10.* Hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio fuadet; quam confirmant & fancita faniorum gentilium, ficuti nota eft vox *Hermiones* apud Euripid. quæ Orefti connubium petenti ita refpondit: *Nuptiarum mearum curam pater meus habebit, meum non eft de iftis decernere.*

4. *Non fint inæqualia*, ne facilè ducatur difparis religionis conjux. Neonymphi noftri ex uno femine Judaico erant oriundi, quippe ex Mariæ cognatione, & Ifraelitico more celebrantes nuptias. Imiteris & hoc factum, ideoque *fi vis nubere, nubi pari.*

Ifraelitis prohibuit Deus connubia gentium Cananæarum, propter feductionem, quæ caufa Chriftianos quoque attinet. Patriarchæ liberis fuis delegerunt conjuges ex fuâ profapiâ. Difparium nuptiarum quanta fint incommoda, videre eft in Efavo, Salomone, & aliis. Simul junctisq;

votis

mul junctisque votis precari debent conjuges: At si eidem Deo non adhæreant, quî istud fieri poterit? Prava colloquia corrumpunt bonos mores, quantò magis talia conjugia? Nam alienus à Christo nihil benè de eo loquitur. Cum infideli igitur & hæretico non contrahatur matrimonium, nisi aliqua spes conversionis effulgeat.

PARS POSTERIOR.

De Virtutibus piorum Conjugum.

NEogami nostri hactenus suo præluxerunt exemplo matrimonium contrahentibus: Nunc quomodo in contracto vivendum sit, similiter ostendunt. *Requisita piorum cōjugum.*

Requiritur autem I. Crucis patientia. Qùum maximè exhilarandi essent hospites, deficiebat vinum. Ita sæpè piis conjugibus multa desunt, quæ patienter expectare debent. Matrimonium non est merus gaudij status: plus doloris miscet Deus, quàm dulcedinis. Maledixit enim terræ, ut in sudore vultus cogamur pane vesci, *Gen. 3. vers. 19.* & tribulationem carnis experiri, *1. Cor. 7. v. 28.* Hinc Veteres olim novis nuptiis *Spinarum calathos* præferri curârunt, ut punctiones sibi expectandas esse admonerentur. Feramus autem patienter, si quæ adversa nobis accidūt. Non murmurandum est, si maximè deficiat vinum: speremus in Domino, qui juvabit tempore opportuno. Nam teste Syrac. cap. 2. v. 11. *Nullus speravit in Domino, & confusus est.* *1. Crucis patientia.*

II. Precum instantia. Virgo Maria loco conjugum accedit Christum, & petit auxilium, *2. Precum instantia.*

humiliter dicens: *Vinum non habent.* Satis esse putabat, si defectum indicâsset. Certa enim erat de ipsius potentia, quâ juvare posset, & misericordia, quâ juvare vellet, ut, quamprimùm audierit penuriam, ipsum in opitulando promtum fore crederet. Tutissimum hoc remedium est in adversitatibus. Ad quem enim alium confugiemus, quàm ad Christum? Si deficiant necessaria, non deseras uxorem, sed honestè victum quæras, *Psal. 36. v. 3.* non magna debita contrahas, quia peccator mutuatur & non solvit, *vers. 21.* non alienas opes ad te rapias, quia spolians spoliabitur, *Esa. 33. vers. 1.* sed jactes curam in Dominum, ipse faciet, *Psalm. 55. vers. 23.* Leves oculos tuos in montes, inde veniet tibi auxilium, *Psal. 121. v. 1.* sint oculi tui ad Dominum, donec misereatur nostri, *Psal. 123. v. 2.*

3. Moræ tolerantia. III. Moræ tolerantia. Nemo æstimet, Deum semper ad primam statim instantiam ferre auxilium. Maria durum audiebat respōsum: *Quid mihi & tibi est mulier?* hoc est, nullum in me jus habes in ijs, quæ officium & auxilium meum concernunt; Ideoque *mulierem* appellat, non matrem. Ita verò phrasin illam sumi ostendunt loca, *Iud. 11. vers 12. 2. Reg. 16. v. 10. Esd. 4. v. 3.* Et addit Salvator: *Nondum venit hora mea,* per quam tempus juvandi opportunum, & divinitùs constitutum intelligitur, quo sensu vox horæ accipitur, *Iohan. 13. v. 1. Rom. 13. v. 11. Apoc. 14. v. 15.* Atque sic aliæ sunt cogitationes hominum, aliæ Dei, *Esa. 55. v. 8.* Maria primo tempore opem ferendam esse censebat, sed Christus expectat, ut eò gratius fiat auxilium, & illustrius reddatur miraculum.

Tardæ

Tardæ enim ſunt horæ Dei, ſed valdè gratæ. Expe-ctâ igitur patienter, ſi non ſtatim exaudiaris à Do-mino. Veniet ejus hora, ſi precando inſtiteris. Jacobum imitare, qui Dominum dimittere nolebat, niſi priùs benedixerit, *Geneſ. 32. v. 26.* Moſes bis percutiebat petram, & tum egreſſa eſt aqua, *Num. 29. v. 11.* Cananæa primùm repulſam paſſa, non diſceſſit ſtatim, ſed orando perrexit, & invincibilem vicit, *Matth. 15. v. 28.* Ita non ſtatim deſperemus, ſi cunctetur Dominus: Orandum eſt indeficienter: tandem hora Dei veniet, & ipſe non tardabit, *Hab. 2. v. 3.*

IV. Oeconomica vigilantia. Aderat his nuptiis mater Domini, quæ omnia dirigebat: Aderant miniſtri, qui ſerviebant: aderat architriclinus, qui cibum potúmque aſſervabat. Tali ordine quùm omnia ſunt diſpoſita, nunquam deeſt benedictio divina. Videant novelli conjuges, ut remOeconomicam rectè, & ordine adminiſtrent. Diſplicet Deo ſegnities, diſplicet confuſio & inordinatio. Laborandum eſt fideliter, & res gerenda ſapienter. Abrahami & priſcorum Patriarcharum familiam intuemini, Quàm diligentes iſti fuerunt in laborando! quàm prudentes in diſponendo! quàm frugales in victitando! Et niſi hoc fiat, aqua in vinum non mutatur, opes exiguæ à DEO non augentur. Si diteſcere velint conjuges, tria hæc præcepta ſacræ Chrematiſticæ obſervent. 1. Ardenter *Ora*, 2. Diligenter *Labora*, & 3. Prudenter domum *Guberna*. Conjungatur cum precatione labor, cum labore prudens diſpoſitio: & ſequetur ultrò facultatum accretio.

4. Oeconomica vigilantia.

5. *In cultu divino perseverātia.* V. In cultu divino perseverantia. Cognito enim miraculo, & discipuli, & procul dubio Neonymphi in Christum constanter crediderunt, cultuque debito affecerunt. Dignum enim est, ut illi detur gloria, à quo accipiuntur beneficia. Pium est, ut Christus nobis sit omnia, illique semper & in omnibus adhæreamus. Ipse exemplo conjugum nostrorum invitandus est ad nuptias, invocandus in nuptiis, honorandus post nuptias. Si & tua aqua mutetur in vinum, non proprio labori, sed Christo benedicenti adscribas, & hymnum gloriæ decantes. Benedicat anima tua Domino, nec obliviscetur retributionum ejus, *Psal. 103. v. 1. 2.* Exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo, qui solus esurientes implevit bonis, *Luc. 1. v. 47. 53.* Scias quoniam Dominus ipse est Deus, *Ps. 100. v. 3.* ipsius benedictio facit divites, *Proverb. 10 v. 22.* Ut igitur ab illo nobis dantur omnia, sic ipsi soli à nobis reddenda est gloria. Talis enim gratiarum actio est ad plus dandum invitatio. Nam qui Dominum honoraverit, hic glorificabitur, *1. Sam. 2. v. 30.* Qui coram illo se humiliat, exaltabitur, *Luc. 14. v. 11.*

Ita ergò vivant novelli conjuges, *ut* defectus patienter ferant, precando instent, moram tolerent, prudenter res administrent, & Deo semper adhæreant: Sic aqua in vinum, amaror in dulcedinem, planctus in gaudium commutabitur, & suo tempore ad cœlestes sempérque duraturas Agni Dei nuptias promovebuntur. Quod ut ab omnibus piis conjugibus eveniat, *faxit Deus conjugij autor, & conjugum patronus, semper benedictus,* Amen.

EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIA.

Matth. 8. Verſ. 1. usq; ad Verſ. 14. Marc. 1. Verſ. 39. Luc. 5. verſ. 12.

De Leproſo & Centurionis ſervo ſanato.

v. 1. Καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί.

QUum autem deſcendiſſet è monte, circumdederunt eum turbæ multæ.

DA er aber vom Berge herab gieng / folget jhm viel Volcks nach.

2. καὶ ἰδοὺ λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων, Κύριε ἐὰν ἐθέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

Et ecce leproſus unus veniens adoravit eum; & ait: Domine mi, ſi volueris, potes me mundare.

Vnd ſihe ein außſetziger kam / vnnd betet jhn an / vnnd ſprach: HErr / ſo du wilt / kanſtu mich wol reinigen.

3. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ιεσοῦς, λέγων, Θέλω, καθαρίσθητι· καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα.

Et extendens manum ſuã Jeſchua, admovit ei, & ait: Volo ego, mundus eſto. Et in illa ipſa hora mundata eſt lepra ejus.

Vnd JEſus ſtrecket ſeine hand auß / rühret jhn an / vnd ſprach: Jch wils thun / ſey gereiniget. Vnd alsbald ward er von ſeinem Auſſatz rein.

4. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ιησοῦς, Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς. ἀλλ᾽ ὕπα-

Et ait illi Jeſchua, Vide ne ulli dixeris; ſed abi, oſtende

Vnd JESVS ſprach zu jhm: Sihe zu / ſags nie-

γε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον, ὃ προσέταξε Μωσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

temetipſum ſacerdotibus, & offer oblationem ſicuti præcepit Mouſche, ut ſit eis teſtimonio.

mand/ſondern gehe hin/vñ zeige dich dem Prieſter / vnd opffere die Gabe/ die Moſes befohlen hat/ zu einem zeugnis vber ſie.

5. εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ εἰς Καπερναοὺμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος παρακαλῶν αὐτὸν,

Quum autem ingreſſus fuiſſet Jeſchua Capharnachum, acceſſit ad eum Centurio quidam, & rogavit eum, inquiens.

Da aber JEſus eingieng zu Capernaum / trat ein Hauptman zu jm/ der bath jhn / vnd ſprach: HERR/ mein Knecht ligt zu Hauſe.

6. Καὶ λέγων, Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.

Domine mi, puer meus jacet domi, & paralyticus eſt, & malè cruciatur.

Vnnd iſt Gichtbrüchig / vnnd hat groſſe Qual.

7. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν.

Ait illi Jeſchua, ego iturus ſum, & ſanabo eum.

JEſus ſprach zu jhm: Jch will kommen / vnnd jhn geſund machen.

8. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος ἔφη, Κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς, ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

Reſpondit ille Centurio, & ait: Domine mi, non ſum dignus, ut ingrediaris ſub tugurium meum, ſed tantùm dic verbũ, & ſanabitur puer meus.

Der Hauptman antwortet / vnnd ſprach: HErr/ Jch bin nicht wehrt/ das du vnter mein Dach geheſt / ſondern ſprich nur ein Wort / ſo wird mein Knecht geſund.

Καὶ

9. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας. καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται. καὶ ἄλλῳ, ἔρχου καὶ ἔρχεται, καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.

Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, & habeo sub manu mea milites, & dico huic, ito, itque: & alteri, veni, venitq; & servo meo, hoc age & agit.

Denn ich bin ein Mensch / darzu der Obrigkeit vnterthan / vnd habe vnter mir Kriegsknechte / Noch weñ ich sage zu einem: Gehe hin / so gehet er. Vnd zum andern / kom̃ her / so kompt er. Vnd zu meinem Knecht / thue das / so thut ers.

10. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασε, καὶ εἶπε τοῖς ἀκολουθοῦσιν, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

Quod quum audisset Jeschua, miratus est, & ait secum euntibus: Amen ego dico vobis, ne in Isroiel quidem inveni talem fidem.

Da das JEsus hőret / verwundert er sich / vnd sprach zu denen / die jhm nachfolgetē Warlich / ich sage euch / solchen Glauben habe ich in Jsrael nicht funden.

11. Λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραάμ, καὶ Ἰσαάκ, καὶ Ἰακώβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

Ego verò dico vobis, Multi véturi sunt ab Oriente & ab Occidente, sessuriq; cum Abrohom, & Ischok, & Jakoub in regno cœlorum.

Aber ich sage euch: Viel werden kommen vom Morgen vnd Abend / vñ mit Abraham vnd Jsaac vnd Jacob im Himmelreich sitzen.

12. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθή-

Filii verò regni extrudentur in te-

Aber die Kinder deß Reichs werden

σονται

σονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμός, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

nebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.

außgeſtoſſen in das Finſterniß hinauß/ da wird ſein heulen vnd Zänklappen.

13. Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ, ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι, καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.

Proinde ait Jeſchua Centurioni illi, Abi, ut credidiſti, fiat tibi, & ſanitati reſtitutus eſt puer ejus in illâ ipsâ horâ.

Vnd JESVS ſprach zu dem Hauptman: Gehe hin / dir geſchehe wie du geglaubet haſt. Vnnd ſein Knecht ward geſund zu derſelbigen ſtund.

Homilia.



OL illud admirabile opus Excelſi, quàm primùm oritur, ſtatim tenebras diſpellit, aërem colluſtrat, radios undiquaque diffundit, homines que & animalia exhilarat. Magnus ſit Dominus oportet, qui creavit illum, *Eccleſ.43. verſ.15.*

Chriſtus Sol Eccleſiæ. Habet verò Eccleſia quoque Solem ſuum, nempè Solem Juſtitiæ, Chriſtum Jeſum, *Malach 4.v.2.* Hic tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, à ſummo cœlo progreſſio ejus, *Pſalm. 19. v. 6.* Hic Sol ortus quidem eſt ab æterno, quoad divinitatem, *Mich. 5. v. 2.* nobis verò illuxit in tempore, quoad humanitatem. Ipſe eſt oriens ex alto, qui viſitavit nos per viſcera miſericordiæ, *Luc. 1. v. 78.* Magnæ ſuper terram fuerunt tenebræ ante ejus nativitatem, multiplex miſeria orbem occupaverat: ſed orto hoc Sole, mox diſpulſa eſt caligo igno-

ignorantiæ, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, *Esa. 9. v 2.* Exhilarati sunt mœsti homines, quia ipso nato gaudium magnũ omni populo annunciatum est, *Luc. 2. v. 10.*

Neque enim sola Judæa radios hujus Solis mystici excepit: In peregrinas quoque & longè dissitas terras projecti sunt, nec fuit quicquam, quod à calore ejus se absonderit, *Psalm. 19. v. 7.* Sparsit radios in *Orientem*, illustrando Magos: Sparsit in *templum Hierosolymitanum*, informando doctores: sparsit in *Galilæam*, novis nuptis benedicendo.

Nunc altius adscendit Sol noster, & pergit calefaciendo, dum Judæis & gentibus simul suam vegetandi vim communicat. Ecce enim! Quum Christus è monte, in quo spendor doctrinæ illustravit discipulorum animas, descenderet, mox unà calorem suum indigentibus impertire voluit. Accedunt hunc Solem viri duo miseriis pressi, dispatis tamen conditionis & religionis. *Alter* erat leprosus ex semine Judaico oriundus: *Alter* Centurio gentilis, qui servum habebat paralyticum. *Ille* laborabat corpore, propter lepram; *hic* animo, ob condolentiam. Vix autem accesserunt; Ecce! sparguntur radii bonitatis divinæ: Leprosus mundatur, Centurio exauditur, servus paralyticus sanatur, spectatores omnes exhilarantur. *Summa Evangelij*

Hactenus Deus in Judæa cumprimis notus fuit, Psal 147. v. 19. In separatis quippe & oppositis hemisphæriis vivebant Judæi & gentes. Sed Christus Sol mysticus utrumque penetrat & collustrat, ne de ipsius favore & virtute quisquam ambigendi ansam habeat.

Multa verò & præclara ex hisce historiis præce- *Propositio*

pta & documenta profluunt : Nos præcipua tantùm tangemus,& illa breviter *ex utroque miraculo* proponemus, quæ singularem nobis commonefactionem suppeditant.

Christus, Sol Justitiæ, *spargat etiamnum radios suos, ut illuminentur corda nostra, & piæ devotionis igne penitus incalescant*, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

Duæ artes Christianorum.

DVæ cumprimis *artes* sunt, quæ Christianos maximè decent & commendant. Alteram *patiendi*, alteram *orandi* artem nuncupamus.

Quamdiu hîc vivimus, patiendum est. Quid aliud vita nostra quàm pugna & militia, *Iob. 7 v. 1.* quàm labor & dolor, *Psalm. 90. vers. 10.* quàm pressura & angustia? *Iohan. 16. v. ult.* Vis Christi esse discipulus? Crucem accipe, & Christum sequere, *Matth. 10. vers. 38.* Oportet nos per tribulationes in cœlum ingredi, *Actor. 14. vers. 21.* & persecutiones pati, *2. Tim. 3. v. 12.* Quod verò remedium, quod levamen sub cruce haberi potest? Nullum aliud quàm oratio. Ad nomen Domini currit Justus, & exaltatur, *Prov. 18. v. 10.* In angustia requiritur Dominus, *Esa 26. v. 16.* & in die tribulationis invocatur, *Psal. 50. v. 15.*

Ut autem crux communis est, sed non omnes crucem eâdem ratione ferunt: Sic multi Deum invocant, sed non omnes exaudiuntur. Arte igitur & prudentiâ opus est, ut crux rectè feratur, & oratio rectè instituatur.

Centurio & Leprosus ostendunt ac suo ex-

Utriusque artis *Magistros* habemus in præsenti Evangelio. Artem patiendi *Centurio*: artem orandi *leprosus* suo exemplo docet & confirmat. Quia

verò

verò non tam ſeorſum has perſonas intueri, quàm conjunctim exemplum illorum conſiderare nobis eſt animus; eâ de cauſſa, quas nobis commonefactiones præbeant, nunc paucis perpendemus. *emplo ſug-gerunt.*

I. In utroque proponitur Speculum miſeriæ humanæ. Alter enim leproſus, alter paralyticus, uterque infelix & miſer eſt. Quid enim leprâ turpius, quippe quæ omnes artus inficit, & hominum conſortio privat? Quid paralyſi nocentius, ſiquidem lecto ſemper affigit, & omnia membra inepta reddit? In tam infelici ſtatu verſamur univerſi, non quidem laborando corpore, ſed cumprimis animo. Exterior illa miſeria ſignum eſt interioris. Ante pœnitentiam & Chriſti curã omnes *leproſi* ſumus, ob peccatum originale, omnes *paralytici*, ob peccatum actuale. *Illud* naturam inficit, *hoc* actiones bonas impedit. *1. Speculũ humanæ miſeriæ.*

Deus quidem in ſtatu optimo nos creavit, *Gen.* 1.*v.*27. ſed eheu! excidimus. Animam ſanam ſanctamque inſpiravit, *Gen.*2.*v.*7.*Eph.*4.*v.*24. ſed proh dolor! perdidimus. Cecidit Adam, & in illo cecidimus omnes: Periit Adam, & in illo periimus omnes. Amiſſa eſt imago Dei, & ſucceſſit imago Diaboli. Fuimus, hei! fuimus in Paradiſo; jam extorres ſumus. Fuimus ornati, jam nudi: Fuimus ſani & valentes: jam ægri & languentes. Periit mentis ſapientia, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. Periit cordis juſtitia, *Gen.* 8. *v.* 21. Periit omnium facultatum ἐυταξία, *Rom.* 3. *v.* 12. *ſeqq.* Ægrotat *intellectus* per ignorantiam, *voluntas* per malitiam: *appetitus* per concupiſcentiã. *Et hæc* illa ſpiritualis lepra eſt, quæ primùm Adæ perſonam, pòſt totam naturam infecit. *Miſer ſtatus hominum poſt lapſum.*

Quod ut rectiùs intelligatis, quomodo peccatum

tum per lepram figuretur, perpendite, & leprosum nostrum, ut imaginem peccatorum diligenter aspicite.

Peccatum originale comparatur lepræ ob varias causas.

Conveniunt lepra & peccatum (1) *Ratione originis.* Lepra oritur ex adusto putrique sanguine: Sic peccatum nobis ingeneratur, dum ex impuro parentum sanguine & semine concipimur; *Psal. 50. v. 7.* Et hinc *Ephes. 2. v 3.* vocamur filii iræ naturâ. (2) *Ratione qualitatis.* Lepra morbus est omnium maximus & gravissimus: Alii non sunt perpetui, sed curari possunt: lepra verò nullam medicorum opem admittit: Sic peccatum inter omnia mala summum est, & prorsus incurabile, nisi cœlestis medicus ferat suppetias. (3) *Ratione infectionis.* Lepra citò corrumpit totum corpus, & per contagium simul alios inficit: Ita peccatum totam hominis substantiam pervasit, & ab Adamo in omnes homines pertransiit, *Rom. 5 vers. 12 & seqq.* Sic nocent & alia improborum exempla. Ut ligna arida igni admota citò flammam concipiunt: Sic homines aliorum peccata cernentes, ad similia, ob corruptionem naturæ, facilè impelluntur. (4) *Ratione depravationis.* Lepra vertit hominem in vivum cadaver, dum aures mutilat, oculos erodit, nares & omnia membra depravat, carnemq; devorat, *Num. 12. v. 12.* Ita peccatum omnem spiritualem homini sensum adimit. Aures occludit, ne verbum Dei audiant, oculos excæcat, ne gravitatem mali videant: Linguam corrumpit, ut blasphemet: Cor occupat, ut mala cogitet: Languent manus, ne benè operentur: & tardi sunt pedes, ad ambulandum in viis mandatorum Domini. (5) *Ratione deformitatis.* Lepra omnem pulcritudinem adimit.

adimit.

adimit, & hominem maximè deformem reddit, ita ut leprosi os veste cōtectum gestare jubeantur, *Levit. 13. v. 45.* Sic peccatum spoliavit nos omni decore, & ita deformavit, ut simus Deo abominabiles, *Proverb. 14. v. 1.* (6) *Ratione separationis.* Lepra excludit hominem à consortio sanorum: Ita peccatum nos privat gratiosâ Dei & militiæ cœlestis præsentiâ. (7) *Ratione molesti halitus.* In leprosis omnes humores vitiati sunt, ideoque halitus eorum fœtet, ac molestus est aliis, licet ipsi eum non sentiant: Ita peccatum fœtorem excitat Deo Angelísq; molestissimum, quamvis nos eum ob consuetudinem non odoremus. Hinc guttur impiorum comparatur sepulcro, *Psal. 5. v. 11.* ex quo immanis fœtor ob cadavera exhalat. O quantum fœtorem quotidiè excipere & tolerare Deus noster cogitur! Alii ex hoc oris tumulo blasphemias, alii mendacia, alii aliud eructant. (8) *Ratione pruritus.* Lepra excitat cutis pruritum perpetuum: Ita peccatum in nobis non est otiosum, sed semper negotiosum, ut ejus titillationes & suggestiones sancti etiam experiantur, *Rom. 7. v. 15. seqq.*

Ita igitur in leprosi exemplo vidistis, quanta sit naturæ corruptio, quàm infelix hominum status post lapsum! Totus mundus est positus in maligno, *1. Ioh. 5. v. 19.* & nihil aliud, quàm collegium leprosorum. Agnoscamus hanc labem, nec nobis ipsis blandiamur. Deploremus eam, nec efferamur animo. Initium sanitatis est agnitio morbi: Ita curabimur faciliùs, si naturæ morbum perpendamus sæpiùs.

Uti verò leprosus peccati originalis; sic paralyticus *peccati actualis* typus est. Nec enim naturam *Paralyticus est typus peccati actualis*

tantùm habemus corruptam: Accedunt insuper peccata alia, quibus impœnitentes semper indulgent. Horum deformitatem conditio paralytici ostendit.

1. Fuit ille servus.

1. Nominatur *servus*. Utitur quidem Matthæus vocabulo παιδός, *vers. 6.* sed Lucas disertè δοῦλον vel famulum appellat, *cap. 7. v. 2.* Moris enim fuit antiquis, ut servos mancipatos nuncuparent pueros, uti constat ex *Iudic. 7. v. 11. 2. Samuel. 15. v. 14. 15. Iosuæ 1. v. 1. 2. 7. 1. Paral. 18. v. 6. 7.* Ita & nos servi sumus, quum peccatis dediti sumus. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati, *Ioh. 8. v. 34.* Morosum habent Dominum, qui sceleribus indulgent. Is diabolus est, cujus laqueis circumducuntur. Ad hujus nutum tenentur vivere, & vadere, quum dicit *vade*, uti de suo imperio gloriatur Centurio. Quid verò servitute tristius? Durum est servire bono etiam Domino, nedum tyranno. At verò Satanas, nec bonus est, nec bonum salutemq; nostram quærit. Absit ergò, ut volentes huic tyranno nos subjiciamus.

2. Iacuit in lecto.

2. Dicitur *jacuisse in domo*, quâ phrasi notatur summa corporis infirmitas. Pari modo peccata actualia nos prosternunt, ut erecti stare haud valeamus, sed in scelerum luto jaceamus. Miserum est cadere: sed miserius, semper jacere. Ita peccatum *originis* fecit miseros, sed peccatum *actuale* facit miseriores. Per *illud* Adam cecidit, per *hoc* impœnitentes jacent & pereunt. O desperatos, quibus ita placet jacere, ut nolint surgere! Quis lecto affixus hæreret, si ambulatio concederetur? Cur jacent in peccatis, quos Deus vult ambulare in suis

ſuis ſemitis? Jacebunt olim in inferno, qui hîc perpetuò jacent in ſcelerum luto.

3. Appellatur παραλυτικός. Eſt autem παράλυσις nihil aliud, quàm remiſſio & reſolutiò nervorum; Eſtque duplex, *vel* totalis, quum omnis ſenſus motusq; ceſſat, & vocatur ἀποπληξία: *vel* partialis, quum pars corporis infeſtatur, & ſenſus motusq; tantùm ex parte intercipitur. Et ſcribunt Medici, morbum illum contingere, *vel* ex nimiâ contractione, *vel* ex nimiâ remiſſione nervorum. Hoc autem morbo correptus etiam jacuit Centurionis ſervus; nec opus eſt, ut prolixè hîc diſputetur de παραλύσεως ſpecie, probabile tamen eſt, quòd fuerit tantùm partialis paralyſis, quia ſenſu omni non caruit, ſed cruciatus ſenſiſſe dicitur. Per iſtum verò morbum peccati natura, & peccatorū ſtatus iterum exprimitur, *Vti* per paralyſin ſolvuntur nervi, ſenſus vehicula: ſic per peccatum laxantur omnia pietatis repagula. *Privat* motu ſenſuſuque paralyſis: Sic peccata tollunt motum ſancti Spiritus, & ſenſum divinæ gratiæ. *Paralyticus* verſatur in præſenti diſcrimine vitæ: ſic peccator in periculo animæ. *Paralyſis* oritur plerùnque ex nervorum reſolutione: *ſic* peccatum ex ſecuritate & quæſita licentia. *Paralyſis* vel totalis eſt, vel partialis: Sic pecatum vel planè indurat, vel aliquam ſpem veniæ relinquit. Omnes ſumus *paralytici* ante pœnitentiam, ſed diverſo modo. In *quibusdam* interceptus eſt omnis ſenſus motusque myſticus, ut in Pharaone, Antiocho, Herode: in *quibusdam* adhuc ſupereſt aliquis motus & deſiderium gratiæ, ut in Davide, Petro, & Judæis, *Act.* 2. *v* 37. Videte, ut hos imitemini: ſi ex infirmitate carnis cor-

3. Correptus fuit paralyſi.

Peccatum actuale comparatur cum paralyſi.

ripuit vos peccati paralyſis, ne planè induretis cor veſtrum: Non abjicite omnem ſenſum iræ, omnè deſiderium gratiæ. Auxilium potiùs cum noſtro paralytico quærite, & implorate. Sic ſanitas, ſic recta Deoque placens concedetur membrorum uſurpatio.

4. Magnos cruciatus ſuſtinuit. 4. Refert Centurio, quòd ſervus ſuus *malè torqueatur.* Verbo βασανίζεσθαι utitur, quòd de tormentis ſummis accipitur, & ſæpè pro inferni cruciatibus ponitur, ut *Luc. 16. v. 23. Apoc. 14. v. 11.* Sic nulla peccato gravior eſt tortura.

Per illud ligantur homines, ut ſerviant Satanæ; torquentur, ut careant quiete; roduntur per internum vermem conſcientiæ. O extremam dementiam hominum, qui dum peccant, nihil aliud faciunt, quàm ut torturæ voluntariæ ſe ſubiiciant! Caveamus, fratres, & ſi cruciari nolumus, peccatis voluntariis non indulgeamus.

Morti vicinus fuit. 5. *Moriturus* dicitur, ἤμελλε τελευτᾶν, inquit Lucas *cap. 7. verſ. 2.* Tanta enim erat paralyſeως & cruciatuum vis, ut jam jam animam exhalaturus videretur. Ita peccatis deditus, morti eſt obnoxius. Mors enim peccati ſtipendium, *Roman. 6. verſ. ult.* & filia, *Iacob. 1. verſ. 15.* Non autem uni tantùm mortis generi ſubjacent impii. Moriuntur quoad *animam*, dum ſeparantur à Dei gratia, *Eſa. 59. verſ. 2.* Morientur quoad *corpus*, quando cum gemitu fremitúq; ex hac vita emigrabunt, *Pſal. 34. v. 22.* Morituri ſunt quoad *corpus & animam*, quum æternæ damnationi & morti noviſſimæ ſubjicientur, *Apoc. 20. v. 14.* Illam vulgò mortem *gratiæ*, iſtam *naturæ*, hanc *gloriæ* nuncupamus. Quis verò non exhorreſceret ad tanta & tam varia ſupplicia?

Tripliciter mors peccati ſtipendium.

Mors

Mors naturalis à Philosopho dicitur *omnium terribilium terribilissimum.* Sed nihil est, si cum morte gratiæ & gloriæ conferatur. *Ibi* dolor externus præcipuè sentitur: *hic* internus. *Ibi* finem sortiuntur cruciatus: *hîc* perpetuò durant. *Ibi* fit separatio à mundo: *hîc* à cœlo, sine omni spe liberationis. In tantas nempe angustias peccatum conjicit; Et nihilominus velut aqua imbibitur. Annón dolendum, homines adeò sibi infensos, ut hostem suum attrahant & alant? Quis tam stolidus, ut ultrò venenũ bibat, & mortẽ acceleret? Peccatum animæ venenũ est, & nos illo delectabimur! Detestemur potiùs, & sanitati vitæ studeamus. Aut enim pereundum, aut à peccatis abstinendum est. *Hoc* agamus, ne *illud* formidare cogamur. Si enim benè feceris, erit præmium, si malè feceris, ante ostium cubat peccatum, *Gen.4.v.7.*

II. In utroque vera ratio auxilium impetrandi ostenditur. Omnes quidem homines languent, sed non omnes convalescunt. Leprosi sumus per naturam: sed pauci mundantur per gratiam. Multi sunt paralytici ob peccatum, sed non multi curantur ob neglectum remedium. Suo igitur nobis exemplo præeunt leprosus, & paralytici caussam agens Centurio. Quibus illi mediis sanati sunt, iisdem à corporibus animæq; morbis liberari possumus. *II. Veram rationem impetrandi auxiliũ* *Remedia sanationis spiritualis*

1. *Ad Christum accedendum est.* Non desperat leprosus, nec omnem servi sui curam abjicit Capitaneus. Uterque auxilium quærit, non in suis operibus & meritis, non apud veneficas in terris, nec apud sanctos in cœlis: sed ad Christum accedunt, & in illo spem omnem collocant. Ad hunc *1. Accedẽdum ad Christum.*

venite, qui onerati estis, ipse reficiet, *Matt.11.v.28.* Hunc quærite. qui ægroti estis : ipse medicus est, & curabit, *Exod.15. vers 26.* Non desperandum in peccatis, non mœrore melancholico contabescendum est. Dominum habemus, qui Adjutor est in opportunitatibus, *Psalm 9 v.10.* Ipse vulnerat & medetur; ipse percutit, & manus ejus sanabunt, *Iob.5 v.18.* Venite ergò, & revertimini ad Dominum, ipse laceravit, & iterum curabit; *Oseæ 6. v. 1.* Frustra auxilium expectatur ab hominibus: liberare nequeunt. Incassum invocantur sancti: Res nostras nesciunt, *Esa.63 v.16* Inanis est spes, quæ ponitur in auro & argento; servare non possunt, *Ezech 7 v.19.* Quò igitur fugiemus, nisi ad te, ô Deus noster? Te quum habemus, omnia in te possidemus. Si contabescat caro & anima, tu tamen cordis nostri es petra, *Psal.73 v.26* In te projecti sumus ab utero *Psal 22.v 10.* Quicquid eveniat, tui sumus. Fremat Diabolus, premat mundus : tibi adhærebimus. Ruat cœlum, ruat terra : nihil à te nos dimovebit. Tundamur, uramur, decollemur, dissecemur; tu refugium es, arx & liberator noster, &c. *Psal.18 v.1.* Discedite iniqui & inimici: Dominus exaudit nos, *Psal 6.v.9.* Hic pro nobis est, quis cōtra nos erit? *Rom. 8.v.31.*

2. Indesinenter orandum.

2. *Indesinenter orandum est.* Quamprimùm accesserat Leprosus & Capitaneus, statim vocem elevabant, & Christi opem implorabant. Non muti adstemus, sed cordis nostri angustias aperiamus. Non differatur Oratio, sed effundatur primo tempore. Leprosum Christum vix viderat, & ecce! mox clamat. Veteres dixêre: *Necessitas est optimus orandi magister.* Nunquam deest illa: quivis habet, quod

patiatur,

patiatur, & de quo queratur. Oremus ergò, nostrisq; precibus semper instemus. Quod ut fiat legitimè, sequentes veræ precationis notas & conditiones addiscamus.

(1) Oratio sit *humilis*. Exemplo præit leprosus, quem adorâsse dicit Matthæus, *v. 1.* genua flexisse, Marcus *cap. 1. v. 4.* in faciem procidisse, Lucas *cap. 5 v. 12.* Signa hæc sunt veræ humilitatis, quam afferre debemus, si exaudiri volumus. Pharisæi preces rejectæ sunt, quia superbæ: Publicani placuerunt, quia humiles, *Luc. 18. v. 13. 14.* Magnus est Dominus, quem precando alloquimur. Accedamus ergò humiliter, & dicamus cum Abrahamo; *Ecce! ausus sum loqui ad Dominum meum, qùum sim pulvis & cinis*, Genes. 18. v. 27. Deus quidem in altis habitat, sed humilia respicit, *Psal. 113. virs. 6.* *Sit autem oratio humilis.*

Trita beat, damnat corda superba Deus.

Ipse inquit, Esa. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu?* Humiliemus ergò nos sub potenti manu ejus, quia omnes peccatores sumus.

Quoad legis opera datur disparitas, dum alius alio sanctior; sed quoad Orationem Dominicam est æqualitas. Omnibus enim dicendum: *Dimitte nobis debita*, ideoque nemo cristas erigat, vel præ aliis superbiat. (2) Sit *devota*. Leprosus proculdubio ex imo corde preces hausit, quas coram Christo effudit. Quò enim major adversitas, eò ardentior est oratio. De profundis clamemus, ut auxilium impetremus. Quî enim Deus exaudiat, si teipsum non audis? Manus complicamus inter orandum: Videamus præcipuè, ut sensus *Devota.*

complicentur, & cogitationes coërceantur, ne aliis rebus intentæ ſint. Quum oras, coram throno Majeſtatis divinæ adſtas, in præſentia totius militiæ Cœleſtis: Annón ergò dedecus eſt frigidè & ſomnolenter in tanto conſeſſu rem agere? Veri adoratores in ſpiritu & veritate adorant, *Ioh. 4. verſ. 23.* Non ſufficiat labia movere, & voces formare: Devotio requiritur, ut cor & ſpiritus, & quicquid in nobis eſt, Deum cogitet, & ſincerâ attentione invocet. (3) Sit *ad verum objectum directa.* Chriſtum ſecundum utramque naturam, ſine medio interceſſore, leproſus invocat. Calvinianus ſi fuiſſet: ſolum λόγον adorâſſet. At verò ipſum Mariæ filium, qui de monte deſcenderat, qué oculis ſuis aſpiciebat, adeoque totum Chriſtum ſecundum utramque naturam adorat. Pontificius ſi fuiſſet, priùs vel matrem, vel Apoſtolos Domini acceſſiſſet: Sed nihil tale de ipſo legitur. Rectâ ivit ad Chriſtum, & exauditus eſt. Intercedere voluit Maria, *Iohan. 2. v. 3.* diſcipuli, *Matth. 15. v. 23.* ſed duro reſponſo excepti ſunt. Ut benignus Princeps, ſic Chriſtus ægrè fert ambages & diffidentiam. Huic ergò fidamus, in hoc ſpem noſtram ponamus, non diſcerpendo naturas, nec quærendo interceſſores, vel Mediatores alios. (4) Sit *Diſcreta.* Nam quæ petimus bona, *vel* ſpiritualia ſunt, *vel* corporalia. De *illis* ne dubitemus: *hæc* cum conditione poſtulemus. Novit id leproſus: Quare loquitur hypotheticè; *Domine, ſi vis.* Haud rarò petimus *divitias*, ſed ſpinæ ſunt: *honorē*, ſed lapſus occaſio eſt: *liberos*, ſed noxæ fiunt. Ita neſcimus, quid oremus, *Rom. 8. v. 26.* In divinâ ergò voluntate lubenter acquieſcamus. Certò audiet

Ad verū objectum directa.

Diſcreta.

diet

diet *vel* juxta tuum beneplacitum, in sui honorem: *vel* juxta suum beneplacitum, in tui utilitatem. Aut dabit quod petimus, aut dabit aliquid utilius. Certi sumus de voluntate rei, sed non de voluntate modi. Semper exaudimur, quod *voluntatem rei* dicimus: sed non semper eo *modo*, quo exaudiri petimus. Non igitur vel modum vel tempus præscribamus: Ipse faciet. Imitemur exemplum Christi, *Matth. 26. v. 39.* David, *2. Sam. 15. v. 25.* Judithæ, *c. 8. v. 16. 17.* Ita nunquam pœnitebit, sed certum potiùs auxilium, & æternum experiemur commodum.

Sic Martinus Episcopus conditionatè oravit: Domine, si vis populo tuo me diutius servire, serviã: Sin non, fiat voluntas tua, & da mihi placidã migrationẽ.

3. *Confidenter credendum est.* Qui in precatione hæsitat, nihil impetrat, *Iac. 1. v. 6.* Non hæsitavit leprosus noster, non Centurio, Quare adepti sunt, quod exoptârunt. Magna cumprimis Capitanei fides fuit. Se indignum auxilio judicabat, & unicum Christi verbum tantâ virtute præditum credebat, ut illo prolato, servum suum mox sanatum iri, persuasissimum haberet. Imitemur hanc confidentiam: & si adæquare non possumus, temerè tamen non ambigamus,

3. Confidenter credendum.

Multa & præclara fidei fulcimenta habemus. 1. Cogitate *Dei potestatem.* Nihil ipsi est impossibile, *Luc. 1. vers. 37.* potest mundare, si velit. Quis diffidat tàm potenti Domino? 2. Cogitate *Christi bonitatem.* Vix leprosus finierat, & manum extendit: Centurio verbum petebat, & præsentiam offert. O Salvatorem optimum, qui antequam clamemus exaudit, *Esa. 65. v. 24.* Quis diffidat tam clementi Domino? 3. Cogitate *verbi virtutem.* Dixerat: *Volo*, & ecce! confestim mundata est lepra. Dixerat: *Vade*, & ecce! sanatus est servus in

Fulcimenta fidei.

illa hora. Si unicum verbum tantæ virtutis eſt, quis non pleno ipſi animo adhæreret? Non multum requiritur ad noſtram opem: Dicat verbulum, & ſalvi erimus. Imò dixit, & auxilium ſuum aliquoties promiſit. Ipſe verax eſt, nec fidem eius noſtra incredulitas evacuabit, *Rom. 3. v. 3.* Quis diffidat tàm veraci Domino?

Hæc ſpei, hæc fidei noſtræ firmiſſima fundamenta ſunt, quibus ſi innitimur, nullam dubitandi anſam habemus. Adeſt *poteſtas*, ut Deus liberare valeat: adeſt *voluntas*, ut liberare velit: adeſt *veracitas*, ut fallere haud poſſit: Cur ergò timebimus: cur puſillanimes erimus? Ipſum potiùs tàm potentem, tam clementem, tam veracem Dominum humiliter invocamus, *ut nos à lepra peccati Originalis mundet, paralyſin actualis ſanet, quo ſpiritu ferventes, & oratione inſtantes, tandem cum Abrahamo accumbamus, & finem fidei, ſalutem animarum, cum omnibus beatis reportemus,* Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIA,

Matth. 8. verſ. 23. uſque ad v. 28. Marc. 4. v. 36. Luc. 8. verſ. 22.

De Navicula CHRISTI.

V. 23. Καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν

ET quũ Jeſchua conſcendiſſet navem, cõſcende-

VND er trat in das Schiff/ vnnd ſeine Jün-

αὐτῷ

αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

runt cum eo discipuli ejus.

ger folgeten jhm.

24. καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων· αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.

Et ecce commotio magna facta est in mari, usq; adeò ut navis opereriretur fluctibus: ipse autem Jeschua dormiebat.

Vnd sihe/da erhub sich ein groß vngestüm im Meer also / das auch das Schifflin mit Wellen bedeckt war/vnd er schlieff.

25. καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες, Κύριε σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.

Et accesserunt discipuli ejus, qui excitârunt eum, & dixerunt ei: Domine noster, libera nos, perimus.

Vnd die Jünger traten zu jhm/ vnnd weckten jhn auf/ vnd sprachen: Herr hilff vns/ wir verderben.

26. καὶ λέγει αὐτοῖς, τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι; τότε ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

Ait illis Jeschua, Quid timidi estis modicâ fide prædicti? tunc surrexit & cohibuit ventũ ac mare, & facta est tranquillitas magna.

Da sagt er zu jhnen: Jhr Kleinglåubigen/warumb seyd jhr so furchtsam? Vnnd stund auff/vnd bedrawete den Wind vnnd das Meer/da ward es gantz stille.

27. Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν, λέγοντες, ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι, καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

Homines verò mirati sunt, dicentes: Quis est iste, cui venti & mare obediunt?

Die Menschen aber verwunderten sich/ vnd sprachen: Was ist das für ein Mann/das jhm Wind vnnd Meer gehorsamb ist?

Homi-

Homilia.

Quatuor Naviculæ in Scripturis celebres.



UATUOR in Scripturis *Naviculæ* deſcribuntur, quibus fidelium in mundo, *partim* miſera conditio, *partim* mirabilis conſervatio adumbratur.

Noachi. 1. *Navicula Noachi*, Gen. 7. quæ fluctibus hinc inde jactata, nihilominùs manſit illæſa, quia Dominus fores occluſit, *v. 16.* ne aquarum impetus penetrare poſſet. Quid aliud eſt Eccleſia, quàm talis arcula? Petunt eam procellæ hæreſeωn, venti tentationum, & fluctus perſecutionum; nec tamen ſubmergitur, quia Dominus ſuſtentat potentiſſimè.

Moſis. 2. *Navicula Moſis*, quam Scriptura nominat fiſcellam ſcirpeam, *Exod. 2. v. 3.* In profluentem ille projectus eſt, ut moreretur; ſed mediis in undis ſervatur, quia ciſtulæ incluſus fuit. Sæpè infernalis Pharao ſævit in Chriſtianos, ſed inveniunt ſemper arculam, in quâ abſcondantur, & cuſtodiantur.

Pauli. 3. *Navicula Pauli*, Actor. 27. Cujus puppis, licèt ſolveretur à vi maris, prora tamen manſit immobilis, *verſ. 41.* & omnes animæ incolumes evaſerunt ad terram, *verſ. ult.* Sic Eccleſia ſæpius vi magnâ petitur, nunquam tamen tota ſolvitur: Semper remanent pij, & Deo protectore ſalvi evadunt.

Chriſti. 4. *Navicula Chriſti*, cujus in hodierno Evangelio fit mentio, & per quam ſtatus Chriſtianorum pulcerrimè figuratur. Mundus, in quo vivi-

mus,

mus, mare: Ecclesia, cujus membra sumus, navis est, juxta versiculum:

Mundus ut est pelagus, sic est Ecclesia navis.

Tempestatem verò excitat Diabolus, quâ durante dormit Christus, & nostri videtur oblitus: eámque ob causam timemus & trepidamus cum discipulis. Sed nemo desperet penitus: accedamus ad Christum fiducialiter, & excitemus eum instanter. Surget benignus, surget, inquam, & imperabit ventis mariq; ut fiat tranquillitas magna, & omnis populus potentiam nostri Jehovæ sit admiraturus.

Hæc summa est præsentis Evangelij, quod in tres potissimùm partes potest distribui.

Prima describit subitaneam tempestatem, *vers. 23. 24.* *Partes Evangelij.*

Secunda discipulorum pusillanimitatem, *v. 25.*

Tertia Christi potestatem, dum mari & ventis cum adstantium admiratione imperat, *vers. 26. 27.*

Nos exegesin duobus præcipuè membris includemus, dicturi

1. *De Christianorum tribulationibus*, per naviculam Christi præfiguratis. *Propositio.*

2. *De tribulationum ablatione*, in exemplo sedatæ tempestatis proposita.

Domine salva nos, ut verbum tuũ salubriter audiamus, & nullo unquam tempore pereamus, Amen.

PARS I.

De Christianorum tribulationibus.

DOminus defatigatus, vel à turbis compressus, tria legitur habuisse refugia. 1. *Montis.*

2. *De-*

2. *Deserti.* 3. *Navis.* Quod postremum, ob turbam conglomeratam & hîc arripuit, ideoq; naviculam Petri ascendit.

Navicula est typus Ecclesiæ.

Typus Ecclesiæ navis est, ob multas rationes: *Navicula* in medio lata, quoad proram & puppim acuminata est: Sic Ecclesia ex parvis initiis primùm collecta, sed mox per totum orbem terrarum est dilatata: nunc verò sub finem seculi rursus ob persecutiones & hæreses haud parum coarctatur. *Navicula* de loco in locum, de littore ad littus aliud migrat: Sic Christus Ecclesiam transfert, nec uni loco alligat. Appulit ad nostram quoque urbem & Academiam: videte, ne ob securitatem nos deserat & aliò commigret. In *navi* requiritur horologium, quod vulgò *compassum* dicunt, cujus beneficio nauclerus navim dirigit. Et nos habemus sacrum horologium, viæ ad cœlos directorium, nempe verbum DOMINI, quod lucerna est nostris pedibus, *Psalm. 119. vers. 105.* *Navicula* per ventum propellitur: Sic Spiritus oris Domini ducit movétque Ecclesiam. In *Navi* omnis generis bona advehuntur: Sic in Ecclesia summus thesaurus invenitur; gratia Dei, meritum Christi, remissio peccatorum, & hæreditas vitæ æternæ. De victu necessario *Nautæ* sibi maturè prospiciunt: Et nobis in Ecclesia satis prospectum est; Panem vitæ habemus, qui de cœlo descendit, *Iohan. 6. v. 33.* potum habemus, qui est fons vitæ salientis in vitam sempiternam, *Iohan. 4. 14.*

Affectiones Ecclesiæ in navicula

Sed nolumus plura de comparatione navis & Ecclesiæ in genere adducere: Christi naviculam, cujus hîc fit mentio, in specie considerabimus, & quo-

quomodo per illam ſtatus Eccleſiæ militantis depingatur, certis theſibus, vel aſſertionibus breviter oſtendemus. *Chriſti præfigurata ſunt.*

I. Vita Chriſtiani navigium eſt. Venerant ad Chriſtum Apoſtoli ſpe ſummæ felicitatis & gloriæ terreſtris: Sed iſtâ ſpe fruſtrati ſunt. Ducuntur à Chriſto non in palatium, ad capeſſendam voluptatem; ſed in navim, ad experiendam tempeſtatem. *1. Vita Chriſtiani navigiũ eſt.*

Variis aliâs modis diſcipulos ſuos exercuit, ut opinionem de regno mundano abjicerent. *Primùm* poſt vocationem circumduxit per vicos & civitates, ut peregrinari exulum inſtar cogerentur: *pòſt* tranſiit cum iis per caſtella, ubi paupertatem & inediam paſſi. Redeuntes domum, *mox* incidunt in contentiones adverſariorum, & vident inſidias magiſtro ſuo paratas. *Jam* verò cumulatur periculum, quando deducuntur in pelagum, ubi ſingulis momentis mors imminet, multæque miſeriæ devorandæ ſunt. Quæ enim vita periculoſior eſt nauticâ? Jam piratæ exitium parant; jam balænæ navem evertunt: jam Sirenes nautas decipiunt; nunc impetuoſæ decidunt procellæ; nunc fluctus aſſurgunt; nunc venti irruunt; mox navis alliditur ſcopulis, vel ſubſiſtit in arena: Et quis omnia navigantium pericula commemoret? de quibus legatur, *Pſalm. 107. verſ. 23. Syrac. 43. verſ. 26.*

Nihil autem aliud eſt Chriſtiani vita, quàm *navigium myſticum.* Quamprimùm recipimur in Eccleſiam, navim aſcendimus, quæ in procelloſo hujus mundi Oceano circumvehitur. Erras, ſi mera gaudia præſumas: navigandum, periclitan-

clitandum est: non nisi per varias tribulationes ingredimur in regnum cœlorum, *Actor.14. v. 3. 22.* persecutiones patiuntur, qui piè volunt vivere, *2. Tim. 3. v. 12.* Castigat Dominus, quem diligit: flagellat filium, quem suscipit, *Hebr. 12. v. 6.* Non desunt infernales *piratæ*, qui Christi naviculam invadunt: non desunt ingentes *Balænæ* seu tyranni, qui persecutiones excitant: non desunt blandæ *Sirenes*, filij hujus seculi, quorum voces leguntur, *Esa. 22. v. 13. cap. 56. v. 12. Sap. 2. v. 1. seqq.* Jam irruunt instar *procellæ* externa infortunia: surgunt *fluctus* tentationum: surgunt *venti* hæreseωn: navigandum est inter varios scandalorum *scopulos*, & scelerum occasiones, quibus haud pauci alliduntur, & pereunt: nec deest denique *arena deceptoria*; quia plurimi sunt fratres falsi, qui gerunt mel in ore, & fel in corde, laudem in dictis & fraudem in factis. Hinc igitur foris oriuntur pugnæ, intus timores, *2. Cor. 7. v. 5.* ut trepidemus cum discipulis, & clamemus: *Domine perimus, perimus.* Quòd si ergò talia nobis obveniunt, ne murmuremus. Num enim meliori loco esse volumus, quàm Christi discipuli? Feramus, quod mutare non possumus. In navi sumus; absque periculis ergò vivere non possumus. Qua de caussâ nolite tanquam ad rem peregrinam obstupescere, *1. Petr. 4. v. 12.* nemo tribulationibus moveatur. Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus, *1. Thess. 3. v. 3.*

Pericula Christianorum.

II. Ecclesia in mundo spernitur, à Christo diligitur. Navicula Petri, quam Christus hîc ascendit, tanti precij non fuit, quanti solent esse

2. Ecclesia in mundo spernitur, à Christo diligitur.

esse naves onerariæ. Erat enim navicula piscatoria, quam Petrus dicitur reliquisse, *Matth. 4. v. 21.* non transferendo proprietatem, sed utendo rarissimè. Unde procul dubio factum, ut rimas egerit, ut ventis haud parùm convulsa fuerit. Christo tamen placuit hæc navicula derelicta, nec ullâ aliâ circumvehi voluit. Typus igitur est Ecclesiæ, quippe quæ in mundo vilis apparet & contemta, Christo tamen grata est & accepta. Filij hujus seculi vehuntur quasi navibus onerariis, & superbiunt in illis: Pios oportet contentos esse naviculâ piscatoriâ. Hinc Ecclesia vocatur paupercula, & tempestate convulsa, *Esa. 54. vers. 11.* Jobúsque conqueritur, quòd justus sit lampas contemta apud cogitationes divitum, *cap. 12. v. 4.* Sed contemnamus istum contemtum: Ut rideamur à mundo, diligimur tamen à Christo: Placet illi abjecta Petri navicula, nec divertit apud eos, qui tantùm alta crepant & magnifica. Quod enim hominibus altum, abominabile est ante Deum, *Luc. 16. v. 15.*

III. Ecclesiâ plerunque destituitur externis præsidiis. Ita enim comparatum fuit cum navicula Christi, ut nec haberet infra se fundamentum, cui inniteretur; nec juxta se fulcrum, quo sustentaretur; nec supra se tectum, quo tegeretur: Aperta fuit, & tempestatibus undique exposita. Similis est status Ecclesiæ: Caret illa fundamine externo, sed potius infra se habet infernum, & diabolum instar leonis rugientem, *1. Pet. 5. v. 8.* Caret fulcris lateralibus, quia juxta se habet infidelem mundum; siquidem vana est omnis sa-

3. Ecclesia plerunque destituitur externis præsidiis.

lus hominis, *Psalm. 60. v. 13.* Caret etiam tecto humanæ defensionis, quùm alii extra Ecclesiam constituti, eam impugnent magis quàm protegant. Interim tamen non omni planè auxilio destituitur. Habet infra se fundamentum Christum Jesum, cui innititur, *1. Corinth. 3. vers. 11.* Habet juxta se fulcra firmissima, sanctos Angelos, qui eam custodiunt, *Psalm. 91. v. 11.* Habet supra se tectum solidissimum, nomen Domini, quod instar turris altissimæ est, ad quam currit justus & exaltatur, *Prov. 18. vers. 10.* Licèt ergò mundus nos deserat premátq; tuti tamen esse possumus, quia in adjutorio Altissimi habitamus, & confidenter Deo nostro dicimus: *Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum,* Psal. 91. v. 1. & 2.

4. Ecclesiam tempestas multiplex affligit.

Varinus: Σεισμός, κίνησις γῆς ὑπὸ πνεύματος ἔνδον ἀποληφθέντος, καὶ βιαίως ῥυέντος.

IV. Ecclesiam tempestas multiplex affligit. Ascendente enim Christo in naviculam, Ecce! *Motus magnus factus est in mari, ut navis operiretur fluctibus.* Ingentem & insolitam fuisse illam tempestatem, indicat. *1.* Particula ἰδοὺ, ecce admirandi nota. *2.* Vox σεισμός, quæ talem concussionem & quassationem significat, qualis in terræ motu fieri consueverit. 3. Vox λαίλαψ, *Marc. 4. vers. 37.* notans procellam vehementem, & turbinem impetuosum, qui navim raptavit & rotavit, ut jam jam peritura videretur. 4. Vox κυμάτων seu fluctuum, qui magno fragore irruebant in navim, ut tota navicula hinc inde nutaret, aquis impleretur, & præsentissimum vitæ periculum immineret discipulis. *Idem status est Ecclesiæ militantis, & omnium piorum.* Quamprimùm

primùm Christi naviculam ascendunt, subitò fit motus, & tempestas oritur. Abraham adhuc idololatra, vivebat prosperrimè: sed conversus ad verum Deum, mox pellitur in exilium, *Genes. 12. vers. 1.* Moses aulâ Pharaonis primùm tractabatur optimè: sed Israelitis se associans, cogitur fugere, *Exod. 2. vers. 15.* Paulus existens persecutor Ecclesiæ, vixit in magna existimatione: sed factus Apostolus, simul factus purgamentum mundi, *1. Corinth. 4. vers. 12. 23.* Nunquam fuit Ecclesia sine motibus, nunquam sine fluctibus. A primordio mundi tempestates varias experta est. Fluctuabat miserè in mundo originali, quùm impia Caini posteritas dominium teneret, atque Ecclesiam in angustos Noachi parietes compelleret. Post diluvium venit Nimrodi progenies, sanctos Patriarchas haud parum exagitans. In Ægyptiaca servitute quantis fluctibus navicula DEI fuit obruta! In deserto ab hostibus quàm varia est perpessa! Et licèt in terra Canaan ad tempus sedata fuerit tempestas, tandem tamen irruit magno impetu, quando Israelitæ captivi in Babylonem abducti sunt. Nec melior fuit Ecclesiæ fortuna in Nov. Test. Vixit in *seculo violentiæ* sub Imperatoribus Romanis, qui Christianos gravissimè persequebantur. Vixit in *seculo fraudulentiæ*, sub variis hæreticis, qui venenata dogmata spargebant. Vixit in *seculo fraudulentæ violentiæ, & violentæ fraudulentiæ*, partim *sub* regno Mahometico in Oriente, partim *sub* Pontificio in Occidente, ubi veritas oppressa, & idololatria armis dolisq; introducta est. Et quanquam aliqua mitior aura Reformationis tempore affulsit;

Tria secula Ecclesiæ in N. Testam.

non tamen desunt procellæ. Oritur σεισμὸς, oritur λαῖλαψ, & irruunt fluctus varij. Excitat Satan ventos *doctrinæ falsæ* in statu Ecclesiastico: ventos *bellorum & seditionum* in statu Politico: Ventos *tentationum, morborum* & aliarum *tribulationum* in statu Oeconomico. Ut enim unda undam trudit, sic calamitas calamitatem excipit, ut conqueratur nutans Ecclesia cum Davide; *Domine Deus virtutum, quousque irasceris? Cibas nos pane lacrymarum, & potas nos lacrymis copiosè*, Psalm. 80. vers. 6.

5. In Ecclesia videtur aliquando Christus dormire.
Caussæ cur Christus dormierit.
1. Ut veritatem humanæ naturæ ostenderet.
2. Ut discipulorum fidem probaret.
3. Ut discipuli ardentius orarent.
4. Ut postea suam potentiam magis demonstraret.

V. In Ecclesia videtur aliquando Christus dormire. Præsens quidem erat in navicula, sed tempestatis tempore dormiebat. Solatium Davidis fuit, Psalm. 121. v. 4. *Non dormit, qui custodit.* Apostoli verò dormientem habuêre Christum, non vigilantem: Quo pacto crevit exterior tribulatio & interior mentis consternatio. Quid enim Christiano tristius potest contingere, quàm Christum videre dormientem, nec accinctum ad opem ferendam. Animosus erat in ipso martyrio Stephanus, quia conspexit cœlos apertos & filium hominis stantem à dextris Dei, *Actor. 7. v. 55.* hoc est, paratum ad juvandum & pugnandum, siquidem sedere est judicantis & regnantis, stare autem pugnantis & adjuvantis, juxta *Gregorium* in Homil. Ascens. Ut igitur vigilia stantis Christi animosos: Ita somnus ejusdem meticulosos reddit. Dormire verò tum dicitur, quando differt auxilium, & nostri videtur oblivisci. Frequens est hæc tentatio, quâ pij plerunque exercentur.

Annón

Annón dormire videbatur Deus, quùm per multos annos premerentur Iſraelitæ in Ægypto? Annón dormire, quùm in captivitate hærerent Babylonica? Annón dormire, quùm Meſſiam fruſtrà expectarent per multa ſecula? Joſephi carcer, Moſis exilium, ulcera Jobi, Davidis fuga, Eliæ luctus, morbus Ezechiæ, Danielis fovea, & Johannis vincula, quid aliud ſunt quàm teſtimonia de Deo nonnunquam dormiente? Hinc querelæ ſanctorum oriuntur, quales extant, *Pſalm. 13. v. 7. Pſalm. 73. v. 13. Ierem. 12. v. 1. Hab. 2. v. 2.* Sed benè habet; Non deſpondeamus animum; apparens ſomnus eſt non realis. Novit Dominus tribulationes noſtras: videt periculum omne; Ad tempus tantùm nos exercet, ut in patiendo fortes, in precando alacres, in amando & ſperando ferventes efficiamur. Nec enim Deus nos tentat ad malum, *Iac. 1. v. 13.* ſed tentationi dat felicem eventum, *1. Cor. 10. v. 13.* de quo jam parte alterâ uberius dicendum reſtat.

Somnus Christi jã tantùm apparens eſt, non realis.

PARS II.

De tribulationum mitigatione & ablatione.

UTi peritus Medicus amaris miſcet dulcia: ſic Deus jucundo ſolatio temperat adverſa. Ferrum ardenti fornaci injectum, à fabro tandem extrahitur, & aquâ perfunditur: Ita non ſemper hæremus in fornace tribulationum: Extrahimur & nos ſuo tempore, aqua vitæ & liberationis aſpergitur. Gaudete *Fratres* in periculis; Paratum enim eſt ſolatium, & ſequetur tandem auxilium.

Deus amaris miſcet dulcia.

Nec enim vidi justum à Deo derelictum, *Psalm. 37. v. 25.* nec à Christo relinquimur orphani, *Ioh. 14. v. 18.* Non semper tempestas sæviet, sed orietur serenitas: Et si maximè illa sæviat, habemus tamen, quo animum erigere & solari possumus.

Solatia Christianorum.

1. Christus nobiscum est.

Nam I. Christus nobiscum est. Non soli degebant in navicula discipuli, sed unà Christum habebant præsentem. Hunc qui habet, is regem orbis, Dominum maris, & victorem omnis tempestatis habet. *Habemus* nos per Dei gratiam, nec dimittemus. Ipse caput est suæ Ecclesiæ, *Eph. 1. v. 22.* Ipse dux & nauclerus est sacræ naviculæ! Per fidem advenit, & in cordibus nostris mansionem facit, *Ioh. 14. v. 23.* Sæviat mundus, irruant fluctus: Nil timebimus, quia Domini est salus, & super populum ejus benedictio ejus, *Ps. 3. vers. ult.* Ipse acclamat ex Psal. 91. v. 14. 15. *Liberabo & protegam, quia vobiscum sum in tribulatione*; Ex Esa. 41. v. 9. *Servus meus es, ne timeas; Ego tecum sum.* Ex Zach. 2. v. 5. *Ero murus ignis in circuitu,* v. 10. *Lætare filia Sion, Ego venio & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Jam si Deus pro nobis, quis erit contra nos? *Rom. 8. vers. 31.* Non timebo mala, quoniam tu Domine mecum es, *Ps. 23. v. 4.* Nulli poterunt esse fluctus tanti, qui hunc nauclerum perdant, vel ejus naviculam frangant. Quare, ô *fratres* confidite: Vel sola Christi præsentia nobis est instar firmissimi propugnaculi. Quùm olim magnus terræ motus oriretur Antiochiæ, Christiani his verbis se erigebant: *Statc, Christus nobiscum.* Ita & vos state, *Charissimi,* in mediis periculis, quia Christum præsentem habetis. Julius Cæsar navi vectus, & nauclerum ob

tempestatem ortam consternatum videns; *Confide*, inquit, *nauta, Iulium vehis*. Ratus nimirum est, Dei præsidium sibi, ut Imperatori, certò adesse. Sed nos magis Christo fidamus, & nutante sacrâ naviculâ solemur nos invicem, dicentes: *Confide Ecclesia, Christum vehis*, contra quem vel inferorum portæ prævalere nequeunt.

II. Christi navicula sustentatur. Licèt enim fluctus irruerent, non tamen penitus supprimebatur. Hinc operta quidem dicitur, sed non submersa. Nam Christi Ecclesia concuti potest, submergi non potest. Ut Noæh arcam in mediis aquarum insultibus conservavit Dominus: Sic Christi navicula manet illæsa, & perire nequit. Imò ut Noæh capsula magis elevata est, quo plures aquæ affluebant: Ita quò majores adversitatum sunt fluctus, eò major est Ecclesiæ fructus. Cogitate Regis *Davidis* pericula! Annón ob Saulis invidiam, & Absalonis perfidiam sæpiùs periturus videbatur? Sed *emersit*. Cogitate *Eliæ* tempora: Annón navicula sacra ibi confracta, & ob Jesabelis tyrannidem, ac Baalitarum furorem naufragio proxima videbatur? Sed *emersit*. Cogitate *Pauli* Apostoli fata: Annón aliquoties in maximâ fuit tribulatione, ut apud seipsum mortis responsum habuerit? Sed *emersit*, 2. Corinth. 1. vers. 8. Et nos *Charissimi*, emergemus, quamvis mergamur ad tempus, quia submergi non possumus. Per tot secula navis Domini in mundo circumvecta est: Et nunc primùm circa seculi finem deseri, supprimique putabimus? Imò verò jam victoria propè est, & mox appellemus ad portum cœlestis patriæ. Navigatum satis est:

2. Christi navicula sustentatur.

Exantlata benè multa sunt: Finis adproperat, & serenitas affulget. Brevi veniet dies tranquillitatis, quò è mari in portum, è tempestate in quietem, è periculis in æterna gaudia, Christo duce & autore, lætissimi transferemur. Interim spei anchora nos sustentet; ne fracti animo desperemus, & voluptatibus allecti, è navicula Christi prosiliamus, qui saltus cum majori periculo, & æterno animæ dispendio conjunctus est.

3. Christus post somnũ evigilat.

III. Christus post somnium evigilat. Ipse adjutor est in opportunitatibus, *Psal. 9. v. 10.* Ipse novit tempus optimum, quo evigilare debet. Quùm discipulis omnia desperata viderentur, tum surgebat Christus, & ad opem ferendam se accingebat. Quùm enim humanum auxilium desinit, divinum incipit. Visus Salvator est ad tempus dormire? Præstolamini patienter, & cogitate, quòd nondum venerit hora ejus, *Iohan. 2. v. 4.* Veniet autem quùm minimè putabitis: surget Christus; quùm maximè indigebitis, si modò discipulorum exemplum imitati fueritis. Hi 1. ad Christum *accedunt.* 2. Dormientem *excitant,* 3. Precando *instant.* Hæc probatissima sunt auxilij impetrandi media. (1.) *Christo adpropinquandum est.* Quem enim alium quæremus opitulatorem, quàm istum? Apud Jonam quisq; nautarum Deum suum accedit & invocat, sed non exaudiuntur, *Ion. 1. v 5.* Nos ad Christum accedamus, & servabimur. Revela Domino viam tuam, ipse faciet, *Psalm. 37. v. 5.* Jacta super Dominum curam tuam, ipse sustentabit. *Psalm. 55. vers. 23.* (2.) *Christus excitandus est.* Fit hoc, si veram pœnitentiam agamus, & ad ipsum convertamur.

Requisita tria verorum Christianorũ.

Peccata

Peccata ſunt, quæ Deum dormire, noſtrique oblivisci faciunt. A ſemita ergò peccatorum recede, & Chriſtus evigilabit. Converſio noſtra quaſi ſtrepitus eſt, quo nos immutamur, & Deus excitatur. Dormivit Dominus Iſraëlitas in captivitate deſerendo, ob malitiam: ſed evigilavit, eos reducendo, ob pœnitentiam. Agnoſcamus ergò peccata, ſic ignoſcet nobis benevolus Pater. Dies bonos videre diligis? *Diverte à malo, & fac bonum*, juxta Pſaltis monitum, *Pſal. 34. verſ. 15.* Tandem (3) *Chriſtus orandus eſt.* Ita fecerunt Apoſtoli dicentes: *Domine ſerva nos, perimus:* quâ precatione tria tanguntur, *1. quod* poſſit juvare, quia Dominus eſt. 2. *quòd* velit, quia σωτὴρ eſt, ad ſervandum veniens. 3. *quòd* debeat, quia aliâs pereundum foret. Puſillanimes quidem fuerunt diſcipuli, non tamen prorſus deſperârunt. Fuit cum puſillanimitate mixta fiducia, quâ Chriſtum, ut σωτῆρα ſuum apprehenderunt. Sequamur hoc Exemplum, & certò liberabimur. Irruunt fluctus? Oremus. Nutat navicula? Deum invocemus. Dormit Salvator? Excitemus & clamemus. Oratio enim fortis remus eſt, quo fluctus franguntur & abiguntur: Clames igitur ad Dominum cum Davide, *Pſalm. 3. verſ. 5.* Sic Deus te exaudiet, de monte ſancto ſuo, *Sela.*

IV. Chriſtus denique tempeſtatem pellit, & ſerenitatem reducit: Licet Apoſtoli eſſent ὀλιγόπιστοι, qui Chriſto præſente timebant, & illum dormientem miracula poſſe facere diffidebant; non tamen reliquit absque auxilio, ſed ſatisfecit eorum voto imperando ventis marique & *Chriſtus tempeſtatem pellit, & ſerenitatem reducit.*

tranquillitatem reſtituendo. *O mitem, ô potentem Dominum!* Si imbecilla ſit fides veſtra, non contemnet, quia linum fumigans non extinguet, *Eſa. 42 verſ. 3.* Si periclitetur Eccleſia, non deſeret, quia tempeſtatibus imperare poteſt. Felix hæc eſt Cataſtrophe, & læta permutatio. Pii primùm experiuntur tempeſtatem; ſed Deus tandem reſtituit ſerenitatem. Nam *tribulatio nubecula eſt, citò tranſitura*, dixit Athanaſius. Non ſemper fluctus ſæviunt: ſedantur à Domino, & fit tranquillitas magna. Non eget multis remediis: verbum dicat, & cedet tempeſtas. *Confidite*, qui ſub preſſura eſtis! Dei filius ob vos mortem ſubiit, & veſtri cauſsâ non dicat verbulum? Dicet omninò; & imperabit ventis perſecutionum, ut tandem deſinant & evaneſcant. Non procul à portu abſumus: Appropinquat dies reſtitutionis & plenariæ tranquillitatis. Veniet brevi Salvator noſter in nubibus, ubi omnes ventos abiget, omnes fluctus compeſcet; ſuamq; naviculam in portum ſempiternæ vitæ traducet. *Ibi* ceſſabunt procellæ, ibi verè magna fiet tranquillitas, quam nulla unquam turbare poterit tempeſtas. *Veni Ieſu optime, dux & nauclere potentiſsime; Veni quæſumus, & finem fac malorum, ut è procelloſo mundi freto liberati, in cœleſtem patriam, veram benedictionis terram aſſumamur, & æterna tranquillitate cum omnibus beatis perfruamur*, Amen.

EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIA.

Matth. 13. à vers. 24. usq; ad 31.

De Zizaniis in agro Domini disseminatis.

v.24 Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, λέγων, ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείραντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ.

Aliam parabolam ænigmaticè proposuit eis, inquiens. Simile est regnum cœlorum viro seminanti semen bonum in agro suo.

ER leget jhnē ein ander Gleichnis für / vnnd sprach: Das Himmelreich ist gleich einem Menschen / der guten Saamen auff seinen Acker säet.

25. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε Ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν.

Et quum dormirent homines, venit hostis ejus, & seminavit Zizania inter triticum & abiit.

Da aber die Leute schlieffen / kam sein Feind / vñ säet Vnkraut zwischen den Weytzen / vnd gieng davon.

26. ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος, καὶ καρπὸν ἐποίησε, τότε ἐφάνη καὶ τὰ Ζιζάνια.

Quum autem germinasset herba, & edidisset fruct⁹, tunc apparuerunt etiam Zizania.

Da nun das Kraut wuchs vnd Frucht brachte / da fand sich auch das Vnkraut.

27. προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι τοῦ οἰκοδεσπότου, εἶπον αὐτῷ, Κύριε, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ

Et accesserunt servi patrisfamiliâs, & dixerunt ei, Domine noster, nonne semē bonū

Da traten die Knechte zu dem Haußvater / vnnd sprachen: HErr / hast du nicht guten

σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ Ζιζάνια.

seminasti in agro tuo, unde habet Zizania.

Saamen auff deinen Acker gesäet? Woher hat er dañ das Vnkraut.

28. ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς, ἐχθρὸς ἄνθρωπος τοῦτο ἐποίησεν. οἱ δὲ δοῦλοι εἶπον αὐτῷ, θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά.

Ipse autem ait illis: Homo inimicus hoc egit: cui subdunt servi ipsius, Vis ut eamus & colligamus ea.

Er sprach zu jhnen: Das hat der Feind gethan. Da sprachen die knechte: Wiltu denn/ das wir hin gehen/ vnnd es außgeten.

29. ὁ δὲ ἔφη, οὔ, μήποτε συλλέγοντες τὰ Ζιζάνια; ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον.

At ille dixit eis, Ne fortè dum collecturi estis Zizania eradicetis cum eis etiam triticum.

Er sprach: Nein/ auff das jhr nicht zugleich den Weyzen mit außräuffet/ so jhr das Vnkraut außgetet.

30. ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μέχρι τοῦ θερισμοῦ, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς, συλλέξατε πρῶτον τὰ Ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμάς, πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.

Sinite crescant utraq; simul usque ad messem: & tempore messis dicam ego messoribus, colligite primùm Zizania, & ligate ea in fasciculos, ut comburantur: tritica verò illa colligite in horrea mea.

Lasset beydes miteinander wachsen / biß zu der Erndte / vnd vmb der Erndte zeit/ will ich zu dẽ schnittern sagen: Samlet zuvor das Vnkraut/ vnd bindet es in Bündlin / das man es verbrenne / Aber den Weyzen samlet mir in meine scheuren.

Homi-

Homilia.



NTER cætera, duo cumprimis sunt extremè contraria, & contrariorum principia, nempè Christus & Belial, 2. Cor. 6. verſ. 15. *Ille* bonus eſt, & benefacit: *hic* malus eſt, & mala intendit. Ab *illo* venit juſtitia, ab *hoc* iniquitas. *Ille* habitat in luce, *hic* in tenebris. *Ille* hominum amicus, *hic* inimicus eſt. *Ille* conterit hujus caput, *hic* mordet illius calcaneum, *Geneſ. 3. verſ. 15.* unde certamen oritur graviſſimum, quod ab initio mundi cœptum, usque ad finem ſeculi continuabitur.

Christus & Belial ſibi contrariantur invicem.

Apparet verò hæc contrarietas & pugna præcipuè ex ſtatu Eccleſiæ, quam Chriſtus colligit & ſervat: Sed Belial, quantum in ſe eſt, deſtruit, & turbat. Ubi enim templum Chriſti cernitur, ibi plerunque ſacellum Diaboli unà reperitur. Si quidam fideles ſunt, & Deo ſerviunt: mox illos ſeducere tentat Belial; vel ſi nequeat, ſuos illis ſatellites admiſcet. Prima in Paradiſo fuit Eccleſia, pulcrè ornata, quoniam ad ipſius Dei imaginem condita. Verùm, proh dolor! non diu retinuit decus ſuum: Venit Belial ſub ſerpentis habitu, & primos parentes miſerè decepit, *Geneſ. 3. verſ. 1. ſeqq.* Inſtaurata fuit Eccleſia in domo Adami per πρωτευαγγέλιον, & veri cultus exercitium: Sed venit Belial, & Cainum fratricidam, falſæ religionis parentem conſtituit. Eodem artificio uſus eſt ſequentibus ſeculis, dùm veritatem impugnavit, & mendacia ſparſit, piosque per infideles & impios ſemper exercuit. Hinc Veteres dixerunt rectiſſimè,

mè. *Vbi Deus, ibi unà vult esse diabolus : Vbi Abel, ibi Cain: ubi Isaac, ibi Ismael: ubi Iacob, ibi Esau: ubi David, ibi Saulus: ubi Christus, ibi Iudas; ubi Paulus, ibi Nero: ubi Veritas, ibi Mendacium.*

Summa Evangelij. Rem verò cum Ecclesia sese ita habuisse, & etiamnum habere, in hodierno Evangelio per parabolam elegantem Salvator indicat. Suam enim Ecclesiam, quæ in mundo colligitur, agro cuidam comparat, in quo ipse quidem per ministros suos spargit bonum semen cœlestis veritatis, ex quo gignitur triticum, notans filios Deo gratos & acceptos: Quia verò & Pastores in prædicando, & auditores in observando sæpiùs negligentes fiunt, hinc inimicus Belial occasionem capit, in medio tritici seminandi Zizania, hoc est, filios nequam, piis in agro Ecclesiæ semper admixtos. Et hi usque ad finem seculi patienter ferendi sunt, donec invicem in die Pantocritico per Angelos Domini segregentur.

Summa igitur & scopus huius parabolæ est, *Ecclesiam militantem in hac vitâ, non esse ex omni parte sanctam, & impollutam*; sed iuxta pios, tanquam triticum, unà reperiri impios, tanquam infelix lolium.

Partes Evangelij Partes Euangelii *duæ* sunt. *Prior* agit de mixtura seminis & Zizaniorum: v. 24. 25. 26. *Posterior* de colloquio famulorum cum patrefamiliâs habito, v. 27. & seqq. Nos *priorem* consideraturi de duobus distinctè agemus:

Propositio Homiliæ.

I. *De bono semine.*

II. *De Zizaniis ab inimico superseminatis.*

Pater cœlestis suâ nobis adsit gratiâ, *ut semen verbi*

verbi plurimùm apud nos fructificet, ne inimicus Zizania disseminare valeat, Amen.

PARS I.

De bono Semine.

UT Parabola seminis intelligatur rectiùs, quatuor in considerationem veniunt. 1. *Seminans*. 2. *Ager*. 3. Ipsum *Semen*. 4. *Triticum* ex semine ortum, de quibus breviter disserendum erit.

Considerari debet

I. Seminans ipse Christus est, sicut discipulis interrogantibus dixit, v. 7. *Qui seminat bonum semen, est filius hominis.* Quis verò ignorat, Christum Redemtorem nostrum καθ' ἐξοχὴν vocari hominis filium? Ille igitur est, qui à primordio mundi agrum sibi elegit, in quem Semen verbi sui gratiosè spargeret. In prima statim creatione plantavit Paradisum, ut in illo colligeretur Ecclesia, & sacrum semen cresceret, *Gen. 2. v. 8.*

1. Seminator.

Sed astu Satanæ suffocatum est semen & evulsum è Paradiso, siquidem peccârunt parentes nostri, ex tritico salutari inutile facti lolium, *Genes. 3.* Non autem passa est seminantis nostri bonitas, ut æternùm periret genus humanum, sed iterum divitias gratiæ suæ disseminare voluit. Quum igitur mundus post lapsum esset instar hispidi dumeti, sterilis ad bona opera, & mortuus in peccatis, *Ephes. cap. 2. vers. 5.* Dei filius, misericordiâ commotus agrum denuò incepit colere, & sparsis semen protevangelii de futura capitis serpentini contritione: quam promissionem verâ fide amplexi protoplasti, rursus bonum semen & laudabile triticum evaserunt, Deinde, licet Sata-

Quomodo semen divini Verbi omnibus temporib. sparsum sit.

Satanas misceret Zizania per Caini familiam; inter Patriarchas tamen agrum suum mysticum Dei filius tutum conservavit. Increbuit lolium ante diluvium, dum omnis caro corrupit viam suam, *Genes. 6. vers 12.* sed tandem periit in aquis, salvo manente in arca Noachi agro Domini. Creverunt spinæ iterum tempore Nimrodi, *Genes. 10. vers. 8.* & confusionis Babylonicæ, *cap. 11. vers. 11.* Sed seminator cœlestis transtulit agrum suum in familiam Abrahæ, cui facta promissio, *Genes 12. v. 3. cap. 17. vers 7. cap. 22. v. 18.* Licet autem Ismael cum posteris degeneraret, Isaacus tamen triticum permansit, & Jacobum filium in verâ Dei agnitione instituit. In hujus posteritate suum Deus agrum semper habuit: quumque in Ægypto nonnihil vastaretur, potenti manu, expulsis aliis, in terram Canaan transtulit, ubi templum Domini erectum, è quo semen veritatis in remotissimas terras sparsum est. Quia verò Zizania in terra Israëlis passim cumulabantur, Deus agrum istum ad tempus quasi deserere, nec excolere voluit, quod factum durante captivitate Babylonicâ, quæ tamen non fuit perpetua, sed post 70. annos seminator cœlestis semen suum denuò seminavit in terram Canaan, in quam reduxit, & ibidem conservavit Judæos, donec tandem in carnem veniret Dei filius, & in agro suo visibiliter deambulans, novam illius curam susciperet. Purgavit enim semen, per Pharisaicas traditiones corruptum, runcavit terram spinosam, corda lapidea Legis concione molliendo: pinguefecit Ecclesiam suo sanguine: calefecit S. Spiritu, atque sic ex dumeto inutili frugiferum sibi agrum præparavit: quem quum Judæi impii spernerent,

& va-

& vastare præsumerent; illis neglectis inter gentes collocavit, & per Apostolos συνεργὰς suos, 1. *Cor. 3. v. 5.* semen sacrum latissimè sparsit, ut in toto mundo fructificârit, *Coloss. 1. v. 6.*

Venerunt autem sequenti tempore sues & feræ immanes, tyranni videlicet Romani, qui agrum Domini destruere annixi sunt, sed frustrâ. Christus enim potens est Agricola, qui respicit de cœlo, & visitat vineam suam, *Psalm. 80. vers. 15.* Creverunt varia hæreseων Zizania: sed Deo benedicente per Episcoporum operam suppressa sunt. Pòst pullulascere cœpit nocentissimum AntiChristi lolium, quo per multa secula ager Domini infectus, & semen Evangelii commaculatum fuit. Sed venit tandem dies purgationis & reformationis. Respexit Seminator optimus, qui puritatem seminis sui per Lutherum restituit, & inter nos denuò agrum fertilem sibi plantavit, in quo succrescunt plantæ justitiæ, *Esa. 61. vers. 11.* & palmites frugiferi, *Ioh. 15. v. 5.* O summam bonitatem Seminatoris hujus, qui tàm fideliter curat agrum suum, & tam potenter contra quasvis injurias defendit! O summam dignitatem Ecclesiæ, quæ non hominis, sed ipsius Dei agricultura est! 1. Cor. 9. vers. 9. Hoc curatore & custode salvi erimus, ne à Zizaniis supprimamur. Illum oremus devotè, ut sicut hactenus, ita porrò inter nos semen Evangelii dispergat, & agrum suum, quem extensâ dexterâ hîc plantavit, usque ad finem seculi tutum contra quosvis impetus ex gratiâ tegat & conservet.

II. Ager à Christo vocatur *Mundus*, v 38. quia in mundo & ex mundo, Ecclesia colligitur. Di- 2. *Ager.*

Quotuplex Dei Ager.

xêre veteres, *quintuplicem* esse Dei agrum, 1. *Cœlum* in quo naturam Angelicam seminavit, sed Lucifer miscuit Zizanium superbiæ. 2. *Paradisum*, in quo Deus collocavit primos homines, sed Draco antiquus superseminavit Zizanium inobedientiæ. 3. *Mundum* in quem conjecit Deus multa bona semina, variis speciebus & creaturis conspirantibus exornando; sed diabolus sparsit Zizanium discordiæ & miseriæ. 4. *Ecclesiam*, in qua Deus propagat puritatem verbi, & integritatem Sacramentorum; sed Satanas admiscet hæreticam pravitatem cum multis erroribus: schismaticam divisionem cum multis seditionibus: Epicuræam securitatem cum multis sceleribus. 5. *Animam Christiani*, in qua seritur fides & charitas; sed inimicus superseminat Zizania dubitationum, & malarũ suggestionum. Hic est ille quintuplex ager Domini, de quo locuti sunt veteres.

Christus autem in præsenti parabolâ *unicum* duntaxat agrum exprimit, & hunc mundum nominat, quo vocabulo *remotè* innuitur externa mundi fabrica, vel terræ systema, in quo vivunt homines: *proximè* autem Ecclesia, quæ è mundo colligitur, in mundo versatur, & per mundum dilatatur. Nec enim ad unum alligata locum, sed per totum terræ ambitum dispersa est, unde inter cætera nuncupatur *Catholica*. Donatistæ olim prætenderunt, apud se, & in Africa tantùm reperiri agrum Domini: sed iis rectè respondit August. *Bonus Seminator, non tantùm in Africa, sed ubique terrarum spargit bonum semen*. Nec enim personarum acceptor est Deus, sed in omni gente; qui timet Deum, acceptus est illi, *Act. 10. 35*. Hinc emisit

Aposto-

Apoſtolos in omnes gentes, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, *Marc. 16. v. 15.* Ideoque & ſonus eorum exivit in omnem terram, *Pſal. 19. v. 5. Rom. 10. verſ. 18.*

Hunc autem agrum ſuum Chriſtus quàm diligentiſſimè curat. Aratur vomere Legis: complet ur ſemine Evangelii: incaleſcit virtute S. Spiritus: pingueſcit efficaciâ Sacramentorum: irrigatur rore & pluviâ divinæ gratiæ: runcatur minis legalibus, & caſtigatione crucis: ſepitur defenſione Dei, & cuſtodiâ militiæ cœleſtis. O felices eos, qui intra ſepimentum hujus agri continentur. Nihil illis nocebit vel lis hæreticorum, vel vis tyrannorum, ſed ſuccreſcent in timore Domini, & afferent fructum in patientia, *Luc. 8. v. 15.* Gaudeamus amici, quòd incolæ ſumus in domo ſacra, & plantulæ in agro Chriſti. O quàm dilecta ſunt tabernacula tua Domine! *Pſalm. 84. verſ. 1.* Habitamus ſub umbra alarum tuarum, velut aviculæ in nido, *v. 2.* Effice, Jeſu optime, ut maneamus in hac domo, & creſcamus in hoc agro omnibus diebus vitæ noſtræ, *Pſalm. 27. verſ. 4.* Sit proſperitas in muris, & ſalus in palatiis tuis, *Pſalm. 122. verſ. 7.* *Cura agri Eccleſiaſtici.*

III. De ſemine ait Dominus, v. 38. *Bonum ſemen, hi ſunt filij regni*, hoc eſt, Chriſtiani fideles, qui in filios adoptantur à Deo. Sed contrarium dici videtur, *Luc. 8. v. 11.* ubi Chriſtus ſimilem parabolam explicans, *ſemen*, inquit, *eſt verbum Dei.* Quomodo autem hæc conciliabuntur? *Aliud* enim eſt verbum Dei, & *aliud* ſunt filii regni. Si illud igitur ſemen ſit, hi idipſum eſſe quî poterunt. *3. Semen.*

Sed conciliatio eſt facilis, ſi diſtincti reſpectus

attendantur. Poteſt ſemen conſiderari, *tum* quale eſt ante ſationem; *tum* quale eſt in agro poſt ſationem, quando jam creſcit, & fructum facere incipit. *Priori* reſpectu nudum ſemen eſt, *Poſteriori* frumentum vel triticum vocari poteſt. Pari modo ſeminis divini gemina eſt conſideratio; *partim* ut ſpargitur; *partim* ut ſparſum fructificat, & corda hominum regenerat. *Ibi* ſemen vocatur verbum Dei, *hîc* quia fructum fert, filii regni illud eſſe dicuntur. Chriſtus ergò apud *Lucam* loquitur de ſemine, quod ſpargitur, & eſt verbum: apud *Matthæum* loquitur de ſemine, *quod* ſparſum ſanctificat, & filios regni efficit, qui metonymicè ipſo ſeminis vocabulo denotantur.

Cur verbũ Dei comparetur ſemini.

Quia tamen illa nonnihil differunt, nos hîc per ſemen tritico contradiſtinctum, ipſam verbi prædicationem intelligimus, & comparatur illud ſemini, 1. Ratione *ſparſionis.* Ut enim ſemen nullum progignit fructum, niſi ſpargatur, & à terra recipiatur: Sic verbum Dei per fidelem prædicationem in corda hominum ſpargendum, & per attentam auſcultationem recipiendum eſt. 2. Ratione *fœcunditatis.* Ut enim ſemen naturâ eſt fœcundum, & fructificat: Sic verbum Dei efficax eſt, nec unquam redit vacuum, *Eſa.55. verſ 10. ſeqq.* 3. Ratione *culturæ.* Ne enim ſemen ſuffocetur, opus eſt aratione & irrigatione: Ita ſi verbũ debeat fructificare, corda hominum quaſi ſcindenda ſunt aratro Legis, & irriganda rore Evangelii. 4. Ratione *proventus.* Uti ſemen pro conditione agri inæquales fructus facit, ſic verbum Dei diverſimodè cadit in audientes, & vel multiplicem, vel modicum, vel nullum affert fructum, quia ſæpè vitiatur ab

ab hæreticis, sæpè suffocatur ab hypocritis, sæpè vi supprimitur à Tyrannis. 5. Ratione *externæ apparentiæ*. Semen parvum est, & vile apparet, magnam tamen in se virtutem continet: sic verbum prædicatum multis videtur stultitia, *1. Corinth.* 1. *vers.* 18. nihilominus est Dei potentia ad salutem, *Rom. 1. v. 16.*

Magni ergò æstimemus hoc semen nobilissimum, quippe ex quo solo regignimur, *1. Petr.* 1. *vers.* 23. ideoque illud solum recipiamus. Spargit & *Pontifex* semen aliquod, sed impurum est, ac paleas traditionum admixtas habet, quibus Deus frustrà colitur, *Matth.15.v.9 13.* Spargunt & *Calviniani* semen, sed inefficax est, quia humanas tantùm speculationes continet, quæ inimicitia sunt adversus Deum; *Rom 8.v.7.* Nos firmiorem habemus sermonē, *2.Pet.1.v.19.* Huic attendamus. Verbum Domini lucerna est, *Psal 119. v. 105.* Hanc observemus: Medicina est, *Sap.16.v.12.* Hanc adhibeamus: Verbum vitæ est, *Ioh. 6. vers. 68.* Hoc solum audiamus.

IV. Per Triticum cujus fit mentio *v.25.&30.* notantur justi piiq; homines, ut colligitur ex *v.43.* Ut enim ex bono semine gignitur salutare triticum, sic ex verbo Domini nascuntur Deo placentes Christiani. Grana tritici 1. plena sunt, 2. intus albicant, 3. foris pura apparent, nec multas habent admixtas paleas: Ita tres sunt præcipuæ qualitates Christiani, cui nomen sacri tritici jurè convenit, 1. *Sit fiduciâ plenus erga Christum*, ne titubet, sed cum Abrahamo firmiter credat, *Rom. 4. v. 18* quia fidem nostram oportet esse ὑπόστασιν vel firmam fiduciam, *Heb.11.v.1.* Sit 2. *Corde albo seu puro prædi-*

4. Triticum.

Requisita veri Christiani.

tus, ne regnet peccatum, *Rom.6.v.12.* Sed caro mortificetur ſpiritu, *cap.8.v.13.* ac retineatur bona conſcientia. 3. *Foris inculpatè vivat*, colendo Deum, & diligendo proximum. Finis enim omnis præcepti eſt charitas de corde puro, & cōſcientia bona, & fide non ficta, *1 Tim.1.v.5.* Hæc ſunt tria illa requiſita, quæ triticum in agro Chriſti acceptum reddunt, nempe 1. plenitudo fiduciæ, 2. interna albedo vel bonitas conſcientiæ, 3. Externa puritas vitæ. In his nos exerceamus quotidiè, ut magis magisq; confirmetur fides, ſubigatur caro, & corrigatur vita. Sic gratiſſimum Deo triticum erimus; & olim panis mundus in menſâ cœleſti cum martyre *Ignatio* efficiemur.

PARS II.

De Zizaniis.

OPtandum, & iterum iterumque optandum eſſet, ut in ſancto Eccleſiæ agro duntaxat bonum ſemen, & ſacrum triticum inveniretur; ſed mixta ſunt, proh dolor! varia Zizania. *Quum enim dormirent homines*, ait Chriſtus, v.25. *Venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania in medio tritici, & abiit.* Multa hîc annotatione digna occurrunt: 1. *Quid* per Zizania notetur. 2. *Num* ſemper tritico admiſceantur? 3. *De* occaſione ſuperſeminandi. 4. *De* vero autore Zizaniorum. 5. *De* abitu Satanæ. 6. *De* ignorantia hominum. 7. *De* lolii tolerantia. 8. *De* officio paſtorum. 9. *De* futura tritici & Zizaniorum ſeparatione. Quia verò nimis prolixum foret, membra hæc omnia percurrere, ob id tria tantùm breviter tangemus. 1. *Quid ſint* Zizania? 2. *Vbi ſint?* 3. *Vnde ſint?*

I. Quæ-

I. Quæſtio : Quid ſint Zizania? Reſpondet Chriſtus diſertè verſu 38 *Zizania ſunt filii nequam?* Græcè υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, Luth. **Kinder der Boßheit.** Intelliguntur autem omnes ii, qui relicto Chriſto ſerviunt Diabolo, ideoque non ſunt filii aut hæredes vitæ, ſed potius filii Satanæ, & malitiæ. Tales ſunt 1. *Hæretici*, qui errores fovent in fidei fundamento, 2. *Schiſmatici*, qui vel ob ceremonias, vel ob articulos minùs principales turbant Eccleſiam. 3. *Hypocritæ*, qui externæ ſanctitati ſtudent, & interim cor multis vitiis inquinatum habent. 4. *Empectæ & Epicuræi*, qui in peccatis voluntariis ſe volutant, & neque Deum, neque homines quicquam verentur. Ut enim ad ſacri tritici rationem duo requiruntur. 1. *Doctrinæ* puritas, 2. *Vitæ* ſanctitas: Ita Zizania tritico contraria, & doctrinæ falſitatem, & vitæ pravitatem includunt. Illa parit Hæreticos & Schiſmaticos: hæc hypocritas & Epicuræos. *Conſiderandum 1 Quid ſint Zizania.*

Hi omnes rectè comparantur Zizaniis 1. propter *externam ſpeciem.* Nam Zizania tritico permixta, licet ad eſum nil conferant, ſæpè tamen ob flores ſuos aſpectu pulcra ſunt. Unde nonnulli derivant ab ציץ quod florem notat, vel herbam floridam Hebr. Sic hæretici & hypocritæ induunt veritatis & ſanctitatis ſpeciem, quum interim nullius uſus ſint, ſed multa potius nocumenta afferant. 2. *Propter admixtionem.* Zizanium amat triticum, illiq; libenter accreſcit, unde Zizanium dictum putant quaſi σιτοζάνιον; ſic impii ſemper ſe piis admiſcent, & pro illorum ſociis haberi volunt. 3 *Propter vim nocendi.* Zizania corrumpunt & ſuffocant triticū, unde quidam dictum putant quaſi σιβάνιον; πα- *Cur impii comparentur Zizaniis.*

ϛὰ τὸ τὸν σῖτον σίνειν, ἢ βλάπτειν, quia tritico, ceu peſtis nocet, vel quia eſt, ἡ ἐν τῷ σίτῳ αἶρα, hoc eſt, φθαῖρα ſeu corruptio tritici: ſic filii nequam peſtes ſunt Eccleſiæ, illique plurimum damni inferunt. 4. *Ob corruptionem cibi.* Nam Zizanium farinæ mixtum vertiginem & vomitum parit veſcentibus: Sic doctrina impia & hypocriſis vertiginoſos facit homines, nauſeamq; ipſi Chriſto excitat, qui propterea minatur, ſe tales evomere velle, *Apoc. 3. v. 16.* Deniq; 5. *ob rationem nominis.* Ut enim Zizaniorum eſt nomen heteroclitum, quia primæ & ſecundæ declinationis eſt: Sic impii heteroclita ſunt capita, & nil niſi turbas excitant, ac ſeditiones. Proinde quivis ſibi caveat, ne in horum numero inveniatur. Inſtat enim dies judicii, & veniet tempus, ubi evometur infelix lolium, & in æterni ignis caminum cum dedecore projicietur.

2. Vbi ſint Zizania.

II. Quæſtio: Vbi ſint Zizania? In *medio tritici,* ait Salvator, *v. 25.* Mixti ſunt falſi Chriſtiani veris: mali bonis; filii Belial, filiis regni. Eccleſia quidem eſt columna veritatis, *1. Tim 3. verſ 15.* ſed ſemper unà adhærent paleæ falſitatis. Ut in agro unà cum tritico creſcit lolium: ſic in Eccleſia ſuppullulat errorum & vitiorum Zizanium.

Chriſtus ſparſerat bonum ſemen, habuit nihilominus inter domeſticos ſuos proditorem, *Ioh 6. v. 70.* Inter primos Eccleſiæ Diaconos fuit ſectarius Nicolaus, *Actor. 6 v. 5.* Apoſtolis ſe adjunxit Simon Magus. *Actor. 8. v. 32.* nec defecerunt falſi fratres, *2. Tim. 3. v 5.* de quibus legantur *Epiſtolæ Iohannis Apoſt. 2. & 3.* Nemo igitur Eccleſiã ſibi undiquaque ſanctam imaginetur: Sancta quidẽ eſt tùm imputativè, tum inchoativè: nondũ tamen cõſummativè.

mativè. Proinde renovari debemus de die in diem, *2. Cor. 5. v. 10.* & diligenter cavere, ne in cordibus nostris vel errorum, vel vitiorum Zizania succrescant, sed in prima potius satione illa extirpanda sunt.

III. Quæstio: Vnde sint? Notatur in textu partim occasio, partim causa Zizaniorum. *Occasio* est hominum somnolentia. *Verus autor* & causa princeps est Inimici malitia. Dormiunt homines, per securitatem, quùm ministri non clamant, Magistratus non puniunt, cæteri salutem & religionem nil curant. Interim vigilat hostis, perambulans terram, *Iob. 1. v. 7.* & circumiens ut Leo, *1. Pet. 5. v. 8.* quò sua spargat Zizania. Nota sunt exempla protoplastorum, *Gen. 3.* Davidis, *2. Samuel. 11.* Achab, 1. *Reg. 22.* Judæ, *Matth. 26.* ex quibus patet, quis verus lolii autor sit, nempè Diabolus, non Deus. Hic enim veritatis & sanctitatis Deus est, ideoque errorum & scelerum causa ipsi sine summa blasphemia imputari nequit. Bonus est, *Matth. 19. v. 17.* Justus & rectus est, *Deut. 32. v. 4.* Unde non nisi bonos in cordibus hominum motus excitat. *3. Vnde sunt Zizania?*

Hunc solum bonum & solum sapientem Deum invocamus supplices, *ut Semen verbi sui latißimè spargat, & in nobis fœcundum efficiat, quò eradicentur Zizania, & tandem à sanctis Angelis colligamur in æterna cœli horrea, per Iesum Christum sancti seminis custodem, semper benedictum,* Amen.

EVANGELIUM DOMINICA SEPTUAGESIMAE,

Matth. 20. à vers. 1. usque ad vers. 17.

De vineâ CHRISTI.

V. 1. ΟΜοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

2. Συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργάτων ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

3. καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς.

4. Κἀκείνοις εἶπεν, Ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα. καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, δώσω.

5. Οἱ δὲ ἀπῆλθον.

SImile enim est regnum cœlorũ viro domino domus, qui exit summo diluculò ad cõducendos operarios pro vineâ suâ.

Pactus autem cum operariis denario in diem, misit eos in vineam suam.

Et exiit horâ tertiâ, vidénsque alios stantes in plateâ, & otiosos.

Dixit eis, Ite & vos in vineam, & quodcunq; oportuerit, dabo vobis.

Illi autem abie-

DAs Himmelreich ist gleich einem Haußvater/ der am Morgen außgieng Arbeiter zu mieten in seinen Weinberg.

Vnd da er mit den Arbeitern eins ward/ vmb einen Groschẽ zum Taglohn/ sandte er sie in seinẽ Weinberg.

Vnd gieng auß vm̃ die dritte stunde/ vnd sahe andere an dem Marckt müssig stehen/

Vnd sprach zu jhnen: Gehet jhr auch hin in den Weinberg/ich will euch geben was recht ist.

Vnd sie giengen

Πάλιν

Πάλιν ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην ὥραν, ἐποίησεν ὡσαύτως.

runt. Et egressus rursum sexta & nona hora fecit itidem.

hin/abermalgieng er auß vmb die sechste vnd neunte Stunde/ vnd thät gleich also.

6. περὶ δὲ τὴν ἐνδεκάτην ὥραν ἐξελθὼν, εὗρεν ἄλλους ἑστῶτας ἀργοὺς, καὶ λέγει αὐτοῖς, τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί;

Et circa undecimam horam exiit, & invenit alios stantes & otiosos, ac dixit eis, Quid statis totum diem etiam otiosi?

Vmb die eilffte stunde aber gieng er auß/vñ fand andere müssig stehen/ vnnd sprach zu jhnen: Was stehet jhr hie den gantzen Tag müssig?

7. λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. λέγει αὐτοῖς, ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, λήψεσθε.

Dicunt ei, quia nemo nos conducit. Quibus subdit, Ite & vos in vineā, & quodcunque oportuerit, accipietis.

Sie sprachen zu jhm: Es hat vns niemand gedinget. Er sprach zu jnen: Gehet jhr auch hin in den Weinberg/ vnd was recht seyn wird/ soll euch werden.

8. ὀψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ, κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων.

Quùm autem esset vespera, ait Dominus vineæ præfecto domus suæ, Voca operarios, & da eis mercedē eorum, & incipe à novissimis ad primos usque.

Da es nu Abend ward/ Sprach der Herr des Weinbergs zu seinem Schaffner/ Ruffe den Arbeitern/ vnd gib jnen den Lohn/ vnd hebe an/ an dē letzten/ biß zu den ersten.

9. καὶ ἐλθόντες οἱ

Quùmq; venis-

Da kamen die

περὶ

περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον.

ſent illi undecimæ horæ, acceperunt ſinguli denarium.

vm̃ die eilffte ſtunde gedinget warẽ/ vnnd empfieng ein jeglicher ſeinẽ groſchen.

10. Ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι, ἐνόμισαν ὅτι πλείονα λήψονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον.

Et quùm veniſſent primi, ſperabant ſe plus reportaturos, acceperũt autem ſinguli denarium ipſi quoque.

Da aber die erſten kamen/ meineten ſie / ſie würden mehr empfangen/ vnnd ſie empfiengen auch ein jeglicher ſeinen Groſchen.

11. λαβόντες καὶ ἐγόγγυζον μετὰ τοῦ οἰκοδεσπότου.

Et quùm accepiſſent, obmurmurabãt adverſus patremfamilias, dicentes.

Vnd da ſie den empfiengen / murreten ſie wider den Haußvater / vnnd ſprachen:

12. λέγοντες, ὅτι οὗτοι ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας, τοῖς βαστάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν καύσωνα.

Iſti noviſſimi unam horam operati ſunt, & adæquaſti eos nobiſcum, qui pertulimus põdus diei ad æſtum.

Dieſe letzten haben nur eine ſtunde gearbeitet / vnd du haſt ſie vns gleich gemacht/ die wir deß Tages Laſt vnd Hitze getragen haben.

13. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν ἑνὶ αὐτῶν. Ἑταῖρε, οὐκ ἀδικῶ σε,

Ipſe verò reſpondit, & ait uni ex eis: Mi ſocie, iniquus nõ ſum in te: nón-

Er antwortet aber / vnnd ſagt zu einem vnter jhnen: Mein Freund/ ich thue dir nicht vnrecht / Biſtu nicht

οὐχὶ

οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;	ne denario pactus es mecum?	mit mir eins worden vmb einen groschen?
14. Ἆρον τὸ σὸν καὶ ὕπαγε. θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοί.	Accipe quod tuum est & abi. Volo autem huic novissimo dare ut & tibi.	Nim̃ was dein ist/ vnnd gehe hin/ Ich will aber diesem letzten geben/ gleich wie dir.
15. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;	Nónne mihi licet quod volo facere de ijs quæ ad me pertinent? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?	Oder habe ich nit macht zu thun was ich will mit dem meinen? Sihest du darumb so scheel / das ich so gütig bin?
16. Οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι· καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.	Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi sunt vocati, & pauci electi.	Also werden die letzten auch die ersten/ vnd die ersten die letzten sein. Deñ viel sind beruffen/ aber wenig seind außerwöhlet.

Homilia.



VTI Christus olim patiebatur in terris, nunc triumphat in cœlis: sic Christi Ecclesia partim *militans*, partim *triumphans* dicitur. Quidam enim in stadio currunt, quidam bravium accipiunt, *1. Cor. 9. v 24.* Nos hîc in via sumus, nondum in patria. Hîc militare debemus, ut olim coronam reportemus. Hîc versamur in regno peregrinationis, donec aliquando promoveamur

Ecclesia duplex, militans & triumphans.

veamur in regnum æternæ & beatæ mansionis. Iſraëlitæ in deſerto multa ſuſtinebant, antequam terram Canaan poſſiderent: Sic in eremo mundi hujus vagamur, priusquam cœleſtem Canaan ingrediamur.

Hæc ipſa verò militans Eccleſia, diverſis in Scriptura ſimilitudinibus adumbratur. Præfigurata eſt (1) per *arcam* Noæ, *Geneſ. 6. v. 14. 1. Pet. 3. v. 20.* quæ magis elevabatur, quo plures aquæ affluebant, & in iis ſola ſervabatur. (2) Per *tabernaculum* Moſis, *Exod. 35.* in quo DEUM coluerunt & invocarunt Judæi. (3) Per *lilium* inter ſpinas, *Cantic. 3. v. 2.* Eccleſia enim multis malis premitur, ut lilium ſpinis cingitur. (4) Per *hortum* concluſum, *Cantic. 4. v. 12.* quia Eccleſia Charitatis vallo circumquaque munitur, & populos multos in fide gignit, uti flores pulcros bona terra emittit. (5) Per *aream*, Matth. 3. v. 12. in qua triticum depoſitum eſt, & ſimul paleæ inveniuntur. (6) Per *naviculam* Chriſti, *Matth. 8. v. 32.* quæ variis fluctibus & procellis hinc inde agitatur. (7) Per *agrum Matth. 13. v. 24.* in quo ſalutare ſemen verbi divini ſpargitur. (8) Per *granum* ſinapis, *Matth. 13. v. 31.* quod licet ſit minimum, brevi tamen excreſcit, & arbor fit, in quâ nidulantur aves; (9) Per *margaritam* vel unionem, *Matth. 13. verſ. 45.* quam ſimilitudinem fusè explicat Selneccerus, part. 2. *Pædag.* pag. 447. (10) Per *rete*, Matth. 13. v. 47. quod bonos & malos piſces continet. (11) Per *ficum* arborem, *Luc. 13. v. 7.* quæ habet ramos virides & aridos. (12) Per *Ovile*, Johan. 10. v. 1. cujus Paſtor Chriſtus eſt, qui fideles paſcit, fovet, ſanat, defendit & quærit.

Variæ ſimilitudines Eccleſiæ.

Præter

Præter has ſcriptas imagines, in Creaturis etiam dulces picturæ Eccleſiæ inveniuntur, deſumtæ à Lunâ, ab amarantho, Cygnis, fœtu, violâ, halcyonibus, & multis aliis.

Inter has verò ſimilitudines omnes non poſtrema eſt, quæ hodierno Evangelio proponitur. In eo Eccleſia comparatur *vineæ*, quam Deus cœleſtis paterfamiliâs in his terris plantat, & in quam operarios ſuos ad laborandum ſemper emittit. Hæc eſt illa vinea, quam Deus ex Ægypto tranſtulit, *Pſal. 80. verſ. 9.* quæ gemmas protrudit, *Cant. 2. v. 15.* quæ electa eſt, *Eſa. 5. v. 2. Ierem. 2. v. 21.* quæ vinum meraciſſimum profert, *Eſa. 27. v. 2.* & undiquaque munitur, *Matth. 21. verſ. 33. Marc. 12. v. 1. Luc. 20. verſ. 9.* *Summa Evangelij.*

De hac vinea multa dici poſſent ex hodierno Evangelio, cujus *duæ* ſunt primariæ *partes*, altera *Operariorum vocatio* à verſu 1. uſque ad 8. altera *mercedis diſtributio*, à v. 8. uſque ad 17. *Partes.*

Sed nos unicam tantùm doctrinam breviter exponemus, dicturi *De Cauſſis comparationis, ob quas vineæ aſſimilatur Eccleſia.* *Propoſitio*

Deus qui vineam plantat, & incrementum ſolus dat, *labori noſtro clementer benedicat*, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

DEus communicare volens bonitatem aliis, creavit hominem ad imaginem ſuam, *Geneſ. 1. verſ. 27.* & in horto Eden collocavit, ut beatam vitam viveret, *Geneſ. 2. verſ. 8.* Sed perpetrato peccato, amiſit hunc ſuccum veræ beatitudinis, ejectus eſt ex Paradiſo, *Geneſ. 2. verſ. 32.* & conjectus ex benedictione in maledictionem, ex horto in

mortem,

mortem, ex rosis in spinas, ex lætitia in tristitiam & anxietatem, Æternus verò Pater intuens hanc miseriam, effudit suam super nos misericordiam, novum plantans paradisum, in quo succus & vigor omnis in animas ad salutem nostram rediret.

Ecclesiæ quid sit?

Atque hæc est illa spiritualis vinea; ubi Deus Pater est vinitor, *Iohan.* 15. *v.* 1. Dei filius est vitis, Spiritus Sanctus est ligamen, quo nos palmites viti alligamur, & fœcundamur. Hæc vinea proprio nomine vocatur *Ecclesia*, quæ est cœtus hominum ex hoc mundo evocatorum, Dei verbum audientium & Sacramentis utentium. Hæc officina est & ἐργαστήριον Spiritus Sancti regenerantis corda ad vitam æternam. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, uti *Lactantius* scribit, lib. 4. cap. ult.

Hæc ipsa verò Ecclesia cujus sit conditionis, hinc inde exprimitur in Scripturis Fit hoc *partim* γνωμικῶς, *partim* παραβολικῶς, quò pertinet comparatio, in Evangelio hodierno proposita. Quæ ut intelligatur melius, præcipuas istius similitudinis rationes breviter percurremus.

Ecclesia cõparatur vineæ. 1. Quoad apparentiam. Ratione loci.

I. Ecclesia vineæ cõparatur quoad apparẽtiam. Et hoc quidem dupliciter, 1. *Ratione cœli.* Ut enim vinea turpis & vilis apparet in terra, per se tamen præstans est, & in alto, montibúsq; apparet pulcerrima. Sic Ecclesia in his terris nullum ferè splendorem habet. Justi enim simplicitas deridetur, & lampas contemta est apud cogitationes divitum, *Iob.* 12. *v.* 4. 5. Sumus hîc populus pauper & egenus, *Sophon.* 3. *v.* 12. pusillus grex, *Luc.* 12. *v.* 32. quem mundus odit & contemnit, quia de mundo non est, *Ioh.* 18. *v.* 36. Sed confi-

dite!

dite! Licèt contemnamur in terris, Dei tamen vinea ſumus: Pulcritudo noſtra in alto eſt: In cœlo fulgebimus ut ſtellæ, *Daniel. 12. v. 3.* imò inſtar Solis ſplendentis, *Matth. 13. v 43.* David ridebatur à Goliatho, vincebat tamen, 1. *Sam. 16.* Sic à mundo quamvis ſpernamur, mundi tamen victores erimus. Deus enim humilia & abjecta reſpicit, *Pſalm. 113. v. 5.* Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum, *Luc. 16. v. 15.*

Scire vultis privilegia veſtra, qui palmites eſtis in contemtâ Dei vinea? Ecce! vos eſtis ipſius Dei filij, *Iohan. 1. v. 12.* Vos eſtis fratres Chriſti, *Hebr. 2. v. 12.* Vos eſtis concives ſanctorum & domeſtici Dei, *Epheſ. 2. verſ. 19.* Vos eſtis domus Chriſti, *Hebr. 3. v. 6.* filij lucis, *Epheſ. 5. v. 8.* gens ſancta & regale ſacerdotium, *1. Pet. 2. v. 9.* hæredes regni, *Rom. 8. v. 17.* & pupilla Dei, *Zach. 2. v. 8.* O quanta hæc eſt dignitas & excellentia! Rideant filij hujus mundi & ſpernant vineam Dei, nos tamen in Domino gaudebimus & exultabimus in Deo Jeſu noſtro, *Hab. 3. v. 19.* Nos enim dum vites ſumus, unâ ſumus filij Dei, ſponſa Chriſti, templa Spiritus Sancti & hæredes cœleſtis regni, quod quùm venerit, tum elevabitur hæc vinea, & videbunt impij, quos ſpreverint. Tunc ſtabunt juſti in magna confidentia, tunc mirabuntur contemtores ac dicent: Hi ſunt illi quos aliquando habuimus in deriſum, *Sap. 5. v. 1. ſeqq.*

2. *Ratione temporis.* Vinea hyemali tempore apparet devaſtata, & nullius pretij: In vere autem & æſtate pulcra eſt & ornata. Sic Eccleſia DEI ſuas habet viciſſitudines. *Hyems* eſt, quùm adverſitates ingruunt: *Ver & æſtas,* quùm DEUS *Et temporis.*

Duo ſtatus Chriſti & Eccleſiæ.

ad adjuvandum feſtinat. Ut enim Chriſti duo ſunt ſtatus, *Exinanitionis* & *Exaltationis*: Sic & Chriſti Eccleſia, vel premitur, vel eluctatur. Jam latet, mox iterum patet vigétque. *Ibi* verſatur in ſtatu ἐλαττώσεως; *hîc* in ſtatu ὑπερυψώσεως. *Ibi* Lunæ inſtar obſcura, *hîc* plena eſt. Illud tempus *hyemis*, hoc *veris & æſtatis* appellari poteſt. Falluntur ergò Papicolæ, qui Eccleſiam ſemper conſpicuam & illuſtrem ſibi imaginantur. Longè aliter cum illa comparatum eſt. Quæ vinea ſemper floret? Annón vites hyeme conduntur, & terrâ operiuntur? Sic triſtis quandoque facies eſt Eccleſiæ. Sæpè in cavernis latuit, ſæpè tribulationum nive obtecta extitit. Hyems fuit tempore μοσχολατρείας in deſerto, ubi totus populus defecerat, *Exod.32. verſ.3. 10. 17.* Hyems tempore Eliæ, qui ſolum ſe ſupereſſe conquerebatur, *1.Reg.19.v.10.* Hyems tẽpore Phariſaiſmi, ubi doctores corrupti multi, fideles pauci fuerunt. Cogita decem perſecutiones, cogita hereſεων tempora, inprimis Arianiſmi. Verè ibi hyems fuit, & planè defloruit hæc vinea. Sub terrâ in ſpeluncis latebant palmites, quod ipſum tempore Papatus factum. Si quæris, ubi tum Eccleſia fuerit? Ibi dico, Ubi vites ſunt in hyeme, hoc eſt, delituit. Aper enim Romanus devaſtavit vineam Dei, ut facies undiquaque triſtis appareret, juxta prædictiones, *2. Theſſal.2. v. 3. 1.Timoth.4. v. 1. Apoc.12. v. 6. cap.13. v. 3, 7. 8. 16. & 17.* Sed rediit per Dei gratiam Ver gratum, reſtituta eſt ſuo nitori vinea, dum miniſterio Lutheri Eccleſia reformata, & Lux Evangelij divinitùs reducta fuit.

Patet hinc, uti quatuor ſunt anni tempora, ſic

quatuor

quatuor esse distinctas vineæ sacræ vices aut facies. Nam Ecclesia Christi 1. *Erat pulchrè ornata*; tempore Apostolorum ob puritatem doctrinæ. 2. *Nonnihil maculata*, tempore hæreticorum & Patrum à puritate pristinâ paulatim discedentium; 3. *Prorsus deformata*; tempore dominantis Romani Pontificis. 4. *Denuò reformata*, hoc ultimo mundi seculo. Faciem primam comparare possumus *æstati*, siquidem plena messis fuit tempore Christi, *Matth. 9. v. 37. Ioh. 4. v. 35.* & vinea sacra fructus multos protulit. Secundã *autumno*, ubi folia paulatim decidebant, & splendor decrescebat. Tertiam *hyemi*, ubi vites sub terrâ latebant, ob persecutionem AntiChristi. Quartam deniq; *Veri*, ubi Vinea gemmas iterum protrudit, & reflorescit, quæ tum demum plenè virebit, quùm diu expectata æstas æternę beatitudinis advenerit; quando cœlestis vinitor nos palmites transferet in terram Paradisi benedictam. Nondum enim apparuit, quod erimus; quùm autem apparuerit, Deo similes erimus, *1. Iohan. 3. v. 2.*

II. Quoad virtutem & bonitatem. Ut enim vinea nobilissimos fructus producit, nempè vinum; quod lætificat Deum in sacrificiis, & homines in conviviis, *Iudic. 9. v. 13.* Sic in Ecclesia inveniuntur bona præstantissima, ut sunt justificatio, consistens in remissione peccatorum, *Ps. 32. v 1.* renovatio & Sancti Spiritus præsentia, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei, *Rom 8 v. 16.* Inprimis verò tres insignes botros vel uvas protrudit hæc vinea, quæ nullibi extra eam reperiuntur. *2. Quoad virtutem & bonitatem.*

Prima lætificat Deum, & est *Fides*, sine qua im-

Tres uvæ spirituales. possibile est placere Deo, *Hebr.11. v.6.* Multas hæc uva baccas vel particulas habet, ut sunt agnitio Dei, timor, invocatio, fiducia, spes, dilectio, obedientia, patientia in cruce, &c. *Secunda* lætificat proximū, & est *Charitas*, quâ benefacimus & miseremur, quæ benigna est, & malum non cogitat, *1.Cor.13. v.4. seqq.* Baccas itidem habet varias, ut justitiam, misericordiam, humanitatem, liberalitatem, hospitalitatem, & similes. *Tertia* lætificat nos ipsos & est, *tranquillitas conscientiæ.* Justificati enim ex fide pacem habemus apud Deum, *Rom.5. vers. 1.* Hæc est uva verè exhilarans, quùm conscientia bona juge sit convivium, *Proverb. 15. vers. 15.*

Hi sunt illi tergemini fructus sacræ vineæ, quibus carere coguntur omnes ij, qui extrà sunt, nec Ecclesiæ inseruntur. Carent hi uvis lætificantibus, hoc est, fide ac bonâ conscientiâ. Nec in hac tantùm vitâ carent verâ lætitiâ, sed in altera etiam bonis cœlestibus spoliabuntur, ubi fideles contrà bibent de novo genimine vitis cum Christo, *Matthæi 26. v. 29.*

Ut enim extra vineam nullæ sunt uvæ; sic extra Ecclesiam nulla est vera lætitia & salus. Ut duo parentes nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva; sic duo parentes nos gignunt ad vitam, Christus & Ecclesia. Ut ergò in arca Noæ nemo, nisi qui in eâ erat, à diluvio liberabatur; *Ita nullus, nisi Ecclesiæ membrum, salvabitur*, August. *q. 65. ad Orosium.* Nec enim habiturus est Deum Patrem in cœlis, qui non habet Ecclesiam matrem in terris, *Idem lib. 4. de Symb. ad Catech. cap. 10.* Tantæ nimirum præstantiæ est hæc vinea, quam ob id magni-

magnificare, illíq; nos maturè aſſociare debemus. Sint nobis dilecta tabernacula Domini, & dicamus cum Davide, ex Pſal. 84. v. 1. *Concupiſcit & deficit anima mea in atrio Domini.* v. 12. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Ut autem bonitas & virtus vineæ in uvis conſiſtit, non in pampinis aut folijs. Sic Eccleſiæ præſtantia non in foliis verborum aut veſtimentis pulcris, ſed unicè in verâ fide & charitate tãquam uvis ſpiritualibus eſt poſita. Non enim omnis, qui dicit, Domine, Domine, electus Deo palmes eſt, *Matth. 7. v. 20.* Ficulneæ, quæ nihil niſi folia habebat, maledixit Chriſtus, *Matth. 21. verſ. 19.* Sic maledicti ſunt omnes illi, qui oſtentant folia verborum & carent fructu fidei operúmque bonorum. Oſtende fidem ex operibus, ſi palmes vividus eſſe velis, *Iac. 2. v. 18.* Quid proderit jactare fidem verbis, & abnegare factis? *Tit. 1. v. ult.* Hic verus palmes eſt, qui uvas protrudit, frondibus reſpondentes. Sic ergò vivas, ne pampinos tantùm oſtentes, & omni fructu careas. Quod eò faciliùs fiet, ſi terrena deſeras. Ut enim uvæ, quò altiùs pendent, eò citiùs matureſcunt, quùm humo impoſitæ putreſcant: Ita Chriſtiani quò magis quærunt cœleſtia, eò maturiùs ad frugem perveniunt, ſed in fece mundi putredinem contrahunt. Quæ ſurſum igitur ſunt ſapite, nõ quæ ſuper terram, *Coloſſ. 3. v. 2.* Vinea plantata in latere montis, nobilius vinum profert, quàm plantata in planitie & terrâ pingui: Sic qui ſuprema cogitant, & ad Deum in alto habitantem ſuſpirant, longè præſtantiores ſunt ijs, qui lutoſo mundo adhærent.

Quærite ergò primùm regnum Dei,& cætera vobis adjicientur, *Matth. 6. v. 33.*

3. Quoad curam.

III. Quoad curam. Multa ſunt circa curam vineæ peragenda: Nos potiora breviter tangemus. (1.) Vineam ſoli expoſitam eſſe oportet,ut coquantur uvæ:Sic Eccleſia Chriſtum Juſtitiæ Solem, *Mal.4. v.2.* ſemper reſpiciat. (2.) Vinea ſolet cingi munirique ſepimento: Sic Deus Eccleſiam verbo ſuo circumſepit. (3.) Vinea pinguefacienda eſt: Sic Eccleſia per ſanguinem Chriſti pinguis evadit. Solum vineæ ligone vertitur, ut ſpinæ evellantur: Sic Deus Eccleſiam ligone legis vertit, & tribulos voluptatum evellit. (4.) Vinea ſalutari pluviâ nonnunquam indiget: Sic Deus vivificam Evangelij aquam Chriſtianis adfundit in Eccleſia. (6.) Uvæ coquuntur calore Solis, ut matureſcant: ſic fideles per calorem crucis perficiuntur. (7.) Vinitor ſuam absque operariis vineam non relinquit: Sic Deus fideles in Eccleſiâ miniſtros ſemper excitat. (8.) In vinea eradicantur vepres: Sic in Eccleſia eliminandæ ſunt hæreſes. (9.) Uvæ & pampini alligantur ne humo adhæreant: Sic Chriſto affixi maneamus, & ligati ad Legem & Evangelium. (10.) Pampini ſi excreſcant nimium, præciduntur: ſic faſtus & voluptates in Eccleſia reſecari debent. (11.) Palmes à vite præciſus, nullius eſt uſus, *Ezech. 15. v.3.* ſed in ignem conjicitur: Sic in Chriſto qui non manent, æternis flammis adjudicabuntur. (12.) Uvas comprimi oportet: priusquam vinum conficiatur: Sic preſſura mundi præcedit, antequam ſequatur gloria. Tandem (13.) Ut vites in hyeme operiuntur terrâ: ſic nos aſſervamur in ſepulchris, ut æſtate beati-

tudinis

tudinis veniente prodeamus,& in promiſſam Paradiſi terram transloccmur,ubi denarium & mercedem optatam accipiemus, cœleſtem vinitorem à facie ad faciem videbimus, Chriſto viti ſemper adhærebimus, & cum omnibus operariis fidelibus in æternum gaudebimus, *id quod nobis universis & singulis divina bonitas largiatur, propter preciosum Iesu Christi sanguinem*, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA SEXAGESIMAE,

Luc. 8. à V. 4. usque ad 16. Matth. 13. v 13. Marc. 4. V. 2.

De Parabola Seminis.

V. 4. Συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, εἶπε διὰ παραβολῆς.

QUumq; multa turba coacta eſſet, & ex omnibus civitatibus convenirent ad eum, dixit per parabolam.

DA nun viel Volcks beyeinander war / vnnd auß den Stätten zu jm eileten/ſprach er durch eine gleichniſſe:

5. ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον ἑαυτοῦ. καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό.

Exiit Seminator ad ſeminandum ſemen ſuum: quūque ſeminaret, aliud cecidit juxta viam, & conculcatum eſt,ac volucres cœli comederunt illud.

Es gieng ein Seeman auß zu ſeen ſeinē Samen/ vnd in dem er ſeet/ fiel etlichs an den Weg/ vnnd ward vertretten / vnd die Vögel vnter dem Himmel fraſſens auff.

6. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα.

Aliud autem cecidit super petram, & illicò germinavit, & quia non habebat humorem, exaruit.

Vnd etlichs fiel auff den Felß/ vnd da es auffgieng/ verdorret es/ darumb das es nicht Safft hatte.

7. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό.

Aliud autem cecidit inter spinas, & germinârunt cũ eo spinæ ac suffocârunt illud.

Vnd etlichs fiel mitten vnter die Dornen/ vnnd die Dornen giengen mit auff/ vnnd ersticktens.

8. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, καὶ φυὲν ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα. ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

Aliud deniq; cecidit in terram bonam & pulcram, ac germinavit & edidit fructum unũ in centũ (*Centuplum*) Hæc quum dixisset clamabat; Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Vnd etlichs fiel auff ein gut Land/ vnd es gieng auff/ vnd trug hundertfeltige Frucht. Da er das saget/ rieff er: Wer Ohren hat zu hören/ der höre.

9. ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη;

Et interrogârunt eum discipuli ejus, quæ esset ista parabola?

Es fragten jhn aber seine Jünger/ vñ sprachen: Was dieseGleichniß were?

10. ὁ δὲ εἶπεν: ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέ-

Ipse verò dixit eis, vobis etenim datum est nosse arcana regni Dei, cæteris autẽ illis per parabolas dictum

Er aber sprach: Euch ists gegebẽ zu wissen dz Geheimniß des Reichs Gottes/ dẽ andern aber in Gleichnis-

ποντες

ποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.

eſt, ut videntes non videant, & audientes nõ intelligant.

ſen/ das ſie es nicht ſehẽ/ ob ſie es ſchon ſehen / vnnd nicht verſtehen / ob ſie es ſchon hören.

11. ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή. ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

Eſt autem hæc parabola : Semen eſt Sermo Dei.

Das iſt aber die gleichnis. Der Same iſt das Wort Gottes.

12. οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, εἰσὶν οἱ ἀκούοντες, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν.

Ii autem qui ſecus viam, ſunt qui audiunt ſermonẽ, & veniens inimicus tollit ſermonẽ ex cordibus eorũ, ne credant & ſalvi fiant.

Die aber an dem wege ſind/ das ſind die es hören / Darnach kompt der Teuffel/ vnd nimpt das Wort von jhrem Hertzen / auff das ſie nicht glauben / noch ſelig werden.

13. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἱ ὅταν ἀκούσωσι, μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον, καὶ οὗτοι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται.

Qui autem ſuper petram, ii ſunt, qui quum audierint, cum gaudio excipiunt ſermonem, & radicem non habent, ſed temporaria eſt fides eorum & tempore tentationis impingunt.

Die aber auff dem Fels/ ſind die/ wenn ſie es hören/ nemen ſie das wort mit Frewden an/ vnd die habẽ nicht wurtzel/ Eine zeitlang glauben ſie/ vnd zu der Zeit der Anfechtung fallen ſie abe.

14. τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες, καὶ

Quod autem inter ſpinas cecidit, ii ſunt, qui audiunt

Das aber vnter die dornen fiel/ ſind die/ ſo es hören/ [illegible]

ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι.

15. τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ, οὗτοί εἰσιν, οἵτινες ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον κατέχουσι, καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ.

sermonē, sed à solicitudine, divitiisque, & concupiscentiis mundi suffocantur, fructusque non edunt.

Quod autem in terram bonam, ii sunt, qui corde humili bonoq; audiunt sermonē & amplectuntur, eduntq; fructus in patientia.

gehen hin vnter dē Sorgen / Reichthumb vnd wollust dieses Lebens / vnd ersticken / vnd bringen keine Frucht.

Das aber auff dem guten Lande / sind / die das wort hören vnd behaltē in einem feinen guten Hertzen / vnd bringen Frucht in Gedult.

Homilia.



OMNIA quidem peccata Deum offendunt, maximè tamen contemtus verbi, cujus efficacia per incredulitatem hominum impeditur. Quid enim turpius & nefandum magis, quàm salutis media, quæ Deus tantâ solicitudine nobis offert, temerè aspernari? Hinc gravissimè queritur apud Esaiam cap. 5. v. 3. & 4. *Viri Iuda, Iudicatę inter me, & vineam meam, quid est, quod debui ultra facere & non feci?*

Deploratur hominum socordia quoad negotium salutis.

Charissimi, judicate & vos ipsi, annón eandem hodie querelam jure possit repetere Jehovah? Ipse tanquam cœlestis paterfamiliâs exivit undecimâ horâ, die mundi jam inclinato. Accendit lucem Evangelii, plantavit vineam inter nos, & emisit fideles operarios. Nihil est, quod ultra facere debuerit. Quot verò sunt, qui suum quo-

que officium faciant? Expectat Deus uvas, ſed proh dolor! ferunt labruſcas. Annón plurimi ſpernunt conſilium Dei adverſus ſemetipſos: *Luc. 7. v. 30.* Sapientia in plateis clamat, ſed quotus eſt qui audiat? *Proverb. 1. v. 29.* Deus totâ die expandit manus: ſed ad populum contumacem, *Eſa. 65. v. 2.* Quis enim credit auditui noſtro? *Eſa. 53 v. 1.* Reſiſtunt Spiritui S. cum Phariſæis, *Actor. 7. v. 51.* & repellunt verbum Domini à ſe cum Judæis, *Act. 13 v. 46.* Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & cohorreſcite, & deſolamini vehementer, dicit Domin⁹, *Ier. 2 v. 12.* Circumite vias Jeruſalem, & adſpicite, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem? *Ierem 5. v. 1.*

Verùm quæ cauſſa eſt tantæ ſecuritatis? Cur defecit ſanctus, & conſumti ſunt fideles à filiis hominum? *Oſe 12. v. 1.* Nec enim immeritò ſuper hoc miramur. Nam *ecce!* Deus Pater omnes diligit, Filius dilectos redemit, Spiritus S. redemtos vocat. Nulli clauſa eſt cœli janua. Patet omnibus intrare deſiderantibus Verbum, ſalutis medium, multi audiunt, ſed pauci fidem accipiunt. Multi templum ingrediuntur: pauciſſimi corde pio & fideli revertuntur. Num ergò quosdam abſolutè reprobavit Deus? Num ideò non credunt, quia ipſos credere non vult Dominus? Abſit hoc, *fratres*, & abſit quàm longiſſimè, Deus non eſt Deus volens mortem peccatoris, *Ezech. 18. v. 23. c. 33 v. 11.* Ex te, ô Iſraël, eſt perditio tua, ex me autẽ ſalus, inquit Dominus, *Oſe. 13. v. 9.* *Quæ ſit cauſa, ut pauci convertantur*

Qui *veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ reluctantur*, dicente Proſpero lib. 2. de Vocat. gent. cap. 28.

Atque

Summa Evangelii

Atque hoc illud thema est, quod in Parabola hodierni Evangelii tractatur. Ibi enim Christus seipsum *seminanti* comparat, verbum suum *semini*, homines *agro*. Semen in se fructuosum est, neque tamen semper fructificat; non ob suum, sed agri vitium, vel aliud impedimentum. Hinc 4. distinctæ agri differentiæ, vel auditorum classes à Christo enumerantur. Semen enim vel cadit *secus viam*, in corde Epicuræorum, & conculcatur per contemtum; vel *super petram*, in corde mollium, & exarescit per ἀποστασίαν; vel *inter spinas* in corde luxuriantium, & suffocatur per delicias: vel in *terram bonam* in corde fidelium, & fructificat per patientiam. Quòd ergò non omnes convertuntur, hominum culpâ fit, quia non omnes eâ, quâ debent reverentiâ & devotione verbum recipiunt. Idem semen seminatur inter omnes, sed non eodem modo cadit, ut ita *fructus* Deo seminanti, *impedimentum* hominum voluntati unicè adscribendum sit. quum verò totam parabolam explicare, omnesq; classes considerare temporis angustia non permittat, hoc unicum Concionis nostræ thema esto.

Propositio

Quinam sint illi, apud quos verbum fructificet, quove modo nos gerere debeamus, ut quartæ & optimæ auditorum classi accenseamur? Faxit Deus, ut semen ipsius etiamnum optimè cadat, fructumq; centuplum in nobis proferat, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

Mors & vita proponitur auditoribus.

MOses, quum legem Domini promulgâsset, populum sic alloquitur, Deut. 30. v. 19. *Testes invoco cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & se-*

& ſemen tuum. Hodiè Chriſtus Jeſus, Moſis antitypus, Propheta maximus, exurgit pariterque vitam & mortem proponit. Viam ſalutis indicat, ut ſequamur; & præcipitia monſtrat, ut caveamus. Eligas ergò quod placuerit. Bivium hîc eſt. Vel ad cœlum ibis, vel ad infernum. Ad cœlum, ſi pareas: ad infernum, ſi negligas, Qui ergò aures habet ad audiendum, audiat. Ecce! nos etiam, qui legatione fungimur pro Chriſto, *2.Cor.5.v.20.* teſtes invocamus cœlum & terram, quòd utrumque vobis annunciaverimus. Hîc vita & mors eſt: hîc ſalus & damnatio. Si volueritis, bona terræ comedetis: Si nolueritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum eſt, Eſa. 1. v. 19. 20. *Volo utiquè, volo,* reſpondebit quivis. Nam ſalvus & beatus eſſe quis nollet? Sed dicere ſolùm non ſufficit: Ad Praxin veniendum eſt, cujus rationẽ veram Chriſtus oſtendit dupliciter: *1.* παραβολικῶς, per ſimilitudinem bonæ terræ, 2. γνωμικῶς, per expreſſa verba in Evangelii fine.

I. Quod ſimilitudinem attinet, ejus ſumma breviſſimis hæc eſt. Terram bonam oportet eſſe 1. nigram, 2. pinguem, 3. cultam, 4. fœcundam. Easdem qualitates habent illi, quos apud verbum fructificare debet. Similes ſunt (1) *Terræ nigræ,* ob deſpectum coram mundo, & calamitates varias. Nigra ſum, ſed formoſa, inquit Eccleſia, *Cant. 2. v. 5.* Licet foris non ſplendeat, ſed denigrata ſit adflictionibus, fulget tamen intus, ob dona S. Spiritus. Quare patienter feras crucem, quam DEUS imponit. Signum hoc eſt terræ bonæ. Læteris potius, nec contra Deum murmures. Nam hoc ipſo certus reddetis,

Conditiones bonæ terræ.

Quæ adumbrant requiſita veri Chriſtiani.

ris, te particulam esse bonæ terræ, & membrum veræ Ecclesiæ, quæ foris nigra, intus formosa est. (2) *Terræ pingui*, ob affectum ergò Deum & proximum. *Illum* quisq; diligat ex toto corde, *hunc* uti seipsum. Non magis adhęręamus mundo, quàm Deo. Pingue sit cor nostrum, & amore plenum, ut dicere possimus cum Asapho ex Psalm. 73. vers. 36. *Deficiat sanè caro mea: Petra tamen cordis mei, & pars mea, Deus, es in æternum.* (3) *Terræ cultæ*, ob fidei exercitium. Nisi colatur terra, fructum exiguum proferet, sic agrum animæ colamus quotidiè, ut crescat, & proficiat in fide. Optima cordis cultura est; si de die in diem confirmetur, & fidei capiat incrementum. Absq; hac enim Deo placere non possumus, *Hebr. 11. v. 6.* per hanc stamus & gloriamur, *Rom. 5. v. 2.* per hanc Christo inserimur, *Coloss. 2. v. 7.* & in cœlestem Paradisum transferimur, *Heb. 4. v. 3.* Tandem (4) *Terræ fæcũdæ*, ob multiplicia bona opera. Ut enim terræ bonitas cognoscitur ex fertilitate, sic veri Christiani per pietatis studium innotescunt. Christus enim pro nobis semetipsum dedit, ut mundaret sibi populum sectatorem bonorum operum, *Tit. 2. vers. 14.* Ostende ergò fidem tuam ex operibus, *Iac. 2. v. 18.* Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? *v. 14.* Uti Sol non est absq; radiis, nec corpus vivum absq; calore: Sic fides esse nequit sine bonis operibus. Semper enim per charitatem operatur, *Gal. 5. v. 6.* Nolite igitur cõformari huic seculo, *Rom. 12. v. 2.* sectamini charitatem. *1. Cor. 18. v. 1.* & ambulate dignè vocatione vestrâ, *Ephes. 4. v. 1.* Sic apparebit, terram vos bonam esse,
quæ

quæ à Deo unicè diligitur, & in cœlum suo tempore translocabitur.

II. Verba Christi, quibus concluditur parabola, sic habent; *Quod in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & sincero audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Hîc luculenter exprimuntur proprietates fidelium, apud quos semen divinum fructificat. Percurremus illas breviter, utq; magis nos excitent, tribus Regulis includemus.

Tres Regulæ fidelib. observandæ.

Prima Regula.

Verbum Dei diligenter audias.

QUî enim fructum feret, si prorsus negligatur? Quid dabit ager aliud, quàm spinas & tribulos, si sementem non facias? Ita cordis tui agellum non curabis rectè, nisi de semine verbi divini percipiendo sis solicitus. Quisquis ergò vult salvus esse, Deo loquenti attendat, uno verbo, *Audiat, hæc summa est.* Non enim Deus immediatè nobiscum agit, sed organicè: non convertit homines ἐνθουσιαστικῶς per raptum, sed ἀκουστικῶς, per verbum. Posset utique sine omni medio nos salvare, non autem vult nisi per fidem, *Ioh. 3 vers. 15 Marc. 16. Rom. 3. v. 25. cap. 4. v. 5. Gal 2 v. 16. Eph. 2. v. 8.* At verò fides non infunditur ἀμέσως, sed per verbum datur. Verbum autem nihil prodest, nisi audiatur. Præcipuum ergò salutis medium, *auditus verbi est.* Nam fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi, *Rom. 10. v. 17.* Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, *1. Cor. 1. v. 21.* Quia *impoßibile erat sine Deo discere Deum, per verbum*

1. Verbum audias.

suum

ſuum docet homines, ſcire Deum, Hilarius, lib. 5. de Trin. Qui ergò ex Deo eſt, verbum Dei audit, *Ioh. 8. v. 47.* Quia hoc primarium diſcrimen eſt inter Chriſtianum & Paganum.

Neque verò ſufficit aliquando audiviſſe, vel ſemel per annum audire verbum Dei, Semper opus habemus hoc medio, & fidei nutrimento. Nam ad lapſum proni ſumus: Fieri poteſt facilè, ut labamur. Væ nobis, ſi per verbum non reſurgamus! Petrus adeò ſibi videbatur ſtare, ut ad mortem paratus eſſet, *Matth. 26. v. 35.* Sed cecidit, *verſ 70.* Per verbi autem recordationem motus eſt ad pœnitentiam, *Luc. 22. v. 61.* Quocirca ſalutare hoc ὄργανον nobis familiare reddamus, ne fidei navim vel crucis vel tentationis fluctus concutiant. Quod ut à nobis fiat lubentius, præcipuas cauſas, quæ ad verbum Dei diligenter audiendum nos movere poſſunt, & hodierno Evangelio inſinuantur, paucis conſiderabimus. Excitet ergò ſomnolentos auditores.

Ob majorum alacritatem.

I. Majorum noſtrorum alacritas. Audiamus in principio Evangelii, turbam plurimam conveniſſe, & de civitatibus properâſſe ad Chriſtum: Matthæus refert *cap. 13. verſ. 2.* ipſum præ multitudine coactum fuiſſe, ut naviculam aſcenderet, & ex illa populo in littore ſtanti prædicaret. Erubeſcant noſtri homines! Turba hæc aliquot milliaria confecit ad Chriſtum audiendum: nos præ foribus habemus, & tamen audire nolumus. In V. Teſtament. quotannis proficiſcendū erat ad templum Hieroſolymitanum. Nunc Deus ipſe appropinquat nobis, & verbum offert. Sed proh dolor! contemnitur. Regina Sabæ venit

nit ex longinqiuis oris, ad audiendum Salomonem, 1. *Reg.* 10. *v.* 1. Ecce! Hìc plus est quàm Salomon! *Matth.* 12. *v.* 24. Æterna Patris sapientia in verbo nos alloquitur; nec itinere longo opus habemus; Et nihilominus tam pauci sunt, qui attendunt. Judæos oportuit sumtus impendere ad cultum & sacrificia Dei: A nobis nîl requiritur, nisi auditus, & tamen Judæis negligentiores sumus. Cùm sanctuarium esset conficiendum in deserto, donaria debuit populus offerre; Obtemperavit protinus, ut tandem exclamârint artifices: *Plus offert populus, quàm necessarium est.* Hinc Moses præconis voce cantari jussit, *Nil offeratur ultra*, Exod. 36. vers. 5. 6. O Zelum laudatissimum! Ubi mansit hic ardor? Evanuit prorsus & expiravit. Nullâ præconis voce opus est. Necessaria nostri non suggerunt, nedum ut plura offerant. Imò nihil conferre, sed tantùm patulas aures afferre debent, & Deus cœlestibus illos donis implere paratus est. Cur ergò tàm tardi sumus ad veniendum, tàm pigri ad audiendum? An memoriâ vobis exciderunt Papales tenebræ? O quantis suspiriis desiderârunt majores vel unicam concionem Evangelicam! O quanto fervore primùm audierunt Lutherum prædicantem! Cogitate Hispanos & Italos: Quàm multi Evangelium audirent, si modò possent! Nos possumus, sed nolumus.

O *deplorandam socordiam!* Num arbitramini, conjugio junctum vobis esse Evangelium? Ah facilè auferri potest, si contemnatur. Recordamini, quid Judæis contigerit, Erant electus Dei populus, sed jam ejecti sunt. In faciem ipsis dixit

Apoſtolus, *Act. 13. v. 49. Quoniam repellitis verbum Dei, Ecce! convertimur ad gentes.* Hæc enim juſta ſecuritatis pœna eſt, quàm minatur Deus, *Amos 8. v. 11.* Dies veniunt, dicit Dominus: & emittam famem in terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. *O nos miſeros,* ſi hoc ſalutis medium auferatur! Ne igitur hoc fiat, conveniamus cum hodierno populo, approperemus Chriſto, & attendamus verbo. Ita requiem habebunt animæ noſtræ, & gratia Dei ſuper nos manebit in æternum.

Ob Chriſti fidelitatē. II. Seminantis cura & autoritas. Sator hic non eſt alius, quàm cœleſtis Pater, quem Chriſtus *Iohan. 15. v. 1.* expreſsè vocat agricolam. Sedulò is ſpargit ſemen ſuum, & quidem 1. In *agrum univerſalem*, qui eſt Eccleſia, per mundū diſperſa. 2. In *agrum particularem*, qui eſt fidelis anima. Exiit verò ſtatim in Paradiſo prædicans Protoplaſtis, *Geneſ. 3. v. 15.* Exiit circa diluvium, loquens cum Noacho, *Geneſ. 6. verſ. 13.* Exiit tempore Patriarcharum, quos familiariter compellavit. Inprimis exiit in monte Sina, legem & ſtatuta ſua promulgando, *Exod. 20.* Quia verò Judæi vocem ejus perferre haut poterant, *Exod. cap. 20. verſ. 19.* non amplius immediatè progreditur, ſed miniſtros ſuos emittit, qui ſemen divinum ſpargant. Hos audire, horum voci nos obtemperare præcipit, *Pſalm. 95. v. 8. Lucæ 10. verſ. 16.* Quoties ergò campanæ pulſum audimus, toties à Deo nos vocari exiſtimemus. *Ecce!* cogites, Deus meus ad ſeminandum iterum exibit. Veniam ergò, ut ager cordis mei bono ſemine impleatur. Si ipſe mei cauſsâ ſe adeò demittit,

demittit, cur emaneam ego, & salutem meam ultrò negligam? Nam omnes Trinitatis personæ, & tota militia cœlestis te quasi expectat in templo. Deus Pater manus expandit, *Esa. 65. v. 2.* ut te complectatur. Filius vocat, *Esa. 55. vers. 1. Matth. 11. v. 28.* ut anima tua reficiatur. Spiritus S. pulsat, *Apoc. 3. v. 20.* ut cor tuum ingrediatur. Omnes S. Angeli præstolantur, ut tibi ministrent, quoniam pœnitentiâ nostrâ delectantur, *Luc. 15. v. 10.* Quum igitur tota cœlestis curia nos expectet, quis non compareat libenter? Dicat quivis? Ibo ab *Deum patrem*, ut me suscipiat: Ibo ad *Christum meum*, ut reficiat: Ibo ad *Spiritum sanctum* ut intret, mecumq; maneat.

O quanta hæc est dignitas Deo uniri, Deum audire, & cum Deo colloqui! Omnia hæc in templo contingunt. Ibi enim loquitur nobiscum Deus per verbum: ibi nos loquimur cum Deo per preces: Ibi unimur invicem per utrumque. Lætatur subditus, si videre tantùm possit Principem aut Regem: multò magis si audire. Et nos ipsius Dei, Regum regis, alloquiũ aspernabimur, flocciq; faciemus.

3. *Seminis Virtus & Dignitas.* Ut enim semen per se fructuosum est: sic Dei verbum, unde semini non immeritò comparatur. Et quidem (1) Ratione *regenerationis*, quia per illud, uti per semen divinum, regeneramur, *1. Pet. 1. vers. 23.* (2) Ratione *culturæ*, quia verbum in cordibus nostris, uti semen in agro, foveri, & Christi sanguine irrigari debet. (3) Ratione *fructus*, quia nunquam est otiosum, nunquam redit vacuum, *Esa. 55. vers. 10.* Nam verbum Dei convertit animas,

Ob Verbi dignitatẽ. Cur verbum comparetur semini.

Psalm. 19. *v.* 9. Est verbum, per quod salvamur, *Iohan.* 20. *v. ult.* Est sapientia Dei, *Act.* 6 *v.* 10. potentia ad salutem, *Rom.* 1 *vers.* 16. medium fidei, *Rom.* 10. *v.* 17. sermo firmus, 2. *Petr.* 1. *v.* 19. Hinc & comparatur medicinæ sananti, *Sap.* 16. *v.* 12. gladio penetranti, *Esa.* 49. *v.* 2. *Heb.* 4 *v.* 12. & igni, *Ierem.* 5. *v.* 14. quia illuminat mentem per scientiã, calefacit corda per pietatem, & adurit impios per Legis maledictionem. Comparatur insuper malleo, *Ier.* 23. *v.* 29. nivi & imbri, *Esa.* 55. *vers.* 10. cibo, *Ezech.* 3. *v.* 3. lucernæ, 2. *Pet.* 1. *v.* 19. melli, *Psal.* 19. *v.* 11. tubis Levitarum, *Ioh.* 6. *v.* 8. & fundæ Davidis, 1. *Sam.* 17. *v.* 9.

Est præterea semen verbi divini (1) *Purum*, cui nullæ traditionum humanarum paleæ sunt admixtæ, nec à nobis admisceri debent, *Deut.* 4. *v.* 2. *cap.* 12. *v. ult.* *Ezech.* 20. *v.* 19. (2) *Aeternum*, quod non cœpit cum Luthero, quippe quum hic istud acceperit à Prophetis & Apostolis. Qua de caussa αἰώνιον vocatur, *Apoc.* 14. *v.* 6. (3) *Vivũ*, non mortua litera, ut delirant Anabaptistæ; Nam vivificat corda, *Psalm.* 119. *v.* 140. Ideoq; verbum vitæ nuncupatur, *Ioh.* 6. *v.* 68. (4) *Fœcundum*, quia fructus fert varios, *partim* in agro universali, nimirum Ecclesia, in qua Satanas serit ignorantiam, malitiam, miseriam. Deus autem per verbum suum gignit scientiam, pietatem & gloriam: *partim* in agro speciali, nempe animâ fideli, ubi parit fructum in intellectu per cognitionem, in affectu per fidem, in actu per bona opera & novam obedientiam. Quum igitur tantæ virtutis & efficaciæ sit verbum Dei, avidè illud audiamus, & cum Davide oremus quotidiè, ex

Psalm.

Pſalm. 17. verſ. 4. *Vnum petii à Domino, hoc requiram, &c.*

Secunda Regula.

Verbum auditum in corde bono retineas.

Non ſufficit audire, ſed debemus etiam verbum cuſtodire. Semen niſi abſcondatur in agro, & radices agat, non progerminat: Sic verbum niſi conſervetur in corde, non fructificat. Hîc ergò videamus, ne infernales vultures ſermonem Dei nobis eripiant. Attenti enim ſunt, & ad rapiendum parati. Agricolæ quum ſerunt, corvi magno numero advolant: Sic in templo quum prædicatur verbum Dei, turmatim accurrunt Diaboli. Sed veluti corvos abigit agricola: ſic devotâ attentione pellamus dæmones. In vitis Patrum legitur, quòd pio cuidam viro, ad petitionem ſuam aperti ſint oculi in templo, & viderit nigros corvos axillis hominum inſidentes, & ſemini rapiendo intentos. Si & nobis aperirentur oculi, proh, quàm triſte viſuri eſſemus ſpectaculum! Quare ſic audiamus verbum, ut illud bono & fideli corde recipiamus. Quod tum fiet faciliùs, ſi removeantur omnia impedimenta, à verbi cuſtodia nos avocantia. *2. Auditũ retineat.*

Sunt eorum inprimis quatuor: 1. *Societas mundanorum.* Hi enim ſunt ſecus viam, qui conculcant verbum: ideoque fugiamus illos. 2. *Perverſitas inimicorum.* Hi ſunt potiſſimùm dæmones, qui verbo, ut aves ſemini, inſidiantur. Claudamus ergò cor noſtrum per devotas preces, ne præclarum ſemen auferatur. 3. *Aridi-* *Quatuor obſtacula, quo minus cuſtodiatur verbũ Dei.*

tas animorum, quum tempore tribulationis ab agnito verbo deficitur. Ut enim ab æſtu Solis plantæ areſcunt; ſic in calore tribulationis multi recedunt. Nos autem conſtanter adhæreamus Chriſto, quia hic eſt fons aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam, *Ioh. 4. verſ* 14. Tandem 4. *ſolicitudo terrenorum*. Nam curæ ſeculares ſuffocant verbum Domini. Qui extra templum circa opes vagantur ſuis cogitationibus, magis abſunt, quàm adſunt. *Anima* enim *magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat*, quemadmodum *Auguſtinus* loquitur. Quare filioli, nolite diligere mundum, quia tranſit, & concupiſcentia ejus, *1. Iohan. 2. verſ. 15. 17.*


Hæc ſunt illa 4. obſtacula, quæ ſi removemus, verbum Dei facilè retinebimus. Deponite igitur cor petroſum & contumax, evellite ſpinas voluptatum, pellite conculcatores dæmones, & tum in bonam terram cadet ſemen cœleſtis agricolæ.

Tertia Regula.

In patientia fructum afferas.

3. Fructum afferas. Hoc ultimum terræ bonę requiſitum eſt. Quãdò enim verbum audivimus, & corde cuſtodivimus, fructum ferre debemus. Iſti ſunt auditores optimi, ſecundum Bedam, qui *aure audiunt, mente condunt, opere implent*. Ad auditum ergò & cuſtodiam verbi fructus inſequi debet, qui geminus eſt, 1. Vera *Fides*. 2. Sincera *Pietas*. Hi enim ſunt uſus verbi prædicati, dum conducit πρὸς γνῶσιν, vel cognitionem: & πρὸς πρᾶξιν, vel ad actionem. Nam omnis ſcriptura, quæ verbum Dei, utilis

eſt ad docendum, ad corrigendum, arguendum & erudiendum in juſtitia, 2. *Tim.* 3. v. 16. Tum ergo acceptus Deo auditor eris, 1. ſi fidem verbo adhibeas, 2. Si bonis illam operibus teſteris, & 3. in utroque conſtanter perſeveres. Hoc enim indicat vox ὑπομονῆς, quam Latinus interpres vertit per patientiam. Fiat de te, quod fieri voluerit Deus: Tu tamen conſtans maneto, nec deficito. Tempeſtas ſæva te obruit? Patienter ſuſtine. Bonum ſemen cordi tuo eſt inſitum. Illius recordare, & ſuccum verè vitalem ſuggeret, ut perferre & durare valeas. Nam in afflictione ſolatur & vivificat, *Pſalm.* 119. *verſ.* 50. Milites ergò bonam militiam, retinens fidem & conſcientiam ad exemplum Apoſtoli, 2. *Tim.* 4. *verſ.* 8. Non ſis ore cœleſtis, opere terreſtris: ratione volens, voluntate nolens, quod hypocritarum eſt, ſed opere ipſo compleas, quod ex verbo te percepiſſe & corde credere profiteris. Ita centuplum fructum feres, & tempore meſſis cum electis omnibus colligeris à beatis Angelis, & in regnum cœlorum transfereris, ut purus ſis panis in menſa Domini, cui ſit laus & gratiarum actio in æternum, Amen.



EVANGELIUM

DOMINICA QUINQVAGESIMAE, VEL ESTO MIHI,

Luc. 18. à v. 31. usque ad finem, Matth. 20. vers. 17. Marc. 10. vers. 33.

De Itinere Christi Hierosolymitano.

v. 31. ΠΑραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα εἶπε πρὸς αὐτούς. ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου.

ET accepit Jeschua dodecadem suam, & dixit eis, Ecce, ascẽdimus ad Ourischlem, & perficientur omnia, quæ scripta sunt in Prophetis adversus filium hominis.

ER nam aber zu sich die zwölffe / vnd sprach zu jhnen: Sehet / Wir gehen hinauff gen Jerusalem / vnd es wird alles vollendet / das geschrieben ist durch die Propheten / von deß Menschen son.

32. Παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται.

Tradetur enim gentibus; & illudent ei, & conspuent in vultum ejus ac flagellis cædent eum.

Denn Er wird vberantwortet werden den Heyden / vñ er wird verspottet vnd geschmähet / vnd verspeyet werden.

33. καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν

Et afficient eum ignominia, eumq;

Vnd sie werden jhn Geisseln / vnd

αὐτὸν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.	trucidabunt; ac die tertiâ reſurget.	tődten / vnnd am dritten Tage wird er wider aufferſtehen.
34. καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν; καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.	Illi autem nihil horum intellexerunt: ſed latebat eos ſermo iſte, & neſciebãt hæc quę dicebantur eis.	Sie aber vernamen der keines / vnd die Rede war jhnen verborgen / vnd wuſten nicht / was das geſagt war.
35. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχώ, τυφλός τις ἐπάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν.	Porrò quùm appropinquaret Hirichou, cæcus quidam ſedebat juxta viam, & mendicabat,	Es geſchach aber / da er nahe zu Jericho kam / ſaß ein Blinder am Wege / vnd bettelt.
36. ἀκούσας δὲ ὄχλου διαπορευομένου, ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο.	Et audiit vocem turbæ tranſeuntis, & ſciſcitatus eſt quisnam hic eſſet.	Da er aber hőret das Volck / das durch hin gieng / forſchet er / was das were?
37. ἀπήγγειλαν δὲ αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται.	Dicunt ei, Jeschua Nazarenus tranſit.	Da verkündigeten ſie jhm: Jeſus võ Nazareth gieng fürüber.
38. καὶ ἐβόησε λέγων, Ἰησοῦ υἱὲ Δαβίδ, ἐλέησόν με.	Clamavit itaq; & ait, Jeschua, fili David, miſerere mei.	Vnd er rieff / vnd ſprach: JEſu / du Sohn David / erbarme dich mein.
39. καὶ οἱ προάγοντες ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιοπήσῃ. αὐτὸς δὲ	Ii autẽ qui iter faciebãt ante ipſum Jeſchua, objurgabant eum, ut tace-	Die aber forne an giengen / bedrăweten jhn / er ſolte ſchweigen. Er

πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν, υἱὲ Δαβίδ, ἐλέησόν με.

ret: ille verò magis clamabat, fili David, miserere mei.

aber schrey viel mehr: Du Sohn David / Erbarme dich mein.

40. σταθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν. ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ ἐπηρώτησεν αὐτόν.

Et substituit Jeschua, jussitq; eum ad se vocari. Quũque ei appropinquasset, interrogavit eum.

Jesus aber stund stille / vnd hieß jhn zu sich führen. Da sie jhn aber nahe bey jhn brachten / fraget er jhn:

41. λέγων, τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ εἶπε, κύριε, ἵνα ἀναβλέψω.

Dixítq; ei, Quid vis faciam tibi? Ille verò dixit, Domine mi, ut videam.

Vnnd sprach: Was wilt du / das ich dir thun sol? Er sprach: HErr / das ich sehen möge.

42. καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἀνάβλεψον. ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.

At Jeschua dixit ei, Videto. Fides tua te servavit.

Vnd JEsus sprach zu jhm: Sey sehend / dein Glaub hat dir geholffen.

43. καὶ παραχρῆμα ἀνέβλεψε, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ δοξάζων τὸν θεόν. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν, ἔδωκεν αἶνον τῷ θεῷ.

Eoq; momento vidit; ac veniebat post eum, & glorificabat Deum: totusq; populus quũ hoc vidisset, tribuebat laudem Deo.

Vnd also bald ward er sehend / vñ folgete jhm nach / vnd preisete Gott. Vnnd alles Volck das solches sahe / lobete Gott.

Homilia.

Homo jumento similis.

UTHERUS hominem *jumento* comparat, quia sessorem, à quo circumducitur, vel Deum, vel Diabolum habet, *lib. de Serv. arb.* Sunt hi sessores planè contrarij, & sibi invicem

cem adversi. *Deus* bonus est, & bona suggerit: *Diabolus* malus est, & ad mala incitat. Hinc bona Dei monita & instituta per malas Satanæ artes, & molitiones impediuntur. Ubi enim templum extruit Deus, ibi sacrarium habere contendit Diabolus.

Bacchanalia, festum Ethnicum.

Contingit hoc ipsum præsenti tempore. Nam quùm Ecclesia Christi ad devotam sacræ passionis meditationem se præparat, Diabolus festum Ethnicum celebrari procurat. Festum hoc festum *Bacchanaliorum* est, cujus nec nomen quidem audiri æquius erat. Bacchus Deaster gentilis fuit, quem vitium curam habere finxerunt. In hujus honorem festum institutum est, quod à Bacchi nomine, *Bacchanalia* nuncupârunt. Celebrari cœpit in Ægypto, unde ad Græcos delatum, inde in Hetruriam, ex Hetruria Romam & tandem in Germaniam pervenit. Festi summa fuit, ut omnes vino inebriati, habitum mutantes, furorem simulantes, magno boatu, & altis clamoribus discurrerent. Ethnicam hanc impietatem, proh dolor, sequuntur Christiani. Licèt enim Bacchum non adorent, gulæ tamen indulgent, & larvati circumcursitant hoc sancto tempore, quo memoriam passionis Dominicæ debemus repetere. O deplorandam hominum ingratitudinem & malitiam! Creati sumus ad imaginem Dei? Cur ergò faciem nostram deformamus? cur aliam personam, quàm quæ à Deo nobis data est, induimus? Larvas invenit Satanas, qui Larvâ serpentis Evam decepit: Et nos hostem nostrum imitabimur? Creati sumus ad societatem: Cur igitur agnosci nolumus? Dei templa, Spiritus Sancti habitacula esse debemus: Cur illa

igitur

igitur prostituimus? Cur Diabolo corda nostra mancipamus? Nolite, *ô fratres*, nolite tantum scelus committere. Ne conformemini filiis hujus seculi, sed Ethnicis sua relinquẽtes, quæ Christianos decent, agite, ut glorificetur Deus in corpore vestro.

Et hanc ob causam proculdubio veneranda antiquitas hodiernum Evangelium prælegi voluit, ut per recordationem passionis Dominicæ avocarentur Christiani à bacchantium luxu & vita dissoluta. Constat verò istud *duabus* partibus.

Partes Evangelij. 1. Est *Concio Christi* de suâ passione, *vers. 31. 32. 33. 34.*

2. Est *Miraculum Christi*, de Cæci sanatione, *à v. 35. usque ad finem.*

Nos breviter dicemus *de caußis, quæ ab ἀσωτίᾳ his diebus usitatâ nos avocare debent.* Faxit Deus, ut corda nostra penetrent, & ab omni impietate nos abducant, Amen.

TRACTATIO.

Inveterata consuetudo difficulter tollitur. COR humanum adeò corruptum est, ut nisi motiva audiat gravissima, non facilè discedat ab inveterata consuetudine malâ. Adsueti erant antediluviani luxuriæ: hinc Noachum Justitiæ præconem audire nolebant. Jeroboam peccare fecit Israel, *1. Reg. 12. v. 28.* Hinc ab idololatria per Prophetas se abduci non facilè passi sunt. Pharisæi antiquas traditiones jactabant, *Matth. 5. v. 21.* hinc Christi doctrinam ut novam respuebant. Pari modo comparatum est cum detestando Bacchanaliorum festo. Cœpit istud celebrari annis fermè bis mille ante Christi nativitatem, & nunc

per

per tot ſecula continuatum eſt. Hinc adeò inſedit conſuetudo iſthæc animis hominum, ut quidvis potiùs faciant, quàm Bacchanalia intermittant.

Quare cauſas audite, & motiva longè graviſſima, ab abominando more iſto dehortantia. *Cauſæ, cur Bacchanalia non ſint celebrãdæ*

I. Eſt Chriſti Aſſumtiò. *Aſſumſit Ieſus duodecim*, inquit Evangeliſta Lucas ab initio. Matthæus *c. 20. v. 7.* addit ſecretò, beſonders. Tria hic conſiderentur, 1. *Ipſa* aſſumtio, 2. *Vnde* hæc facta, & 3. *Ad quid* facta ſit. *1. Chriſti aſſumtio.*

1. Uti Chriſtus aſſumſit duodecim Apoſtolos, ſic quemvis Chriſtianum aſſumit ſuo modo. Baptiſmus quid eſt? *Aſſumtio*, quia per baptiſmum Chriſto inſerimur, *Gal. 4. v. 27.* regeneramur, *Tit. 3. v. 5.* & velut ſtipulatione interveniente in filios adoptamur, 1. *Pet. 3. v. 21.* Pœnitentia quid eſt? *Aſſumtio*, quia per pœnitentiam cum Deo copulamur, à quo nos peccata diviſerunt, *Eſa. 59. verſ. 2.* & ad lucem convertimur, ut accipiamus ſortem inter ſanctos, *Actor. 26. v. 18.* Hæc eſt copulatio illa myſtica, per quam Chriſtus fit maritus noſter, *Eſa. 54. v. 5.* nos ipſius ſponſa, *Oſe. 2. v. 19.* & uxor, *Ierem. 3. v. 1.* Ex his facilè intelligis, tui quid ſit officij. Ecce! *Aſſumtus es à Chriſto*: Num ergò aſſumtorem tuum deſeres, & cum mundo Bacchanalia celebrabis? Fidem in baptiſmo dediſti Deo, & abrenunciâſti Diabolo. Cur ergò fidei tuæ oblivíſceris, cur Satanæ, hoſti tuo, inſervis? Converſus es ad lucem per veram pœnitentiam: Cur retrò cedis, & ad opera tenebrarum te convertis? Sponſæ eſt, ſponſo; uxoris, marito; adoptati, patrono adhærere: Nos à Chriſto aſſumti ſumus in

ſponſam,

ſponſam, in uxorem, in filios: & ab ipſo per ἀπωτίαν hujus ſeculi recedemus? Judas aſſumtus quidem erat cum cæteris Apoſtolis; ſed quia reſiliit, Chriſtúmque prodidit, ejectus eſt, & æternùm periit. Chriſtum & nos prodimus; fidem perdimus, ſi gulæ deditі ſacroſanctum nomen ejus inter gentes blaſphemari facimus. Væ talibus, quia peribunt, nec aſſumentur quondam in cœlum; quùm fideles diſcipuli intrabunt!

Mundus deſerendus. 2. Chriſtus aſſumſit diſcipulos ſuos *è mundo*, & ſeparavit quaſi à filiis hujus ſeculi. Hoc enim eſt, quod Matthæus ait, aſſumſiſſe duodecim *ſecretò*, beſonders. Chriſti enim regnum non eſt de hoc mundo, *Iohan.* 18. *v.* 36. hinc diſcipulos elegit de mundo, *Iohan.* 15. *v.* 19. Per illam ergò abductionem Apoſtolorum ſolitariam, ut mundum relinquamus, admonemur. Ecce aſſumtus es è mundo & abductus ſecretò: Noli ergò diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, 1. *Iohan.* 2. *v.* 15. Quid verò eſt in mundo? Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ, *v.* 16. Hæc ſunt illa bona, quæ bacchantes ſectantur cum ſummo animarum dettimento. Tu autem memineris, te aſſumtum eſſe è mundo: Valeat ergò concupiſcentia, pereat voluptas. In iis nos eſſe oportet cum Chriſto, quæ ſunt patris noſtri, *Luc.* 2. *verſ.* 49. Joſephus ſolicitabatur ad adulterium, *Geneſ.* 40 ſed ſciebat, ſe Dei filium, & è mundo aſſumtum eſſe; hinc pientiſſimè reſpondit verſu 9. *Quomodo poſſum hoc tam magnum malum facere, & peccare in Deum meum?* Chariſſimi, mundus tanquam ſcortum publicum hoc tempore ad ſua nos Bacchanalia invitat;

Num

Num venietis, & obtemperabitis? Nolite, ô fratres mei. Christus vos assumsit, Christus è mundo in suam sponsam elegit. Renunciate igitur mundo & dicite: *Quomodo possum hoc tantum malum facere, & peccare in Deum meum?* Ecce! omnia mihi tradidit, me suũ esse voluit, nec quicquam est quod non sit in potestate mea. Deum ergò tam benignum & misericordem qui deseram, & ad iram commoveam? Romani uxorem in adulterio deprehensam domo cum omnibus reculis expellebant, his verbis: *Exi, & res tuas tibi habeto.* Charissimi, adulterium meditatur hic mundus; Nos, qui à Christo assumti sumus in sponsam, ad amorem suum solicitat. Sed ejiciamus hoc scortum è contubernio cordis nostri, si admissum sit: Omnes & voluptatum & deliciarum & scelerum sarcinulas colligamus, & projicientes dicamus: *Exi sceleste, & voluptatulas tuas tibi habeto.* Ego Christi sum, ego à te separatus sum: Ego Dei mei templum sum. *Exi* ergò, & alium tibi quæras hospitem.

3. Christus assumsit Apostolos, non ut stertèrent, vel hinc inde discurrerent, sed 1. *ut* essent comites itineris, 2. *ut* inservirent ipsi, 3. *&* futuram passionem spectarent, Christóq; patienti cōpaterentur. Idem assumtionis & adoptionis nostræ finis est, à quo turpiter deficiunt bacchantes. Christum comitari & sequi debemus, qui nobis exemplum dedit, *Ioh. 13. v. 15.* sed illi sequuntur larvatum Diabolum. Justitiæ serviendum erat: sed illi dum peccatum faciunt, peccati servi fiunt, *Iohan. 8. vers. 34.* Christi passionem hoc tempore mentis oculo intueri convenit: sed illi oculos vertunt

vertunt ad pocula & libidines. O rem nefandam & deplorandam! Ex comitibus & ſervis Chriſti fiunt comites & ſervi Diaboli: Qui Chriſto crucifixo compati debebant, Chriſtum per bacchationes de novo crucifigunt, *Hebr.* 6. *v.* 5. Paſſionalia celebranda ſunt, ſed commutantur in Bacchanalia. Tanget igitur ipſos væ divinum, quod dictum eſt iis, qui nihil patiuntur ſuper contritione Joſeph, *Amos* 6. *v.* 1. 6.

2. Chriſti Aſcenſio.

II. Chriſti Aſcenſio. *Ecce*, ait diſcipulis, *adſcendimus Hieroſolymam.* De duobus hîc monemur allegoricè. 1. *Vitam noſtram viam eſſe & peregrinationem.* Ut enim Chriſtus hodie cum Apoſtolis eſt in itinere: ſic quamdiu vivimus, viatores ſumus. Unde Jacobus dies vitæ ſuæ dies peregrinationis vocat, *Geneſ.* 47. *v.* 9. Quod verò viatorum eſt officium? Non hinc inde circumcurſitare, non exorbitare, ſed ducem ſequi, & progredi, non regredi.

Vita noſtra eſt peregrinatio.

Hoc ut facias, Bacchanalia neceſſe eſt intermittas. In plateis diſcurrere, non eſt cum Chriſto ire, ſed in devia præcipitem ferri. Uxorem Lothi tales imitantur, qui reſpiciendo ad Sodomam voluptatum, in ſtatuas irrationales mutantur. Quis prudens viator, quùm iter ſuum ſuſcipit, vino ſe ingurgitat, ut inebrietur: Ita enim nec viam dignoſcere, nec à latronibus tutus eſſe poſſet. Annón ergò admiranda eſt Chriſtianorum bacchantium ſtultitia? In via ſunt, nec tamen ebrietatem fugiunt. Annón hoc eſt ſponte deflectere, & latronibus ſpoliandum ſe ſiſtere? Nullum dubium eſt, infernales prædones his aſſociari, omnibúsq; bonis ſpiritualibus eos exuere. In hiſtoria Eccle-
ſiaſticâ

ſiaſticâ refertur, larvatam mulierem ſubitò à Satana obſeſſam eſſe. Interrogabatur ſpiritus, quî tantum facinus fuiſſet auſus? Reſpondebat ille: *Iuſtiſſimè feci, quia in meis eam inveni.* Hæc nimirum ſors, hoc præmium eſt eorum, qui non cum Chriſto & Apoſtolis manent in via pietatis & ſobrietatis regia: ſed ad voluptatum & ebrietatis devia declinant.

2. *Cœleſtia quærenda eſſe.* Ecce *aſcendimus*, ait Chriſtus. Iter Apoſtolorum aſcenſio erat, non deſcenſio. Sequamur *chariſſimi*, & ante omnia quæramus regnum Dei, *Matth. 6. v. 33.* quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt, monente Apoſtolo, *Coloſſ. 3. v. 2.* Sed quid Bacchantes faciunt? Deſcendunt cum Diabolo in infernum, non aſcendunt cum Chriſto Hieroſolymam. Currunt in viâ ſpacioſâ, quæ ducit ad perditionem, *Matth. 7. v. 13.* Qui enim ebrietati & comeſſationibus dediti ſunt, regnum Dei non hæreditabunt, *Gal. 5. v. 21.* Facilior quidem eſt deſcenſus, & arridet carni, ſed ſequetur æternum exitium: Aſcenſus cum Chriſto eſt difficilis, & cum paſſione conjunctus: ſed ſequetur olim ſempiternum gaudium: O beatos illos, qui ſic ambulant, ut cum Chriſto dicere queant: *Ecce aſcendimus!* Lothum monebant Angeli, Geneſ. 19. v. 17. *In monte ſalvum te fac.* Pari modo ad cœleſtes montes tendamus, & ſalvabitur anima noſtra. Rahab exploratoribus terræ Canaan hoc conſilium dabat, Joſ. 2. v. 16. *Ad montana conſcendite, ne occurrant vobis hoſtes.* Sic & nos ad cœli montana properemus, quia in vallibus hujus mundi adverſarios multos habemus. Aſcendendum eſt cum Chriſto, & petenda Hieroſoly-

Cœleſtia quærenda ſunt.

ro olyma, non quidem terrestris quæ vastata, sed cœlestis, quæ piis omnibus est præparata, *& Apocal.* 21. depicta. *Ascendamus hîc corde, ut olim sequamur corpore*, ait August. Serm. 175. de Temp. *Ibi* consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas. *Ibi* erit Sabbatum ex Sabbato, *Esa.* 66 v 29. ibi fulgebimus quasi splendor firmamenti, *Daniel* 12. v. 3. ibi mors, infernus, omnésque hostes nostri penitùs prosternentur, *Ose.* 13. v. 14. Tunc ululabunt bacchantes & obstupescent, quùm piorum beatitudinem videbunt, de quo legatur *cap.* 3. *Sapient.* v. 1. *& seqq.*

3. Christi passio.

III. Christi Passio. Si enim de filio hominis, h. e. de seipso Christus loquitur, v. 32. *Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur & occidetur*. Si neque salus animæ vestræ, neque infernales pœnæ vos deterrent â voluptatibus mundi, & consortio Bacchantium! avocet tamen vel sola longè gravissima Christi Passio. Quanta quanta hîc abyssus mysteriorum, & admirandi seges delitescit? Mendaces tradunt veritatem, fatui illudunt sapientiæ: rei flagellant innocentiam: miseri conspuunt gloriam, & mortui interficiunt vitam. *Ecce!* libertas captivorum traditur: gloria angelorum illuditur: Candor lucis æternæ conspuitur: Dominus omnium flagellatur. Vita omnium in ligno moritur. Traditur ut reus, illuditur ut fatuus: flagellatur ut maleficus: conspuitur ut vilissimus; interficitur ut prævaricator: ducitur & reducitur de judicio in judicium, de opprobrio in opprobrium, de supplicio in supplicium. Deus bone quid istud est? Dominum dominantium, & creatorem omnium ita præ-

ter meritum affligi & crucifigi! *O bone Iesu, quid tibi est? Nos debuimus, & tu solvis! Nos peccavimus, & tu luis!* exclamat alicubi Bernardus. O vos omnes, qui transitis, attendite & videte, si est dolor sicut dolor iste? *Thren. 1. v. 12.* Nos autem, nos in causa sumus, ut tanta passus fuerit Dei filius. Sic enim ipse ait, Esai. 43. v. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, *Esa. 53. v. 5.* Tanti constitit ipsi nostra justificatio: tàm caro redemti sumus precio, *1. Cor. 6. v. 20. cap. 7. v. 32.* Annón igitur execranda est hominum ingratitudo & malitia? Christus innocens pro nobis nocentibus passus est, & nos iterum beluinâ vita ipsum crucifigemus! Obstupescite cœli, & exhorrescite super hoc: Deus pro hominibus patitur: & homines passionem istam nil curant, sed heluantur, scortantur, bacchantur! O scelus & dedecus abominandum! Christus qui tantos dolores nostri causâ sustinuit, de novo traditur, venditur à bacchantibus, ob mundi voluptatulas. Illuditur per contemtum: conspuitur per blasphemias: flagellatur & occiditur, dum ipsius membra persecutionem patiuntur. Quis dabit oculis nostris fontes lacrymarum, ut tanta scelera deploremus? Urias, quia dux Joab præliabitur, domum ingredi, & deliciari nolebat, *2. Samuel. 11. vers. 11.* Dux Vitæ, Christus Jesus hoc tempore adversùs hostes nostros, non tantùm præliatur, sed pro nobis etiam patitur: & nos ingrediemur domos Bacchantium, & deliciabimur cum Judæis Christum occidentibus! Recor-

damini potiùs vulnerum, quæ ſcelera noſtra Chriſto inflixerunt. Propter te traditus: propter te illuſus: propter te occiſus eſt. Ah noli tantum precium annihilare: noli hoc meritum negligere. Chriſto patienti compatere, ut vivas: mundo ſua relinque, ne pereas. *Nemo enim poteſt gaudere cum mundo; & regnare cum Chriſto*, dicente Auguſtino. Sed proh dolor idem accidit, quod de Apoſtolis refertur, v. 24. *Ipſi horum nihil intellexerunt*. Sic multi oculos planè excæcatos habent: Non intelligunt, quæ ad pacem ipſorum faciunt, *Luc. 19. v. 42*. Quùm Chriſtus aſcendit Hieroſolymam ad patiendum, cæci plurimi ſedent ſecus viam. Larvis faciem obducunt, ut ipſos cæcos eſſe omnes agnoſcant. Vos autem qui nondum planè deſperati eſtis, accedite, & cum cæco ex fideli pectore clamate: *Ieſu, fili David miſerere noſtri: Ita* vobis aperientur oculi, quos larvis ſuis excæcavit Satanas: *Ita viſum* recipietis: *Ita* vos Chriſtus iterum aſſumet: *Ita* cœleſtem Hieroſolymam aſcendetis, ubi conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt, & fidelibus promiſit Deus. Ad quam exoptatam civitatem perducat nos Chriſtus Jeſus, propter nos traditus, illuſus & occiſus, cui ſit honor, & virtus, & gratiarum actio in æternum, Amen.



EVAN-

EVANGELIVM DOMINICA QUADRAGESIMAE, VEL INVOCAVIT,

Matth. 4. à v. 1. usque ad 12. Marc. 1. v. 12. Luc. 4. vers. 1.

De tentatione Christi in deserto.

V. 1. Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου.	Tunc Jeschua subductus est à Spiritu sanctitatis in desertum, ut tētaretur ab accusatore, i. e. *diabolo*.	Da ward Jesus vom Geist in die Wüstē geführt/ auff das er vom Teuffel versucht würde.
2. καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε,	Et jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea verò esuriit.	Vnd da er viertzig Tag vñ viertzig Nacht gefastet hatte/ hungert jhn.
3. καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων, εἶπεν, εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται.	Et accedens Tentator ille, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut isti lapides panes fiant.	Vnd der Versucher trat zu jhm/ vnd sprach: Bist du Gottes Sohn / so sprich / das diese Stein Brodt werden.
4. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε· γέγραπται, οὐκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽	At ille respondit, & ait: scriptum est; Non tantummodo pane vivit homo,	Vnd er antwortet/ vnd sprach: Es stehet geschrieben/ Der Mensch lebt nit vom Brodt allein / sondern vō ei-

ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.

ſed omni verbo quod procedit ex ore Dei.

nem jeglichẽ wort/ das durch dẽ mund Gottes gehet.

5. τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸν πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

Tunc tranſtulit eum Accuſator ille ſuper ſacroſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & ait illi:

Da fůhret jn der Teuffel mit ſich in die heilige Statt/ vnd ſtellet jhn auff die Ziñen des Tempels/ vnnd ſprach zu jhm:

6. καὶ λέγει αὐτῷ, εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, βάλε σεαυτὸν κάτω. γέγραπται γάρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

Si filius Dei es, deorſum te dede præcipitem. Scriptũ eſt enim, Angelis ſuis pręcipiet de te, ut manibus ſuis te ſublevent, ne offendas ad lapidem pedẽ tuum.

Biſt dů Gottes Sohn/ ſo laß dich hinab/ Deñ es ſtehet geſchrieben: Er wird ſeinen Engeln vber dir befehl thun/ vnd ſie werden dich auff den Hånden tragen/ auff das du deinen Fuß nicht an einen Stein ſtoſſeſt.

7. ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, πάλιν γέγραπται, οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου.

Ait illi Jeſchua, Rurſus ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Da ſprach Jeſus zu jm: Widerumb ſteht auch geſchrieben: Du ſolt GOtt deinen HERRN nicht verſuchen.

8. πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς

Iterum tranſtulit eum Accuſator in montem admodum ſublimem, eique oſtẽdit omnia

Widerumb fůhret jhn der Teuffel mit ſich auff einen ſehr hohen Berg/ vnd zeiget jhm alle

βασιλείας τοῦ κόσμου, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν.	regna mundi, & omnem eorum gloriam, Et ait illi:	Reich der Welt/ vnd jhre Herrligkeit / vnd er sprach zu jhm:
9. καὶ λέγει αὐτῷ, ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.	Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.	Das alles wil ich dir geben/ so du niderfellest/vnd mich anbetest.
10. τότε λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ. γέγραπται γάρ, κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.	Tum dixit ei Jeschua, Abi tibi inimice. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, illúmque ipsum solummodò coles.	Da sprach JEsus zu jhm : Heb dich weg von mir Satan / Denn es stehet geschrieben: Du solt anbetten Gott deinen HErren/vnd jhm allein dienen.
11. τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος καὶ ἰδοὺ ἄγγελοι προσῆλθον, καὶ διηκόνουν αὐτῷ.	Tunc omisit eum Accusator: & ecce angeli accesserunt, illíque ministrâvere.	Da verließ jhn der Teuffel / vnd sihe/da tratẽ die Engel zu jhm/vnd dieneten jhm.

Homilia.



ULTA sacræ paginæ duella, tam in mundo, quàm extra mundum gesta describunt. In cœlis decertat Draco cum Michaele Archangelo, *Apoc.12. vers. 7.* Eva cum serpente in Paradiso terrestri, *Genes. 3. v. 1.* Job cum Satana in medio Chaldeæ, *Iob. 1. vers. 9.* Judith cum Holoferne ante mœnia Bethuliæ, *Iudith 13. v. 8.* Aman cum Mardochæo in Perside, *Esth. 5. v. 7.*

Sed nullus fuit conflictus acrior, nullum certamen mirabilius, quàm cujus in hodierno Evangelio fit mentio.

Summa Evangelij. Cernas hîc duos peritissimos duces in aciem descendentes: cernas insultus varios validósque: Cernas exitum pugnæ præclarum & gloriosum. Nam ecce! Præliatur Satan, omnis mali fons, cum filio Dei omnis boni autore. Instituitur congressus triplex, & tentatur Christus ad diffidentiam, audaciam & superbiam. Prosternitur tandem Diabolus, & vincit DEI filius, cui militia cœlestis appropinquat, & fidele ministerium præstat.

Jucundum procul dubio spectaculum fuit, pusillum Davidem in campis Judææ cum Goliatho gigante pugnantem & triumphantem videre, 1. *Samuel.* 17.

Sed jucundius spectaculum est hodiè in desertis Palæstinæ, humilem Jesum adversus magnum principem tenebrarum, qui toti mundo jam à quinque annorum millibus exprobraverat, procedentem intueri, suúmque hostem fortiter prosternentem. Quò igitur certamen hoc est mirabilius, eò considerari debet diligentius.

Multa verò occurrunt meditatione digna. Contemplari possumus *ducem strenuum*, à quo Christus deductus est ad pugnam: *locum asperum*, in quo certatum fuit: *adversarium callidum*, qui Christum provocavit: *insultum validum*, quem Salvator sustinuit: *gloriosum triumphum*, quem post pugnam assecutus est. Hæc autem omnia in duas partes possunt dividi, quibus tota Evangelij historia absolvitur: *Prima* circumstantias;

Partes Evangelij.
Propositio.

vers.

verſ. 1. 2. *Secunda* ipſam tentationem & pugnam deſcribit, à verſ. 3. uſque ad finem. Nos tantùm *circumſtantias* videbimus; & quænam ex illis doctrinæ profluant, paucis aperiemus. *Spiritus ſanctus qui Chriſtum duxit in deſertum, ducat nos in omnem veritatem, ut ipſi grata, nobis ſalutaria dicamus*, Amen.

Ἐ'ΞΗΓΗΣΙΣ.

QUum Lex Judæis promulganda eſſet, Moſes à populo ſemotus ivit ad montem Sinai, & fuit ibi cum Domino jejunus per dies quadraginta. *Exod. 24. v. 18. & cap. 34. verſ 28.* Per Moſen Chriſtus eſt præfiguratus, qui quum voluntatem Patris eſſet annunciaturus, prius exivit in deſertum, ſemotus ab hominibus, ibique per 40. dies jejunavit, & tandem cum diabolo in pugnam deſcendit.

Hujus verò certaminis quinque exprimuntur circumſtantiæ in præſenti Evangelio 1. Tempus. 2. Imperator ſummus. 3. Locus. 4. Adverſarius. 5. Pugnæ modus generalis. De ſingulis ordine eſt dicendum. *Quinque circumſtãtiæ hujus hiſtoriæ.*

I. Tempus exprimitur primâ voculâ τότε, *Tunc Ieſus ductus eſt, &c.* Reſpicit Evangeliſta ad proximè præcedentem Baptiſmi hiſtoriam, & innuit, Chriſto tum fuiſſe pugnam ſubeundam, quum Baptiſmum ſuſcepiſſet, & miniſterii ſui partes ordiri voluiſſet. *1. Tempus.*

Notent hoc 1. *Chriſtiani quivis in genere.* Qũ per Baptiſmum regeneramur, & in filios Dei adoptamur, ſtatim pugnandum eſt. Quam enim ſortem Chriſtus caput Eccleſiæ, eandem corpus *Pugnandum eſt Chriſtianis omnibus.*

ipſum & membra ſingula experiuntur. Jobus hoc noverat, ideoque conditionem piorum conſiderans, *Militia*, inquit, *eſt vita hominis ſuper terram, cap. 7. v. 1.* Chriſtianus es, & Chriſto nomen dediſti? Mox producêris in arenam. Tunc certandum, tunc præliandum eſt. Tempus enim & *Tunc* iſtud, quod Baptiſmum converſionemque noſtram ſequitur, Tempus & *Tunc* eſt afflictionis, Tempus certaminis & tentationis. Moſes vix natus erat & *ecce!* in fiſcella ſcirpea expoſitus, in profluentem dejicitur, ut quocunque unda detulerit, eodem appellat, *Exod. 2. verſ. 3.* Ita quamprimùm renaſcimur, in hoſtium manus incidimus, & variis calamitatibus obnoxii ſumus. Vix egreſſus erat Iſrael ex captivitate Ægyptiaca; mox Pharao inſequitur, *Exod. 14. v. 6.* Ita quum in Baptiſmo egredimur è captivitate peccati, Pharao infernalis ſuis nos armis petere non deſiſtit.

Nunquam bella piis, nunquam diſcrimina deſunt,
Et quo cum certet mens pia ſemper habet.

Nemo meliorem ſibi ſortem imaginetur. Ipſe Salvator tentatus, ipſe Magiſter in deſertum ductus eſt. Si capiti bellum intulit Diabolus, num membris parcet? Si magiſtrum provocavit, num diſcipulos quieſcere permittet? Imò verò non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum, *Matth. 10. verſ. 24.* Quare parati eſtote ad pugnam, & induite armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, *Eph. 6. v. 11.* Iſraelitæ quum reverſi eſſent ex captivitate Babylonica, & reædificarent muros Jeruſalem, unâ manu faciebant opus, alterâ tenebant

bant gladium *Nehem.* 2. *v.* 17. Sic quemvis Christianum & officium suum facere, & ad pugnam paratum esse oportet.

2. Notent hoc *verbi ministri in specie.* Licet enim Satanas Christianis omnibus, maximè tamen verbi præconibus insidiatur. Quando igitur ministerium suum cum Christo incipiunt, tunc ictus Diaboli nunquam effugiunt. Sic tentavit Aaronem per idololatriam, *Exod.* 32. *v.* 2. Mosen per diffidentiam, *Num* 20. *v.* 12. Jeremiam per impatientiam, *cap.* 20. *v.* 4. Jonam per inobedientiam, *cap.* 1. *v.* 3. Videant ergò ne succumbant, sed hos insultus patienter sustineant. Cedet enim & hoc ipsis in bonum, quia vexatio dat intellectum, *Esa.* 28. *v.* 19. Et tria sunt, quæ Theologum perficiunt 1. *Oratio.* 2. *Meditatio.* 3 *Tentatio.* Simus ergò in precatione ardentes, in meditatione diligentes, in tentatione patientes. Non murmuremus, si ad exemplum Christi pugnare debemus. Magnorum enim munerum principia solent esse ardua: Deus verò suâ nobis præstô erit gratiâ.

Præcipuè ministris verbi.

2. Dux & Imperator.

II. Dux & Imperator summus. Qui Christum deduxit ad pugnã est Spiritus sanctus. Ita enim ait Matthæus noster: *Tunc Iesus ductus est ὑπὸ πνεύματος à Spiritu.* Lucas *cap.* 4. *vers.* 1. vocabulum *sancti* addit, ne de malo forsan Spiritu quis intelligat. Ductus verò iste non fuit raptus subitaneus, qualis de Elia legitur, 1. *Reg.* 18. *v.* 12. 2 *Reg* 2. *v.* 16. & de Ezechiele, *cap.* 3 *v* 12. *cap.* 11. *v.* 1. sed potius interior impulsus & instinctus S. Spiritus. Hinc verbum ἀνήχθη, *subductus* est, quo Matthæus utitur, Lucas explicat per ἤγετο *agebatur,*

tur, quod pro inſtinctu ſumitur, *Rom. 8. verſ. 14. Gal. 5. v. 18.* Marcus *cap.* 1. *v.* 12. ait: *Spiritus ἐκϐάλλει, expulit eum*, non ſanè per vim, ſed per internam juſſionem, non ſecus ac operarii dicuntur expelli in meſſem, *Matth. 9. v. 38 Luc. 10. verſ. 2.* Ex his ergò colligimus, Chriſtum non à Satana abreptum, nec caſu objectum fuiſſe tentationibus, ſed à Spiritu ſancto, non quidem per aëra ſublimem vectum, attamen impulſum fuiſſe, ut iret in deſertum ad pugnam cum Diabolo ſubeundam.

Fugienda temeritas. Obſervent hoc 1. *Temerarii*, ne ſpontè objiciant ſe periculis & tentationibus. Spiritum ducem habeat, qui victoriam reportare cogitat. Non provoces ipſe diabolum ex temeritate, ſed cùm à Spiritu ſancto duceris, tum milita confidenter. Qui enim amat periculum, peribit in illo, *Syr. 3. v 27.*

Et puſillanimitas. 2. *Puſillanimes.* Pugnandum tibi eſt? Ne timeas. Ducem habes inſuperabilem. Non deſeret te Spiritus ſanctus, à quo in arenam deductus es. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8. verſ. 31.* Si Dominus clypeus noſter, non timebimus multas myriades, *Pſalm. 3. v. 4 7.* Si à Deo educimur ad certamen, quis non certet maſculè, & dicat cum Pſalte: *Deficiat ſanè caro mea, & cor meum, Deus tamen petra cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, Pſalm. 73. verſ. 26. *Quis eſt iſte incircumciſus?* dicebat David de Goliatho, *1 Sam. 17. verſ. 26.* Ego venio in nomine Domini exercituum, *verſ. 45.* Ita qui ſunt hoſtes noſtri? quis eſt iſte cœlo dejectus Satanas? Nos venimus in nomine Domini: nos à Spiritu S. ad hanc palæſtrã ducti

ducti ſumus. Quid ergò faciet inimicus? Dux noſter adeſt, ipſe arma ſuggerit, ipſe ne vincamur, efficit. Quum Joſua pugnaret adverſus Amalec, Moſes tantùm extendebat manus ad Dominum, cujus auſpiciis pugna erat ſuſcepta, & protinùs vincebat Iſraël, *Exod.17. verſ.11.* Si & tibi certandum ſit, & videaris deficere, duntaxat manus eleva ad ducem tuum, invoca Spiritum ſanctum, à quo ductus es, & procul dubio vinces. Modò videas, ne deorſum cadant manus, uti de Moſe dicitur *verſ.12.* Sed inſtes precando; ut fugiat hoſtis, & palmam conſequaris.

III. Locus pugnæ vocatur ἔρημος vel deſertum. Quodnam verò & quale id ſit, non exprimitur. Chemnitius *part. 2. Harmo. cap. 19. pag.42.* intelligi putat deſertum magnum. 1. Quia reliqua deſerta per additionem circumſcribuntur, ut deſertum Judææ, Ziph, Maon: hoc autem abſolutè vocatur deſertum. 2. In cæteris fuerunt alicubi habitationes hominum: Hîc autem CHRISTUS cum feris fuiſſe dicitur, *Marc.1. verſ.13.* *3. Locus pugnæ.*

Locus autem iſte variis de rebus nos admonet. 1. *De Chriſti typo.* Legitur *Levit. 16. verſ. 21.* de hirco emiſſario, cui peccata populi imponebantur, & ſic in deſertum extrudebatur. Antitypus hirci Chriſtus eſt, agnus ille immaculatus, *Ioh. 1. verſ.29.* Quia ergò ad peccata tollenda venerat, mox ſub initium miniſterii expellitur in deſertum; ut hunc eſſe Meſſiam mundi, & agnum Dei, præfiguratum per hircum Leviticum, omnibus innoteſceret. *Hircus fuit typus Chriſti.*

2. *De noſtro ſtatu.* Mundus, in quo vivimus, quid

Mundus est deserto similis.

quid aliud quàm desertum est? Hîc vermes sunt; hîc feræ, hîc spongiæ & spinæ multiplices. Per *vermes* hinc inde serpentes hæreticos; per *feras sævientes* tyrannos, per *spinas pungentes* falsos fratres intelligimus. Hic exurgunt varii venti tentationum; tempestates persecutionum, procellæ concupiscentiarum. Hoc est illud desertum, in quod ex Paradiso conjecti sumus: in quo in latrones incidimus, & miserè spoliati sumus. Cur igitur desertum hoc tanti facitis? Cur mundo adhæretis, & mundum adeò diligitis? Viator in deserto morari non cogitat, sed celeriter transit, & in patriam tendit. Patria nostra cœlum, mundus desertum est. Sed eheu! plurimi desertum amant & patriam nîl curant. Nos autem quia mundus desertum est, deserendum esse cogitemus. Sua ergò sibi habeat: spinas voluptatum sibi retineat: Nos in deserto isto non hærebimus, sed ad cœlestem Jerusalem properabimus. Non hic habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus, *Hebr.* 13. *v.* 14. Erubescant ergò, qui desertum pluris faciunt, quàm patriam. Carcer & locus pugnæ est hic mundus, non hospitium, non palatium. Quis ergò tam demens esset, ut carcerem palatio anteferret.

Desertum Christi notat agendam esse pœnitentiam.

3. *De agenda pœnitentia.* Uti Christus deseruit conversationem hominum: sic nos deseramus pravum sodalitium. Est hoc salutare desertum pœnitentiæ, quum peccata seculi relinquimus, & ad DEUM nostrum accedimus. Israëlitæ per desertum venerunt in terram promissionis: sic & nos deseramus Ægyptum nequitiæ, intre-

mus desertum pœnitentiæ, ut perveniamus ad sedes cœlestis patriæ. In deserto Patres comederunt Manna, *Ioh. 6. v. 31.* Sic verum solatium accipimus in pœnitentia. Post Baptismum Christus statim desertum petiit: Sic nos à via peccatorum recedere, & pœnitentiam agere debemus. In deserto montis Thabor transfiguratûs est Christus, *Matth. 17.* Ita in pœnitentiæ deserto transfigurantur nostræ animæ. Uti Petrus ibi exclamabat, sic & nos idipsum repetere possumus: *Domine bonum est, nos hic esse*: Bonum est pœnitentiam agere. Israëlitæ fugiebant in desertum ob tyrannidem Pharaonis, *Exod. 13. v. 18.* Elias ob rabiem Jezabelis, *1. Reg. 10. v. 9.* Mulier Apocalyptica ob persecutionem Draconis, *Apoc. 12. v. 14.* Ita & nos fugiamus in desertum pœnitentiæ à *Pharaone*, id est, mundo, qui detinere nos cogitat: à *Iezabele*, id est, Carne, quæ dominium affectat: à *Dracone*, id est, Diabolo, qui seducere nos tentat. *Fugite de medio Babylonis*, clamat Bernardus, *Epist. 10. Fugite, salvate animas vestras. Periclitatur enim castitas in delitiis: humilitas in divitiis: pietas in negotio: veritas in multiloquio: charitas in hoc nequam seculo.*

4. *De solitudine fugienda.* Uti malorum conversationem deserere: sic bonis nos adjungere debemus. Non enim est bonum hominem esse solum, *Genes. 2. v. 18.* Cùm Christus est in deserto, accedit tentator: sic qui versantur in solitudine, non immunes sunt à tentatione. Væ soli, quia quum ceciderit, non habebit sublevantem se, *Eccles. 4. v. 10.* Quum Eva sola esset, seducta est à Satana, *Gen. 3. v. 1.* Lothus solus facilè inebriebatur,

Solitudo fugienda.

Genes. 19. v. 32. David quum solus deambularet, amore illicito accensus est, 2 *Sam.* 11. *vers.* 2 Proinde si tentationes declinare volumus, conversatione sanctorum non negligamus, sed potius solitudinem, & quæ inde oritur, Melancholiam fugiamus. Verè enim dictum ab antiquis. *Caput Melancholicum est Diaboli balneum.*

4. Adversarius. IV. Adversarius appellatur *tum* διάβολος seu calumniator, vers. 1. *tum* πειράζων, vel tentator, vers. 3. Utroque nomine denotatur ingenium studiúmque hostis infernalis. *Calumniator* est, quia Deum & homines mendaciis calumniisque onerat, unde & Pater mendacii vocatur, *Ioh.* 8. *vers.* 44. *Tentator est*, quia homines seducere, & ad peccatum incitare tentat. Hoc enim unicè quærit, ut à Deo nos abducat, & in æternum exitium præcipitet. Ipse perambulat terram, *Iob.* 1. *vers.* 7. instar venatoris, *Psalm.* 91. *vers.* 3. quærens quem devoret, 1. *Petr.* 5. *vers.* 8. quia modicum tempus habet, *Apoc.* 12. *vers.* 12. *Hic* est veteranus ille bellator, astutiâ & audaciâ valentissimus. *Hic* in cœlis olim seditionem excitavit, & magnam Angelorum partem secum traxit. *Hic* primos mundi incolas in Paradiso expugnavit. *Hic* est immanis ille tortor, qui tàm immitis in sanctissimum Jobum extitit, *cap.* 2. *vers.* 4. *Hic* est ille nequam, qui Sodomitas in securitatem, Ægyptum in contumaciam, Judæos in idololatriam præcipites egit. *Hic* est ille animarum sicarius, qui Cain ad fratricidium stimulavit, *Genes.* 4. *vers.* 8. qui septem Saræ maritos interemit, *Tob.* 6. *vers.* 14. qui tot innoxios infantes per sævitiam Herodis interfecit, *Matth.* 2. *vers.* 16. qui plus quàm quinis

nis annorum millibus totius mundi imperium tenuit: quo nullus eſt confidentior, cum quo ſi Poëtarum Herculem comparemus, Therſites videbitur; Si gigantem, pygmæus: ſi rudentem, funiculus. Res ſtupenda eſt, hunc hoſtem eò impudentiæ progredi, ut cum Chriſto Jeſu, Meſſiâ mundi, ipſo Dei filio certare præſumat! Quis non percellatur, quum hodie in Deum arma ſumentem videt Satanam? Si tantum audet in Deum, ah! quid non audebit in nos creaturas miſeras? *Ecce!* hic hoſtis adverſus creatorem, & Angelos in cœlo, homines in Paradiſo, Davidem in regno, Judam in Apoſtolatu, imò & adverſus Chriſtum Jeſum in deſerto inſurgit. Si hæc fiunt in ligno viridi, quid fiet in arido? *Luc. 23. v. 31.* Vigilemus igitur, ne tentator iſte nos vel otioſos, vel peccatis deditos offendat. Ita enim victoriam nanciſci & in gehennam facilè incautos præcipitare poterit.

V. Pugnæ modus exprimitur verbo πειρασθῆναι, *ut tentaretur.* Fuit ergò pugna non corporalis, ſed ſpiritualis: non de regno terreſtri, ſed cœleſti. Nam tentatio ictus infligit non corpori, ſed animæ. Nihil enim aliud eſt, quàm ſeductio & vehemens ad peccandum inſtigatio. Ubi tamen notandum, quòd tentatio ſit duplex: Altera *divina* quæ fit ad bonum, *Iacob. 1. v. 13.* Altera *diabolica* quæ fit ad malum. *Illa* conſiſtit in probatione, per infortunium: hæc in ſeductione ad peccatum. De *illa* alibi, de *hac* in præſenti agendum eſt. Ubi obſervetur, quòd *tentatio Diabolica* ſit gemina; *Quædam* occulta eſt, quæ intus per ſuggeſtionem peragitur: *quædam* manife-

5. Pugnæ modus.

Tentationis ſpecies.

sta, quæ foris fit per assumtam visibilem figuram, sicuti decepit Evam, *Gen. 3. vers.* 1. Utroq; modo Christus à Satana tentatus est. Lucas enim haud obscurè innuit, tentationem cœpisse statim postquam Christus venisset in desertum. Procul dubio ergò acutis ipsum telis petiit, *partim* ad ἀποστασίαν intus solicitando, *partim* varia objecta terrifica in deserto proponendo. Quia verò non successit hic modus, post absolutos 40 dies rem aliter aggreditur, ideoque in visibili formâ accedit, & loqui incipit tentator. Verba enim Evangelistarum satis apertè indicant, hanc tentationem fuisse factam modo visibili & externo, non tantùm invisibili & interno. Hîc autem utile est considerare caussas, cur Deus filium suum à Satana tam horribiliter tentari permiserit? Nostrì caussâ id factum est: In nostrum id omne cedit commodum. (1) Tentatus est per omnia, ut sciremus, talem nos habere Pontificem, qui nostris infirmitatibus possit compati. *Hebr. 4. vers.* 15. (2) Ut ostenderet, se venisse ad conterendum caput serpentis, & destruenda opera Diaboli. Quare hæc tentatio passionis fuit parasceve. (3) Ut suo exemplo doceret, quomodo & quibus armis fides sese opponere debeat tentationibus Diaboli. (4) Ut ministros suos informaret, præcipuam ministerii partem esse, pugnare cum Diabolo, & adversus squamas ejus. (5) Ut in tentationibus haberemus spem victoriæ in Christo Jesu, qui dux noster & Triumphator factus est contra fortem illum armatum. Nam *Victoria Domini est Triumphus servi*, dicente Ambrosio. (6) Ut se verum hominem esse comprobaret. (7) Ut nos ad tentatio-

Causa, cur Christus fuerit tentatus.

Arma ostẽdit triplicia
1 Temperantiam.
2. Orationem.
3. Scripturam.

nes præparet. Quod enim Christo capiti contigit, idem membris usu venit. Sæpè dicendum est de Christianis: *Ducti sunt à Spiritu, ut tentarentur.* Quare, *mi fili*, accedens ad servitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, *Syr.2.v.1.* Non fuit, non est, non erit aliter: accedet tentator, & vires tuas experietur. Sed animum sume. Non nocebit. Magna tentationis utilitas. Quare patienter illam sustine, nec tentatori manus porrige.

Nam tentatio (1) *Mentem informat.* Non tentatus enim qualia scit? *Syr.34. v. 11.* Sola vexatio dat intellectum, *Esa.28.v.19.* Gentes reliquit Dominus in terrâ Canaan, ut erudiret Judæos, & discerent certare cum hostibus, *Iud 3.v 1.* Verè dictum ab antiquis: παθήματα, μαθήματα. Ubi multum crucis, ibi multum lucis. (2) *Cor humiliat.* Quum enim virium nostrarum infirmitatem sentimus, sub potenti manu Dei nos facilè humiliamus, *1. Petr 5. v. 6.* Rectè Gregorius: *Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant.* Ab hostibus qui premuntur, superbiæ omnis obliviscuntur. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ,* ait Apostolus, *2.Cor.12 v.7.*

Tentationis commoda.

3. *Animam conservat.* Cruda tegula si mittatur in aquam, statim dissolvitur, cocta non item: sic non resiliunt facilè, qui per ignem tentationis excocti sunt. Vas argenteum variis tunsionibus non consumitur, sed consummatur: Sic Christiana virtus per tentationes perficitur.

4. *A voluptatibus avocat.* Fieri enim nequit, ut quē tentatio vexat, deliciari queat. Purgatur ergò

animus à ſordibus voluptatum, ut rectè dixerit Auguſtinus: *Quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio viro juſto.*

Tandem 5. *Coronat.* Beatus enim vir qui ſuffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, *Iac. 1. v. 12.* Quocirca pugnemus confidenter, ictus Satanæ excipiamus patienter; ita tandem cum Chriſto vincemus potenter, & accipiemus coronam juſtitiæ in cœlo cum beatis omnibus, ubi nullum erit deſertum, nullus accedet tentator, nulla orietur pugna, ſed continua erit tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix æternitas: *quam beatitudinem nobis univerſis conferat Chriſtus Ieſus, per omnia tentatus, cui ſit honor & victoria in ſempiternum,* Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA REMINISCERE.

Matth. 15. à verſ. 21. uſque ad 29. Marc. 7. verſ. 24.

De Muliere Cananæâ.

v. 21. Καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος.

Et egreſſus eſt illinc Jeſchua, venitque in fines Tzour & Tzaidon.

Vnd JEſus gieng auß von dannen / vnd entweich in die Gegendt Tyro vnnd Sidon.

22. Καὶ ἰδοὺ γυνὴ τις χαναναία ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελθοῦσα, ἐκραύγα-

Et ecce mulier Cananithes à finibus illis exiit, clamans ac dicẽs, Mi-

Vnd ſihe / ein Cananeiſch Weib gieng auß derſelbigen Gränitze / vnd

σεν ἀυτῷ λέγουσα, ἐλέησόν μου κύριε, υἱὲ Δαβίδ, ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται.	ſerere ſuper me Domine mi, fili David, filia mea malè vexatur à dæmonio.	ſchrey jhm nach/ vnd ſprach: Ach HErꝛ/ du Sohn David / erbarm dich mein/ Meine Tochter wird vom Teuffel vbel geplaget.
23. ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη ἀυτῇ λόγον. καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ ἀυτοῦ, ἠρώτων ἀυτὸν, λέγοντες, ἀπόλυσον ἀυτὴν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν.	Ipſe verò ne verbum quidem reſpōdit. Et acceſſerunt diſcipuli ejus rogantes eū & dicentes, Dimitte eam, quæ clamat poſt nos.	Vnd er antwortet jhr kein Wort. Da traten zu jhm ſeine Jůnger/ batē jhn/ vnd ſprachen: Laß ſie doch von dir/ denn ſie ſchreyet vns nach.
24. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ισραήλ.	Ipſe verò reſpondit & ait illis, Non ſum miſſus niſi ad oves quæ aberrârunt à domo Iſrael.	Er antwortet aber/ vnnd ſprach: Ich bin nicht geſandt / denn nur zu den verlornen Schaffen/ von dē Hauſe Iſrael.
25. ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει ἀυτῷ, λέγουσα, κύριε βοήθει μοι.	Illa autem veniens adoravit eum, dicens, Domine mi, adjuva me.	Sie kam aber/ vnd fiel fůr jhm nider / vnnd ſprach: HErꝛ hilff mir.
26. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.	Dixit ei Jeſchua, Non decorum eſt accipere panem liberorum, & objicere canibus.	Aber er antwortet/ vnd ſprach: Es iſt nicht fein/ dz mā dē Kindern jhr Brod neme/ vnd werffe es fůr die Hunde.

27. ἡ δὲ εἶπε, ναὶ κύριε. καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.

Illa verò dixit, Etiã Domine mi: q̃n imò canes edũt de micis quę cadũt à mẽſis dominorũ ſuorum & vivunt.

Sie ſprach: Ja HErr / Aber doch eſſen die Hündlein von den Broſamẽ die von jhrer Herrẽ Tiſche fallen.

28. τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ, ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις· γεννηθήτω σοι ὡς θέλεις. καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

Tunc dixit ei Jeſchua, O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ut vis: & ſanata eſt filia ejus ex illâ horâ.

Da antwortet Jeſus / vnd ſprach zu jhr: O Weib / dein Glaube iſt groß / dir geſchehe wie du wilt. Vnd jhre Tochter ward geſund zu derſelbigen ſtunde.

Homilia.

Tria Chriſtianorum requiſita.



RES ſunt Chriſtianorum ſive actiones, ſive affectiones perpetuæ, & ſemper connexæ: 1. *Afflictio.* 2. *Oratio* 3 *Gratiarum actio.* Quem enim Deus diligit, hunc caſtigat, & filium quem recipit, flagellat, *Heb 12 v.6.* Caſtigatio autẽ excitat orationem, *Eſa.26 v.16.* quam quum Deus exaudit, ſequi debet gratiarũ actio. Tria hæc junctim tanguntur, Pſal. 50. v. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Tribulatio à Deo immiſſa præcedit, quam ex noſtra parte ſequatur invocatio. Hæc nubes penetrat & exauditur; pro quo beneficio grati ſimus, & Deum celebremus. Sic igitur Chriſtiani officium unico huic aphoriſmo includi poteſt: *Sit in cruce patiens, in precando ardens, in celebrando diligens,*

diligens, quod Germani sic efferunt: Ein Christ muß gedultig leiden / andächtig beten / fleissig danck sagen.

Regulæ hujus & Christianæ πράξεως exemplum suppeditat hodiernum Evangelium. Mulier in illo nobis spectanda proponitur, & quidem ortu Ethnica, natione Cananæa, genere Syrophœnissa, *Marc. 7. v. 26.* Hæc 1 Domi affligitur, videns triste spectaculum obsessæ filiæ, quo ad Christum ire compellitur. 2. Precando instat, nec priùs cedit, quàm Christum vicerit, & auxilium adepta sit. 3. Quo impetrato, gratias procul dubio devotas egit, & fideli pectore Christo inposterum adhæsit. *Summa Evangelij.*

Illustre hoc exemplum est, quod non intueri tantùm, sed imitari debemus. Ut Eva, mulier prima, nobis præbuit exemplum peccati: sic mulier Cananæa nobis sit exemplum remedii. Hæc procuravit salutem filiæ: ita nos procuremus salutem animæ. Ut igitur mulierem hanc penitiùs consideremus, & ab illa πρᾶξιν Christianam addiscamus, de tribus præcipuè dicturi sumus.

1. De *usu afflictionis*, quæ Cananæam expulit. *Propositio.*
2. De *modo precationis*, quâ Cananæa vicit.
3. De *sacrificio laudis*, quod Cananæa obtulit.

Christus Jesus nos adjuvet, micisq; misericordiæ suæ clementer pascat, Amen.

I.

De Usu afflictionis.

SACRA Evangelii historia tres præclaras mulieres in theatrum Ecclesiæ producit. (1) *Hæmorrhousam*, Matth. 9. vers. 20. (2) *Cananæam* *Tres mulieres in N. Test. celebres.*

nostram, Matth. 15. v. 21. (3) *Magdalenam*, Luc. 7. v. 37. Tres hæ, trium virtutum Theologicarum ideæ sunt. Hæmorrhousa *fidei*: Cananæa *spei*: Magdalena *Charitatis*. *Illa* se sanatum iri credidit, si vel fimbriam Christi tangeret: *Ista* speravit, licet aliquoties repulsa fuerit: *Hæc* multùm dilexit, quia multa ipsi peccata remissa sunt. Quamvis autem in Cananæa nostra spes cumprimis excellens emicuerit, non tamen cæteris virtutibus destituta fuit: imò omnium exemplar & idea existit. Nam *spem* animosam ostendit in afflictione, *fidem* immotam in precatione, *charitatem* minimè fucatam in gratiarum actione. De singulis porrò quædam in medium afferemus.

Cananea afflictio duplex. 1. Interna.

Quod afflictionem Cananææ attinet, duplex illa fuit. 1. *Interna & spiritualis*, quia erat γυνὴ ἑλληνὶς, hoc est, mulier Græca, vel gentilis, *Marc. 7. v. 26.* Omnes enim Ethnici vocabantur Græci; unde frequens est apud Paulum oppositio Græcorum & Judæorum, ut *Rom. 1. vers. 16. cap. 2. v. 9. 10. cap. 3. v. 9. cap. 10. v. 12. 1. Cor. 1. v. 24. Gal. 8. v. 28.*

Cœpit verò hæc distinctio tempore Monarchiæ Græcæ, ubi Judæi, omnes populos indigitârunt Græcorum nomine. Matthæus noster appellat mulierem χαναναίαν *vers. 22.* innuens, fuisse illam ex maledictis reliquiis gentium Cananæarum, quas Deus delere noluit, ut Israëlitæ haberent hostes, quibus exercerentur, *Iud. 2. v. 3.* Marcus insuper *Syrophœnissam* nominat, ideoq; non fuit natione Græca, sed religione. Syrophœnicia enim propriè dicitur illa pars Phænicíæ, quæ Tyro & Sidoni contermina, conjungitur

Syriæ potiori. Ob quod confinium incolæ voce compositâ *Syrophœnices* dicti sunt. Ex his patet, mulierem illam non ex Abrahæ semine, sed maledictâ stirpe Chami prognatam fuisse, adeoque abalienatam à conversatione Israelis: & vixisse sine Deo, sine Christo, ut de gentilibus scribit Apostolus, *Ephes. 2. vers. 12.* Magna hæc fuit miseria, quæ animam occupavit, & à sorte filiorum Dei exclusit.

2. *Externa & corporalis*, quam non quidem ipsa experta est, sed vidit in filia. Hæc enim à Marco dicitur habuisse πνεῦμα ἀκάθαρτον, spiritum immundum, *cap.7. v.25.* Mater ipsa afflictionem suam ita exprimit: *Filia mea* κακῶς δαιμονίζεται, *malè vexatur* vel tota obsidetur *à dæmonio*, Matth. 15. v. 22. Maxima hæc est calamitas, filiolam teneram videre obsessam ab impuro Spiritu, omnibus membris fœdissimè abutente. Procul dubio miris miserísque modis illam circumagitavit, nunc insolitos clamores edidit, nunc linguam ex faucibus procul ejecit, nunc collum contorsit, nunc oculos extra caput protrusit, nunc totum corpus convolvit, & instar pilæ circumrotavit, O *quàm* miserandum fuit hoc spectaculum! Quoties optavisse putatis matrem, ne unquam nata esset filia, vel ut dudum è vivis excessisset? Quis hîc non miretur rabiem Diabolicam, & concessionem divinam? Hominem ad imaginem Dei conditum, tenellam filiolam, fortè adhuc innocentem, in conspectu matris ita torqueri & agitari! Num hoc est hominem diligere? Num hæ sunt deliciæ, quas sibi apud filios hominum esse profitetur Sapientia? *Proverb. 8. v. 31.* State paulisper,

2. *Externa*

Auditores. Non irati, ſed benevoli Dei hoc eſt indicium. Duris remediis utitur, ſi mitioribus homines in viam redire nolint. Magnum fateor malum eſt, quod Cananæa patitur: ſed majus eſt cõmodum, quod inde ſequitur. Vixerat illa hactenus ſecura, & nihil ſolicita de Chriſto vel animæ ſuæ ſalute. *Ecce verò!* Nunc expellitur, & per crucem ad Chriſtum fugere volens nolens cogitur. Hoc eſt illud *compelle intrare*, de quo *Lucæ 14. v. 23.* Hic ille ſalutaris uſus eſt adflictionis, quam non ex odio, ſed fine bono immittit Dominus. *Vt* enim æſtivus imber viatori moleſtus eſt, terram tamen reficit; *Vt* virga diſcipulo vapulanti diſplicet, eum tamen corrigit: Ita crux nobis quidem ingrata, ſed in ſe ſaluberrima eſt. Non rec nſebimus omnes Crucis Chriſtianæ uſus, ſed eos tantùm quos Cananæa ſuo exemplo exhibet.

Vſus Crucis.

1. Seculi deſertio.

Primus eſt *Seculi deſertio.* Ecce enim! Mulier Cananæa à finibus illis, nempe Tyri & Sidonis egreditur. Fuit hic egreſſus non tantùm corporalis, ſed etiam myſticus. Nam egreſſa ſimul eſt à converſatione malorum hominum: egreſſa eſt à deliciis huius ſeculi, nec tantùm ab ipſis, ſed etiam à *finibus*, hoc eſt, ab occaſione & cauſſa ſcelerum. Inſignis hic uſus eſt afflictionis, quòd per eam egrdiamur è voluptatum regno, & cunctis illarum finibus. Fieri enim nequit, ut quem manus Domini premit, deliciari poſſit. Qui domi videt filiam obſeſſam, voluptati non dabit operam. Sagittæ Dei acutæ ſunt: quùm infiguntur, pungunt, & deſideria mundana frangunt. Sic David à libidine cum Bathſeba egreſſus eſt propter infirmitatem filij, *2. Samuel. 12. verſ. 16.* Pueri amaritudine

titudine quadam à lacte matris separantur: sic fideles per absynthium crucis à temporali voluptate avocantur. Deus nobis iter facit asperum, ne dum delectamur in via, obliviscamur eorum, quæ sunt in patria. Ut artifex metallum purgat à scoriis per ignem: Sic Deus animum à voluptatibus, per crucem, de quo ipse loquitur Esa. 48. v. 10. *Excoquam te quasi argentum, & electum te faciam in furno afflictionis.*

Secundus est, *ad Christum adductio.* Cananæa nostra, statim ut audivit de Christo, ad ipsum properat, *Marc 7. v 25.* Hactenus illum non quæsivit, sed domesticum malum iam quærere & properare facit. Est igitur Crux veluti pædagogus ad Christum. Hinc ferè omnes, qui ipsum quæsiverunt, per afflictiones eò adacti sunt, uti constat exemplo leprosi, *Matth. 8. v. 2.* paralytici. *Matth. 9. v. 2.* patris Lunatici, *Matth. 17. v. 14.* Jairi, *Marc. 5. v. 22.* Surdi & Muti, *Matth 7. vers. 32.* Bartimæi, *Marc. 10. v. 46.* Acolasti, *Luc. 15. v. 17.* Reguli, *Ioh. 4. v. 46.* Unde *Chrysostomus* ait, Hom. 10. in Matth. *Deus tribulationes irruere permittit, ut ad ipsum frequentiùs confugiamus.* Et *Bernhardus.* Serm. 48. in Cantic. *Multi quum sentiunt pœnam, corrigunt culpā.* Aquæ diluvij quò magis affluebāt, eò magis arcam in sublime efferebant: sic tribulationum aquæ animum sursum impellunt, Deoque appropinquare faciunt. Nam manus Jehovæ instar magnetis est, quùm corda hominum sunt ferrea, tangit illa severiùs, adeoque per crucem attrahit. *2. Ad Christum adductio.*

Tertius est *Humilitatis declaratio.* Postquam Cananæa venit ad Christum, mox procidit coram *3. Humilitatis declaratio.*

ram

ram ipſo, *Marc.7. v.25.* Nunquam ita ſe humiliâſſet, niſi filiam impurus ſpiritus vexâſſet.

Nullum cruce efficacius eſt ἀλεξιφάρμακον adverſus ſuperbiam. Induratus Pharao durante plagâ ſic mollitus fuit, ut dimiſſionem populo promiſerit. Antiochus homo arrogantiſſimus morbo acerrimo ſic humiliabatur, ut diceret: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire,* 2. Maccab. 9. v. 12. Agnovit hoc Propheta David, ideoque pro afflictione gratias agit, Pſ. 119. v. 71. *Bonum eſt mihi Domine, quòd humiliâſti me, ut diſcerem juſtificationes tuas.*

4. Precum excitatio. Quartus eſt *precum excitatio.* Cananæa quùm Chriſtum vidiſſet, ἐκραύγασε, *clamavit.* Hactenus quieta ſiluit, jam preſſa os aperit, & magnâ voce exclamat. Ita nimirum crux excitat mutos, ut clamare incipiant, & cœlum pulſent. *Domine* in anguſtia requiſiverunt te: clamant anxiè, quùm caſtigas eos, *Eſa. 26. v. 16.* Quùm periclitarentur Apoſtoli, mox clamant, *Domine ſalva nos, perimus,* Matth. 8. v. 26. Hinc veteres: *Crux optimus orandi Magiſter.* Et viciſſim: *Vbi non eſt crux & tentatio, ibi non eſt vera oratio.*

Wo nicht iſt Creutz vnd Schmertzen/
Da geht kein Gebett von Hertzen.

5. Patientiæ probatio. Quintus deniq; eſt *Patientiæ probatio.* Adſueta erat Cananæa malis: hinc patienter fert repulſam. Non ſtatim frangitur, ſed perdurat, & contra ſpem in ſpem credit. Hoc eſt quod Apoſtolus ait, tribulationem operari patientiam, quam ſequitur ſpes, quæ non confundit, *Rom. 5. v. 3.* Non eſt arbor ſolida, niſi in quam frequens ventus incurſat; ſic delicati ſunt, qui uſu malorum non

exer-

exercentur. Lateres per ignem obdurescunt, ut ad ædificia apti fiant, & nullâ aquâ dissolvi queât: sic pij ex tribulationibus tantum animi robur concipiunt, ut nullis malorum fluctibus absorbeantur, sed ad ædificium spirituale maximè idonei reddantur. Hinc exercuit Deus patientiam *Adami* per Cainum, *Noachi* per diluvium, *Lothi* per conflagrationem Sodomæ, *Abrahami* per immolationem filij, *Iobi* per ulcera, *Ezechiæ* per morbum, *Iohannis* per carcerem, *Stephani* per lapides, *Petri* per crucem, *Pauli* per gladium. Duremus igitur, & quod Deus imponit, patienter feramus. Nam gratiæ signum est, non iræ. In nostrum commodum cedit, quia bonis omnia in bonum, *Rom. 8. v. 28.* Unde plangis quod pateris? *Medicina est, non pœna,* inquit alicubi *Augustinus.* Quid melius est, quàm è seculo egredi, & Christo associari? Crucis hæc sunt commoda. Quæ virtus humilitate præstantior? A cruce hæc gignitur. Quid utilius, quàm devotè precari, & fortitudine indui? Crucis hæc effecta sunt. Crucem igitur suscipe, ut illa consequâre.

II.

De Precationis modo.

Vidimus primam Christiani πρᾶξιν, quæ in cruce patienter ferenda consistit. Succedit altera, quæ monstrat remedium, per quod liberatio vel certè mitigatio crucis impetratur. Nullum hoc est aliud, quàm *clamor ad Deum & precatio.* Intuemini Cananæam nostram. Filia malè vexabatur, ipsa hoc nomine angebatur. Quod consilij cepit in tantis malis? *Ad Christum confugit, &*

clama-

Precatio est optimũ in malis remediũ.

clamavit. Hæc omnium pressorum medicina; hoc illud salutare refugium est. Turris fortissima, nomen Domini: Ad illam currite, & exaltabimini, *Proverb. 18. vers. 10.* Sanator noster Deus est, *Exod. 15. vers. 26.* Ipse est propugnaculum in die tribulationis, *Nahum. 1. v. 7.* Illum igitur invocate, & vos eruet, *Psalm. 50 v. 15.* Cum Mose manus extollite, & vincetis, *Exod. 17. v. 11.* Exemplo præivit Abraham, *Genes. 17. v. 18.* Loth, *Gen. 19. v. 18.* Rachel, *c. 30. v. 22.* Israelitæ, *Exod. 2. & 3.* Moses, *Exod. 33.* Samson *Iud. 15 v. 18.* Anna, *1. Sam. 1. v. 26.* Samuel, *1. Sam. 12. 18.* David, *2 Sam. 15. v. 30.* Elias, *1. Reg. 18.* Elisæus, *2 Reg. 4. v. 32.* Ezechias, *Esa. 37. v. 21.* Manasses, *2 Paral. 33. v. 2.* aliiq; innumeri, qui remedium mali quæsiverunt in precatione. Non autem quævis accepta est Deo, ideoq; nec omnis exauditur. *Oratio sine devotione coram Deo est mugitus boum,* inquit Isidorus. Quare artem precandi verúmque modum nos ante omnia tenere oportet. Nec procul abeundum est: Magistram habemus mulierem Cananæam, quæ suis precibus vincit invincibilem, nec desistit, priusquam optatum responsum audiat: *Fiat tibi, sicut vis.* Ut ergò nobis etiam fiat, sicut volumus, magistram hanc imitemur, cujus exemplum quinque nobis veræ precationis requisita suppeditat, quæ ordine recensebimus.

Quinque requisita veræ precationis. Nam orandum est. 1. Sapienter.

I. *Orandum est sapienter.* Miserere mei, *clamat Cananæa,* Domine, fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. *Breve verbum, sed magnum pelagus confessionis,* ait Basilius. Verè sapiens fuit hæc precatio, quippe ad verum objectum directa. Neque enim apud Magos auxilium quærit, nec de-

mortuos

mortuos sanctos invocat, sed solum Christum, eúmq; totum, ut Dominum, ratione divinitatis, & Davidis filium, ratione humanitatis. Erubescant hîc tum Pontificij, tum Calviniani.

1. *Pontificij* sanctos adeunt, sed Cananæa nostra ad Christum rectâ pergit. Scriptum enim est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Deut. 6. v. 13. cap. 10. v. 10. Nullis opus est ambagibus. Mitem habemus Dominum, & facilem ad audiendum. Nullis precum delatoribus indiget: Ipse invocari vult & audiet. Neque juvat Pontificios exemplum discipulorum, pro Cananæa intercedentium Maxima enim est disparitas. Vivi pro vivis intercedere possunt. & debent. Nam *pro se orare necessitas; pro aliis orare, Charitas est*, juxta Chrysostomum. Sed Pontificij ad mortuos, qui nos ignorant, *Esa* 63. v. 16. confugiunt. Et ab his non tantùm intercessionem, sed potius Opem postulant, precésque suas in meritis ipsorum fundunt, de quibus altum est in Apostolorum intercessione silentium.

2. *Calviniani* naturas in cultu precum divellunt, & Christum quoad humanitatem, invocare nolunt. Redarguit ipsos Cananæa, quæ Christum ut Dominum & Davidis filium, adeoque ut Deum & hominem, in natura utraque adorat. Si factum hoc in statu exinanitionis, quantò magis fieri debet in statu Exaltationis? Nunc enim datum est illi nomen super omne nomen, *Phil. 2. v. 9. seqq.* hinc omnes Creaturæ agnum adorant, *Apocal. 5 vers. 13* quod prædictum, *Psal. 72. v. 9. 11 & Dan 7. v. 14.*

II. Orandum est humiliter. Ad Christi pedes pro- *2. Humiliter.*

cidit

cidit Cananæa, nec suam sanctitatem jactat, sed infirmitatem agnoscit, ideoq; ad misericordiam Christi appellat. Imitemur *Charissimi*, quia Deus respicit orationem humilium, *Psalm. 102. v. 18.* Mansuetorum & humilium semper tibi placuit deprecatio, ait Judith, *cap. 9. v. 16* Quùm oramus, Deum alloquimur, summam & infinitam majestatem. Quis igitur se non humiliaret coram tanto Domino, & dicat cum Abrahamo: *Ausus sum loqui Domine, quùm sim pulvis & cinis? Ne indigneris*, ex Gen. 18. v. 27. & 30. *Tibi Domine sit justitia, nobis autem confusio faciei.* Dan. 9. vers. 7. Luciferum superbum Deus cœlo expulsit: & preces superbi in cœlũ recipiat? Clamat ipse apud Esaiam cap. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, *1. Petr. 5. vers. 6.*

3. Ardenter.

III. *Orandum est ardenter.* Devota erat in precatione Cananæa, exponebat suam calamitatem, & ex toto pectore clamabat, *Filia mea malè vexatur.* O Jesu Christe, si unquam matrem in angustiis positam vidisti: Ecce, eam hîc ante pedes tuos prostratam! Filia est mihi, in qua omnis spes mea posita, quam dæmones miserè torquẽt. Tu dæmonibus imperare potes: Impera ergò & miserere. Indigna sum fateor, sed Reminiscere miserationum tuarum. Reminiscere incarnationis tuæ. Annón venisti, ut destrueres opera Diaboli? Destrue ergò, & filiam meam libera. Dictum esse audio: *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te.* Ecce Domine, jam jam est dies tribulationis:

tionis: Exaudi & eripe. Promiſſio circumfertur: *Semen mulieris conteret caput ſerpentis.* Ah Domine, ſerpens iſte involavit meam filiam. Tuus hoſtis eſt; dum nos petit, te petit. Contere ergò, & expelle: Niſi tu feceris, actum eſt, perimus. *Hæc fuit* ardentiſſima Cananææ precatio, exemplum devotionis ſuggerens. Deo diſplicet oratio, quæ eſt absque affectu. *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi mutum eſt cor tuum?* inquit Auguſtinus. Teipſum non audis, & Deus te exaudiat? Multiloquium improbat Chriſtus, quia eſt absque attentione, *Matth. 6. verſ. 6.* Ut quinque digitos & manum inter orandum complicamus, ſic inprimis quinque ſenſus coerceamus, ne divagentur. Fieri hoc poteſt, ſi magnitudinem calamitatis tuæ cogites. Nos omnes, non ſolam Cananææ filiam miſerè vexat Diabolus. Vexat nos in *Eccleſia* hæreſibus: in *Politia* ſeditionibus: in *Oeconomia* damnis & infortuniis. Agitat Petrum ut abneget Chriſtum, *Luc. 22. verſ. 31.* Davidem ut numeret populum, *1. Paral. 21. v. 1.* filios Jacobi, ut vendant fratrem Joſephum, *Gen. 37. v. 27.* Agitat homines ſeptem vitiis capitalibus, unde ſeptem præcipuè legimus, malè à dæmonio vexatos. Saul per Spiritum invidiæ, *1. Sam. 16.* Lunaticus per ſpumantem Spiritum ſuperbiæ, *Matth. 17.* Gedarenus, in quo erat legio per ſpiritum iracundiæ, *Matth. 8.* Mulier curva, per ſpiritum avaritiæ, *Luc. 13.* Mutus, ſurdus & cœcus, per ſpiritum acediæ, *Luc. 11.* Homo in Synagoga, per ſpiritum gulæ, *Luc. 5.* Viri Saræ, per ſpiritum luxuriæ, *Tob. 6.* Tanta igitur Satanæ quùm ſit rabies, in precatione debemus eſſe ferventiores. Alias

non cedet hostis, sed ridebit: Non audiet Deus, sed indignabitur.

4. Fideliter. IV. *Orandum est fideliter.* Et hæc proprietas emicat ex precibus Cananææ. Credit enim Christum 1. posse auxilium ferre, quia vocat *Dominum* 2. & velle, quia nominat *Davidis filium*, hoc est, Messiam, qui in mundum venerit, ut suppetias ferret generi humano. Utrumq; tam firmiter credit, ut Christus ipse in hæc verba erumpat: *O mulier, magna est fides tua!* Nos sequamur, & in precibus nostris nil quicquam dubitemus. Anima precum est fiducia. Tolle hanc, & erit cadaver fœtidum. Postules ergò in fide, nihil hæsitans, aliâs nihil accipies, *Iac.* 1. *v.* 6. 7. Omnia quæcunq; orantes petitis, credite, & accipietis, *Marc.* 11. *v.* 24. Si non id quod postulamus, tamen aliquid excellentius. *Aut dabit id quod petimus, aut aliquid utilius,* inquit Bernardus. Semper exaudit Deus, vel secundum voluntatem nostram, ut lætemur: vel secundum voluntatem suam, ut ad vitam æternam conservemur,

5. Perseveranter. Tandem V. *Orandum est perseveranter.* Multum enim valet assidua justi deprecatio; *Iac* 5. *v* 16. Vidua, quia instabat, injustum etiam judicem cómovebat. *Luc* 18 *v.* 5. Quare indesinenter est orandum, juxta Apostoli monitum, *Ephes.* 6 *v.* 18. *Gal.* 4. *v* 2. Semper durat bellum; semper ergò prætendatur orationis scutum. Imitemur Jacobum, qui Dei filium dimittere nolebat, nisi priùs benediçeret, *Gen* 32. *v.* 26. Non enim contemnit Deus quærentem, sed exercet petentem, ut loquitur *Augustinus* Hoc artificio excellit Cananæa nostra, Satis duriter excipitur, non tamen frangitur.

tur. Christus tacet, sed illa clamat? Intercedunt Apostoli: Christus auxilium denegat. Redit repulsa mulier, sed durissimum responsum audit. Non tamen illa cedit, sed inversione admirandâ utens, vincit tandem, & victoriam reportat. Atque hîc tractari potest locus de *triplici* tentatione divina. 1. *Moræ & silentij*. 2. *Particularitatis*. 3. *Indignitatis*, quas omnes quomodo debeamus superare, exemplo suo docet Cananæa.

PARS III.

De Sacrificio laudis.

POst pugnam triumphus sequitur. Pugnavit hactenus nostra Syrophœnissa, jā triumphat. Jam audit encomium: *Magna est fides tua*: & impetrat auxilium: γένοιτο, *fiat tibi sicut vis.* O exoptatum nuncium! O triumphum æternâ memoriâ dignum! Mulier vincit Deum: mulier triumphat, ut quod fieri vult, fiat. Nequit diutiùs resistere Christus: Manus victas dat & annuit: *Fiat tibi sicut vis.* Hæc nimirum precationis virtus est, ut quasi manu factâ Deum ambiat. *Ascendit oratio, & descendit miseratio*, inquit *Augustinus*. Mirari satis non possumus, quòd ad mulieris instantiam respondeat CHRISTUS: *Fiat tibi sicut vis.* *Orationis effectus.* O fratres charissimi, precationis scutum magni faciamus. Quis dubitabit de auxilio divino? Instemus precando, & audiemus vocem suavissimā: *Fiat sicut vis.* Uti Joseph ad gemitus fratris se diu cohibere non potuit *Gen.* 45. *v* 1. Ita cœlestis Joseph prorumpet. *Ego sum Jesus frater vester, Nolite timere.* Oratio maris rubri sinum aperuit, *Exod.* 14.

Oratio terram dehiſcere fecit, *Num. 16.* Oratio calorem ignis compreſſit, *Dan. 3.* Oratio Solem procedere vetuit, *Ioſ. 10.* Quid plura: *Orationis vis naturam ſuperat,* ait Chryſoſtomus ſuper Epheſ. Serm. 13. Imò Naturæ Dominum, quem ſiſtit, uti navem remora piſciculus, de quo vide Ariſtot. *lib. 2. de Hiſt. Anim. cap. 14.*

Noſtrum verò officium eſt, ut impetrato auxilio gratias agamus. Nullum enim dubium eſt, Cananæam, ut in precando, ſic & celebrando fuiſſe devotam. Rex Sodomorum, quàm gratus erat erga Abrahamum? *Geneſ. 14. v. 21.* Majora à Deo accepimus beneficia. Laudate igitur ipſum, quia bonus eſt, & pſallite nomini ejus, quoniam ſuave eſt, *Pſalm. 135. v. 3.* Eſt illa gratiarum actio duplex, 1. *Oralis.* 2. *Realis*, quæ conſiſtit in verâ pœnitentiâ, & aliorum converſatione, de qua *Pſal. 51. v. 14. ſeqq.*

Duplex gratiarum actio.

Nos hîc concludimus, *Chriſtum Ieſum rogantes ex animo,* ut nos efficiat in cruce *patientes*, in precibus *ferventes*, in laudibus *diligentes*, quò audiamus iſtud elogium, & optatiſſimum reſponſum: *Magna eſt fide veſtra, fiat ut vultis.* Ita petimus, γένοιτο, γένοιτο, Amen.



EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA OCULI,

Luc. 11. à v. 14. usque ad 29. Matth. 12. v. 22. Marc. 3. vers. 22.

De muti dæmonij ejectione.

V. 14. ΚΑὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. ἐγένετο δὲ τοῦ δαιμονίου ἐξελθόντος, ἐλάλησεν ὁ κωφός. καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι.

QUúmque ejecisset dæmonium, quod erat mutum, factum est postquam exiisset dæmonium illud, ut loqueretur mutus ille: & mirati sunt cœtus.

VNd er trieb einen Teuffel auß/ der war stum̃/ vnd es geschach/ da der Teuffel außfuhr/ da redet der Stumme. Vnnd das Volck verwunderte sich.

15. τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπεν, ἐν βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.

Quidam verò ex iis dixerũt, In Beelzeboub principe dæmoniorum ejicit iste dæmonia.

Etliche aber vnter jnen sprachen: Er treibt die Teuffel auß durch Beelzebub / den Obersten der Teuffel.

16. Ἕτεροι δὲ πειράζοντες, σημεῖον παρ' αὐτοῦ ἐζήτουν ἐξ οὐρανοῦ.

Alij verò quùm tentarent eum, signum è cœlo petebant ab eo.

Die andern aber versuchten jhn/ vñ begerten ein Zeichen von jhm vom Himmel.

17. Αὐτὸς δὲ εἰδὼς τὰ αὐτῶν διανοήματα, εἶπεν αὐτοῖς. πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν

Jeschua verò qui sciebat cogitationes eorũ, dixit eis, Omne regnum divisum adversus se-

Er aber vernam jhre gedancken/ vñ sprach zu jnen: Ein jeglich Reich/ so es mit jhm selbst vn-

διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει.

metipsum, vastabitur: & domus quæ in seipsam divisa est, cadet.

eins wird / dz wird wüste / vnnd ein Hauß fället vber das ander.

18. Εἰ δὲ καὶ ὁ Σατανᾶς ἐφ᾽ ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σαθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ὅτι λέγετε, ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλειν μετὰ δαιμόνια.

Quòd si Satanas in seipsum divisus est, quomodo subsistet regnum ejus? nam dicitis per Beelzeboub ejicere me dæmonia.

Ist denn der Satanas auch mit jm selbest vneins / wie will sein Reich bestehen? Dieweil jhr sagt / Ich treibe die Teuffel auß durch Beelzebub.

19. Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο κριταὶ ὑμῶν αὐτοὶ ἔσονται.

Quòd si ego per Beelzeboub ejicio dæmonia, filij vestri per quem ejiciunt? Propterea ipsi erunt vobis judices.

So aber ich die Teuffel durch Beelzebub außtreibe / durch wen treiben sie ewere Kinder auß? Darumb werden sie ewere Richter seyn.

20. Εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, pervenit ad vos regnum Dei.

So ich aber durch Gottes Finger die Teuffel außtreibe / so komet je das Reich Gottes zu euch.

21 Ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

Quùm strenuus quispiam armatus custodit atrium suum, in pace est possessio ejus.

Wenn ein starcker gewapneter seinen Pallast bewahret / so bleibet das seine mit frieden.

22. Ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν

Sin autem venerit aliquis fortior

Wenn aber ein stärcker vber jhn

νικ

νικήσῃ ἀυτὸν, τὴν πανοπλίαν ἀυτοῦ ἄιρει, ἐφ᾽ ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα ἀυτοῦ διαδίδωσιν.

eo, cúmq; vicerit, univerſam ejus armaturam aufert, qua ipſe confidebat & ſpolia ejus dividit.

kommet/ vnd vberwindet jn/ ſo nimmet er jhm ſeinen Harniſch/ darauff er ſich verließ/ vnd theilet den Raub auß.

23. Ὁ μὴ ὢν μετ᾽ ἐμοῦ, κατ᾽ ἐμοῦ ἐστι. καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ᾽ ἐμοῦ, σκορπίζει.

Qui non eſt mecum, cõtra me eſt; quique non colligit mecum, ſpargit ſpargendo.

Wer nicht mit mir iſt/ der iſt wider mich / vnd wer nicht mit mir ſamlet/ der zerſtrewet.

24. Ὅταν τὸ ἀκαθαρτὸν πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι᾽ ἀνύδρων τόπων ζητοῦν ἀνάπαυσιν. καὶ μὴ εὑρίσκον, λέγει, ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον.

Spiritus impurus quum exierit ab homine, profectus perluſtrat per loca aquis carétia, ut quærat ſibi requiem, quúmque non inveniat, ait, Revertar domum meam unde ſum egreſſus.

Weñ der vnſaubere Geiſt von dem Menſchen außfehret / ſo durchwandert er dürre Stätte/ ſuchet ruhe/ vnd findet jr nicht. So ſpricht er: Ich will wider vmbkehren/ in mein Hauß/ dar auß ich gegangen bin.

25. καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον.

Si veniat autem, invenit eam ſcopatam & paratam.

Vnnd wenn er kommet / ſo findet ers mit Beſemen gekehret vnnd geſchmücket.

26. τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα, πονηρότερα

Tunc profectus aſſumit ſeptem ſpiritus alios ſeipſo nequiores: & ingre-

Denn gehet er hin/ vnd nim̃et ſieben Geiſter zu ſich/ die ärger ſind / deñ

ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων.

diuntur, ac degunt illic, fitq; finis hominis illius longè deterior ejus principio.

er ſelbſt/ vnd wenn ſie hinein kommen wohnen ſie da/ vnd wird hernach mit demſelbigen Menſchen årger/ denn vorhin.

27. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπεν αὐτῷ, Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας.

Quúmq; hic loqueretur, attollit mulier quædã vocem ſuam è turba, & dixit ei, Beatus uterus, qui te portavit, & ubera quæ lactaverunt te.

Vnnd es begab ſich/ da er ſolches redet/ erhub ein Weib im Volck jhre Stimme/ vnnd ſprach zu jhm: Selig iſt der Leib/ der dich getragen hat/ vnd die Brüſte/ die du geſogen haſt.

28. Αὐτὸς δὲ εἶπε, μενοῦνγε μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν.

Dixit ei ipſe, Beati illi qui audiunt ſermonem DEI & cuſtodiunt eum.

Er aber ſprach: Ja ſelig ſeind/ die das Wort GOTtes hören vnnd bewahren.

Homilia.

Admonitio petita à nomine hujus Dominicæ.



Odiernæ Dominicæ titulus, ut cauti & circumſpecti ſimus admonet. Ideò enim nominatur *Dominica Oculi*, quò attollamus oculos, & nobis rectè proſpiciamus. Nomen deſumtum eſt, ex *Pſal. 25.* cujus verſum 15. olim canebat Eccleſia: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Imitamini Pſaltem, & levate oculos, quia *Dominicam Oculi* cele-

celebramus. Ad utrumq; latus respicite, sinistram & dexteram considerate. Nam *ecce !* *à sinistris* occurrit periculum, *à dextris* auxilium. *Inde* oritur tristitia, *hinc* lætitia. *Ibi* oculos demittimus, *hîc* attollimus. *Ibi* est pugna, *hîc* victoria.

In castris sumus, *Auditores*, dum in mundo sumus, Militia est vita hominis super terram, *Iob.7. vers.1* Mundus ipse nos decipit, caro inficit, Satan interficit. Sed confortamini! Ad dexteram levate oculos ; *Christus Iesus* adest , qui venit, ut opera diaboli destruat, 1. *Iohan. 3. vers. 8.* Sancti Angeli adsunt, qui præliantur pro nobis, & ministrant, *Ebr. 1. vers. ult.* Si DEus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8. vers. 31.* Sæviat Satan, perambulet terram, rugiatque ut Leo ; nihil timebimus, Dominum habemus, qui illum potest ejicere & compescere. Tenebræ pelluntur oriente luce. Lux nostra Christus est, *Iohan 1. v. 9.* Dæmones sunt Spiritus tenebrarum , *Luc. 22. v. 53. Ephes. 6. vers. 12.* Ut ergò lux tenebras, sic Christus dæmones expellit.

Exemplum nobis iterum præbet præsens Evangelium. Fuit sine dubio jucundum spectaculum, intueri pusillum pastorem David, ut in leonem irruerit, & oviculam ereptã liberârit, *1. Sam. 17. v. 34.* Sed jucundius spectaculum in hoc Evangelio nobis visendum proponitur. Christus cœlestis pastor, invadit leonem infernalem, quia miseram oviculam, hominem rationalem obsederat. Hostis tamen non cedit penitus, sed victori insultat. Nam Pharisæi à Satana instigati, blasphemabant, Christum operâ Beelzebub, non digito Dei, ejecisse dæmonium. Ita *duplex* in hoc *Summa Evangelij.*

Duplex obsessio. Evangelio considerãda proponitur *obsessio* Altera *Corporalis*, in surdo & muto; altera *spiritualis*, in Pharisæis blasphemantibus. Utraq; tyrannidem Satanæ luculenter innuit, de quo paulò fusius verba faciemus.

Multa quidem occurrunt explicanda. 1. Ipsum miraculum. 2. Diversa judicia spectatorum. 3. Christi responsum Apologeticum. 4. Reversio Diabolorum. 5. Vox mulieris cujusdam, & Christi Epiphonema. Sed cùm omnia tractari nequeant, de duobus præcipuè agemus.

Propositio. 1. De *Tyrannide Dæmonis*, in summam miseriam homines conjicientis.

2. De *bonitate Salvatoris*, dæmonem expellentis, ubi simul videbimus, quibus mediis etiamnum ejiciatur Satanas.

Faxit dux noster, & conculcator serpentis, *ut attentè auscultemus, & ad verũ usum omnia transferamus*, Amen.

PARS I.

De Tyrannide Diaboli.

Magna Satanæ potentia. MAgnam esse potentiam Satanæ, vix quisque dubitabit. *Fortis* & *armatus* nominatur in hodierno Evangelio. *Adversus principes & potestates, & rectores tenebrarum nobis est colluctatio*, ait Apostolus, *Eph. 6. v. 12.* Potest Satan omnia, quæ naturam non excedunt. Potest torquere corpora; testis est Jobus, *cap 2. vers. 7.* Potest mentem turbare; expertus est Saul, *1. Sam. 16 v. 14.* Potest sensus fascinare; testimonium dabit Nabuchodonosor, *Dan. 4. v. 30.* Potest deniq;

niq; homines interimere; exemplo sunt septem illi Saræ mariti, *Tob.6.v 14.*

Uti verò potentia, sic malitia ejus magna est. *Et malitia*
Nam videte dæmoniacum, hominem sanè infelicissimum. Quàm miris & miseris illum modis Diabolus corrupit? Ademit *linguam*, unde vocatur dæmonium mutum; ademit *visum*, uti refers Matthæus: ademit *auditum*, ut innuit vocabulum κωφὸς, quod & mutum & surdũ significat, *Marc.7.v.32.& cap 9.v.25.Matth.11.v.5.Luc.7.v.22.* Videte insuper Judæos. Horũ corda occupavit Satanas per ἀπιστίαν & invidiam: ora verò per calumniam, & blasphemiam. *O rabiem verè Diabolicam!* quâ sensus impediuntur, quâ membra hominis occupantur, & ad scelera quævis servire coguntur.

Holofernes in obsidione Bethuliæ omnes aquarum canales obstruxit, aut aliò derivavit, ut obsessi aquæ penuriâ laborarent, *Iudith.7.v.6.11.* Eodem modo agit infernalis ille Holofernes, in animarum obsidione. Sensus, qui instar meatuum sunt, occupat, ut nullus in animas commeatus sacer queat induci. Ut enim corporaliter obsedit cœcum & mutum, sic intrinsecus obsidet animas peccatorum.

Utque videamus, in quantas miserias servos suos conjiciat, exemplum dæmoniaci & Judæorum paulò pleniùs considerabimus. Nam eadem operatur etiamnum in peccatoribus, quæ de illis refert hodiernum Evangelium. *Diabolus*

I. Reddit homines cœcos: quia privat necessario usu oculi, ne videant, quæ videre debent. Triplex est oculus 1. *Corporis.* 2. *Rationis.* *1. Reddit homines cœcos. Triplex oculus.*

3. Fidei

3. *Fidei.* Ut oculos corporis occlusit extrinsecus in cœco: sic oculos mentis & fidei claudit intrinsecus in peccatoribus. Habent enim intellectum tenebris obscuratum, *Ephes. 4. vers. 18.* imò nihil aliud sunt quàm tenebræ, *Ephes. 5. vers. 8.* ideoque non percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei, 1. *Corinth. 2. vers. 14.* Nec tantùm fidei lumine carent: ipsa ratio excæcatur, ut bonum malum, & malum bonum dicant, *Esa. 5. vers. 20.* Uti noctuæ Solem splendentem aspicere nequeunt: sic ipsi in luce clarissima cæcutiunt. Uti corvus primùm eruit oculum homini suspenso: sic diabolus oculis privat eos, quos suspendere & in gehennam præcipitare cogitat.

De aquilâ refertur, quòd cum cervo pugnatura, alarum impetu plurimum arenæ in plumis colligat, & pòst inter cervi cornua delabens, oculos ejus arenâ oppleat, ut ille discurrens ex altissimis rupibus sese dejiciat, ubi postmodùm ab aquila semper prædæ superimminente devoratur. Diabolus, *Auditores*, hujusmodi aquila est. Quum animas nostras invadere parat, in arenaria hujus mundi descendit, cordisq; oculum pulvere voluptatum & vanitatum opplet, ut homo, quò feratur, nesciat, & in interitum, horrendumque præcipitium pronus labatur. Magna hæc est miseria, quæ omnem pietatis cursum impedit. Ut enim cœcus quocunque iverit, facilè offendit: Si oculo mentis fideiq; orbati, contra Deum & proximum feruntur.

Tres hastæ diaboli. Habet verò Satanas tres inprimis hastas, quibus oculos solet effodere, sicuti Joabus cor Absolonis tribus lanceis transfixit, *2. Sam. 18. v. 14.*

Prima

Prima est *Voluptas*: secunda est *Avaritia*: tertia est *Superbia*, quæ omnia tanguntur, 1. *Ioh*. 2. *v*.16. Quoties ergò ad peccatum tale instigaris, toties oculum mentis & fidei hastâ diabolicâ peti cogites. Facilè verò illam franges, si modò attollas oculos, & ubi sis, probè circumspicias. *Sursum* videas, ut cœleste gaudium ad benè agendum tè commoveat. *Deorsum* videas, ut inferni supplicium te à peccatis absterreat. *Retrorsum* videas, ut peccata præterita plangas. *Antrorsum* videas, ut mala imminentia effugias. *Sinistram* videas, ubi multi hostes occurrunt. *Dextram* videas, ubi Deus adstat, & te pœnitentem expectat. Hoc igitur modo si oculos semper elevatos habeamus, visum retinebimus, nec excæcare nos poterit Diabolus.

II. Reddit homines surdos. Erat hæc secunda calamitas, in qua hærebat dæmoniacus. Aures habebat, sed audire non poterat: quia Diabolus ipsum obsederat. Idem malum operatur in anima pecccatorum. Quos enim occupat, illi audientes non audiunt, *Esa*. 6. *vers*. 9. aures incircumcisas habent, & audire non possunt, *Ierem*. 6. *vers*. 10. Quia ex Deo non sunt, hinc verbum Dei non magni faciunt, nec libenter audiunt, *Iohan*. 8. *vers*. 47. Aures patulas habent ad vanitatem, sed surdas ad pietatem. Sunt instar statuarum & idolorum, de quibus Psal. 135. v. 17. *Aures habent, & non audiunt*. Deus illos beneficiis afficit, non tamen amant: clementer vocat, sed non curant: pœnas minatur, sed non timent. Magna hæc est astutia Satanæ, quâ viam ad salutem penitùs intercludit. Nam credendum est, si

2. Reddit homines surdos.

quis

quis ſalvari velit, *Marc.* 16. *verſ.* 16. Fides verò eſt ex auditu verbi, *Rom.* 10. *verſ.* 17. Quare aures obſtruit ante omnia, ne homines verbum attentè audiant, neve fidem concipiant, & per fidem ſalvi fiant.

Falſi Ammonitarum Prophetæ, civium ſuorum filios idolo immolaturi, tympana pulſare, aliosque ſtrepitus ciere ſoliti ſunt, ne parvulorum ploratus parentes ad miſerationem commoveret. O Peccatores! idem vobis uſuvenit, Quum animas veſtras per peccatum Diabolo offertis; Et ipſe & caro & mundus tympanis perſtrepunt, tubis & deliciis aures demulcent, ne querelas Dei audiatis, ne ſtimulos & ejulatus conſcientiæ percipiatis. Cavete vobis ab hoc ſtratagemate, ne dum Satanæ attenditis, planè obſurdeſcatis. Nili accolas, certis quibusdam locis, ob continuum ſtrepitum, quò fluvius ille montibus delabitur, omnes propemodum ſurdos eſſe, Coſmographi ſcribunt. Annon & vehemens iſtud mundi mare tanto impetu ruit, ut homines, qui non ad ripas, ſed in medio ejus commorantur, auditu ſalutari ſæpiſſimè priventur? Pythagoræi, orbes cœlorum jucundiſſimâ harmoniâ moveri ſtatuerunt, per vehementiores autem in mũdo ſtrepitus fieri, quò minùs iſthæc audiatur. Sic ſuaviſſimus eſt cœleſtis verbi concentus, ſed Satanas continuo voluptatum ſtrepitu homines ſurdos reddit, quò minus illum percipere poſſint.

An non vidiſtis, Auditores, quum apes alvearia ſua deſerunt, tinnitu ſtrepitúque ab agricolis ſiſti, & ad alvearia revocari? Eodem ſtratagemate Satan utitur. Videns nos velle mundi fa-

vos cavernasque deserere, & ad Deum evolare; mox gula, libidine, ambitione, aliisque ineptiis perstrepit, ut iter nostrum impediat, volantes sistat, & in alvearia sua retrahat. Id nunc circa finem seculi sæpissimè, proh dolor! experimur. Omnis penè mundus quasi obsurduit: plerique attendunt tinnienti Satanæ: nemo solicitus est de sua salute. Nihil auditur de extremo judicio, nihil de cœlesti gaudio. *O surditatem deplorandam!* Itáne homines tàm subitò surdos esse redditos, & omni facultate audiendi orbatos! Vos autem qui boni estis, qui vobis benè esse optatis, hoc stratagema Diaboli observate, ne strepitu voluptatum vos decipiat. Audite Deum vocantem, ne olim audire cogamini indignantem. Qui enim hîc Satanæ aures commodavit, olim cum eodem Judicium in die pantocritico horrendum audiet.

III. Reddit homines mutos. Verè dæmonium *mutum* est, ut in hodierno Evangelio vocatur. Mutum verò est non formaliter, & in sua natura, sed effectivè, quia homines facit obmutescere. Ut enim omnem loquelæ usum obsesso, sic salutarem usum adimit peccatoribus. Os quidem habent, sed non loquuntur, quæ decent, *Ps.* 135 *v* 16. Uti lupus gutturi maximè insidiatur: sic Diabolus. Loqui debemus, quæ ad gloriam Dei, quæ ad utilitatem proximi, quæ ad nostram salutem faciunt. Omnis enim ut actionis, sic locutionis objectum generale, *vel* Deus est, *vel* proximus, *vel* homo ipse qui loquitur. Sed in omnibus obmutescunt peccatores. *Muti sunt* in beneficiis Dei prædicandis: *muti* sunt in famâ pro-

3. Reddit homines mutos.

ximi

ximi defendenda: *muti* sunt in scelerum suorum concessione, in precatione & similibus. Uti lupus raptam ovem quamprimùm suffocat, ne balatu ejus excitatus Pastor adveniat: sic Satanas hominibus statim fauces occludit, ne Christus precibus piis solicitatus ad juvandum festinet. O infelix anima, quanto in periculo constituta es, si obmutueris! De vita ægri desperatur, quum loquelâ destituitur: Sic in summo periculo versatur anima, quæ in precando muta est. Loquimini ergò *Auditores*, nec linguam vestram, quâ divinitus ornati estis, Satanæ arbitrio permittite. Loquimini *accepta Deo*, ut laudetur in omnibus. Loquimini *fructuosa proximo*, ne supprimatur innocens. Loquimini *salutaria vobis*, ut peccata remittantur, & suppetiæ ferantur. Magna vos undique circumstant pericula. Aperite ora, preces effundite, ut Deus de cœlo respiciat, & vineam, quam dextra ipsius plantavit, inter nos conservet, *Psalm. 80. v. 25. 26.*

4. Reddit homines blasphemos.

IV. Reddit homines blasphemos. Exemplo sunt quidam ex Judæis. Quum enim Christus ejecisset dæmonium mutum, incipiunt calumniari & blasphemare: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Quis Beelzebub.

Fuit Beelzebub idolum Philistæorum, cujus fit mentio, *2. Reg. 1. vers. 2.* Plinius *lib. 29. Nat. hist. cap. 6.* Deum hunc *Myjodem* vocat, id est, Deum muscarum, dominum muscarum, vel muscas abigentem: quia componitur nomen ex בַּעַל *Baal*, i.e. princeps, & זְבוּב *Zebub*, id est, musca. *Nazianzenus* testis est, muscæ figuram illum habuisse. Fuit ergò nomen execrandi idoli apud Acaronitas, ita vocatum,

quòd

quòd crederetur pellere lethales ac perniciosissimas muscas, quæ incolas agri Acaronitici infestabant: vel quia Satan in forma muscæ magnæ ab incantatoribus adjuratus, dabat oracula de valetudine hominum: *Vel* quia propter multa accurrentium sacrificia, perpetua muscarum examina, quasi agnoscentia ipsum Deum, secum trahebat, notante *D. Gualtperio* part. 1. Sylloges pag. 103. Per istud igitur idoli principis nomen Judæi principem dæmoniorum intellexerunt, quia gentium dii sunt dæmonia, *Psalm. 96. v. 5.* Et dæmones rectè comparantur muscis, *tum* quia in aëre, ubi dominium habent, instar muscarum circumvolitant; *tum* quia ut muscæ omnia inficiunt & corrumpunt. זְבוּב enim non simpliciter muscam significat, sed venenatam, quò spectat istud Eccles. 10. v. 1. *Musca moriens, fætere facit unguentum pigmentarij.* Atque sic divinum ejectionis opus diaboli operâ factum esse calumniati sunt; quâ blasphemiâ vix ulla potest atrocior excogitari.

Hic autem est perpetuus Satanæ inhabitantis actus & effectus. Ipse est διάβολος seu calumniator. Quos ergo occupat, illorum lingua ad calumniandum abutitur. Licet enim planè obmutescant, quoad loquelas sacras, maximè tamen vocales sunt, quoad calumnias. Nemini parcunt, non Deo, multò minùs Dei ministris. Si patremfamiliâs Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus? *Matth. 10. v. 25.* Moses ab Ægyptiis habebatur pro Mago; Elias turbator Israël dicebatur, 1 *Reg. 18 v. 17.* Apostoli vocabantur περικαθάρματα τοῦ κόσμου purgamenta mundi,

Satan est Calumniator.

1. Cor. 4. verſ. 13. Proinde non miremur, ſi nobis idem obveniat. Calumnientur hæretici, vocando nos Flacianos, Ubiquitiſtas, Fideſolarios: Nil moramur, Satanas antiquum obtinet. Veritatem quum vincere nequit argumentis, certat maledictis. Fruantur hoc pabulo, quibus placuerit, nos à veritate agnita nullis vel minis, vel ſarcaſmis dimoveri patiemur.

Væ autem illis, qui linguam ſuam calumniando & blaſphemando proſtituunt! Ita produnt apertè, ſe mancipia eſſe diaboli, calumniatoris antiqui. Videant ipſi, ne malitiosè veritati reſiſtendo, in Spiritum S. delinquant, quæ blaſphemia nunquam remittitur, *Matth. 12. verſ. 32.* Veniet tempus, ubi de omni verbo otioſo reddenda erit ratio, *verſ. 36.* Deum immortalem! Si verbum otioſum punietur, quantoperè blaſphemia vindicabitur? Sitis igitur bona arbor, & fructū bonum facite, ne in ignem æternum olim cogamini abire. In quantas quæſo miſerias vos conjicit Satan: Et illi ſervietis? Quid viſu melius? ſed excæcat. Quid auditu præſtantius? ſurdos facit. Quid linguâ nobilius? Abutitur eâ, ut muti ſitis in bono, vocales in malo. Quoties ergò cor veſtrum occupare conatur hic hoſpes, expellite & cum Salvatore noſtro dicite, ex Matth. 4. verſ. 10.

Vade Satana: Ego Dominum Deum meum adorabo, & illi ſoli ſerviam.

PARS

PARS II.

De bonitate Salvatoris, & mediis ejectionis.

FOrtis quidem armatus est Satanas: sed longè fortior est Messias. Hic supervenit, & dæmonium expulit. Unde cæco visus; surdo auditus; muto loquela restituta fuit. Magna hæc Salvatoris nostri bonitas est, quam meritò prædicamus. *Christus vincit & fugat diabolum.*

Moyses in Ægyptum descendit, ut populum ex servitute liberaret, inque terram promissionis per mare rubrum deduceret. Ita Christus è cœlo in hujus mundi Ægyptum descendit, ut nos è jugo Satanæ eriperet, ereptosque per rubrum passionis mare in terram æternæ promissionis traduceret.

Lapillus à monte avulsus ingentem statuam, NebucadNezari ostensam, dejecit, *Daniel.2. v.45.* Christus hic preciosus lapis est, qui è cœlesti monte descendens, Satanam, velut infernalem statuam, fregit & superavit.

Verùm impudens est adversarius noster: Redit, si maximè semel expulsus sit. Quare non immeritò quæritur, *quibus armis semper pelli, & in fugam poßit conjici?* Nihil valent hic Exorcismi Papales: nihil aqua lustralis. Alia nobis media mõstrãtur in Evangelio, quorũ tria sunt præcipua. *Arma, quibus fugiatur Satanas.*

1. Est digiti divini potentia. *Digito Dei dejici dæmonia,* inquit Christus. Hic digitus est ipse Spiritus S. ut explicat Matthæus, *cap.12.v.28.* Hoc digito penitùs posterni potest Satanas. Datur verò nobis in Baptismo, datur per verbum, quod *1. Digiti divini potentia.*

efficacissimum est medium resistendi inimico, uti docemur Christi exemplo, *Matth. 4. v. 4. & seqq.*

2. Fraterna concordia. 2. Fraterna concordia. Hanc tacitè inculcat Christus, v. 13. *Omne regnum in se divisum, desolabitur.* Si Satanam fugare volumus, arma conjungamus, precibusq; mutuis eum petamus, uti monemur, *Eph. 4. v. 3.* Si verò invicem mordetis & comeditis, videte ne consumamini, *Gal. 4. vers. 15.*

3. Perpetua constantia. 3. Perpetua constantia. Commendat eam Christus v. 23. *Qui non est mecum, contra me est, &c.* Maneamus ergò in Christo, & nunquam vincemur à diabolo. Si maximè redeat, & cor nostrum pulset, non tamen aperiamus, ne novissima fiant pejora prioribus.

Sed alibi de his mediis dicetur fusiùs: Nos grates agimus Redemtori nostro, quòd opera inimici destruxerit, rogantes, ut redeuntem semper ejiciat ex corde nostro; quò videamus perspicuè, quæ vera sunt: audiamus attentè, quæ recta sunt: dicamus assiduè, quæ Deo & hominibus grata sunt, ad ipsius gloriam & nostram ædificationem, Amen.



EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA LÆTARE,

Ioh. 6. à v. 1. uſque ad 16. Matth. 14. verſ. 16. Marc. 6. v. 35. Luc. 9. v. 12.

De quinque millibus miraculosè ſaturatis.

v. 1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος.	Poſthæc profectus eſt Jeſchua trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.	Darnach fuhr JEſus weg vber das Meer/ an der Statt Tyberias/ in Galilea.
2. Καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολύς. ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων.	Et poſt eum abierunt cœtus multi; quoniam videbant ſigna quæ edebat in ægrotis.	Vnd es zog jhm viel Volcks nach/ darumb/ das ſie die Zeichen ſahen/ die er an den Krancke͂ thet.
3. ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.	Et aſcendit Jeſchua in montem, ibique ſedebat cũ diſcipulis ſuis.	Jeſus aber gieng hinauff auff einen Berg/ vnnd ſatzte ſich daſelbſt mit ſeinen Jüngern.
4. ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.	Propè autẽ erat feſtum Pezcho Jihoudæorum.	Es war aber nahe die Oſtern/ der Juden Feſt.
5. ἐπάρας ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται	Et ſuſtulit Jeſchua oculos ſuos, viditq; turbã multam venientem ad	Da hub JEſus ſeine Augen auff/ vnd ſihet/ das viel volcks zu jhm kom-

πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον, πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι.

se, & dixit Philippo, Unde ememus panem ut isti edant.

met/vnd spricht zu Philippo: Wo kauffen wir Brod/ das diese essen.

6. τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν. αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν.

Hoc autem dicebat dum tentaret eum, ipse enim sciebat quid esset facturus.

Das saget er aber jhn zu versuchen/denn er wuste wol/ was er thun wolte.

7. ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος, διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ.

Dixit ei Philippus: Ducentorum denariorum panis non sufficeret eis, quum quid minimum singuli eorũ acciperent.

Philippus antwortet jhm: Zweyhundert Pfennige wehrt Brod ist nit gnug vnter sie/das ein jeglicher ein wenig neme.

8. λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ Ἀνδρέας ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου.

Dixit eis unus ex discipulis suis Andreas frater Schemeon Kipho.

Spricht zu jhm einer seiner Junger / Andreas der Bruder Simonis Petri.

9. ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια· ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους.

Est hîc puer quidam habens secũ quinque placentas hordeaceas, & duos pisces, sed hæc quid sunt ad hos omnes.

Es ist ein Knab hier/ der hat fünff Gerstenbrod / vnd zween Fische/ Aber was ist das vnter so vielen.

10. εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς, ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν. ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. ἀνέπεσον οὖν οἱ

Dixit eis Jeschua, efficite ut omnes homines discumbant, erat autem gramen multũ in illo loco. Et discu

JESUS aber sprach: Schaffet/ das sich das Volck lagere. Es war aber viel Graß an dem Ort/da lagertẽ sich

ἄνδρες

ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

buerūt viri numero q̃nquies mille.

bey fünff tauſent Mann.

11. ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις· ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων ὅσον ἤθελον.

Et accepit Jeſchua panem, & benedixit, ac diſtribuit illis qui diſcumbebant; ſimiliter etiam de piſcibus quantum volebant.

JESVS aber nam das Brodt/ dancket/vñ gab ſie den Jüngern/ Die Jünger aber denẽ/ die ſich gelagert hatten/ Deſſelbigẽ gleichen auch von den Fiſchen / wie viel er wolte.

12. ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.

Quumq; ſaturati fuiſsēt, dixit diſcipulis ſuis, colligite fragmēta, quæ ſuperfuerūt, ne quid depereat.

Da ſie aber ſatt warẽ / ſprach er zu ſeinen Jüngern: Samlet die vbrigẽ Brockẽ/ das nichts vmbkomme.

13. συνήγαγον οὖν, καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν.

Collegerunt itaque & impleverūt duodecim cophinos fragmētis illis, qui ſuperfuerunt his qui comederūt ex quinq; panibus hordeaceis.

Da ſamleten ſie/ vnd fülleten zwölff Körbe mit Brocken/ von den fünff Gerſten Brod / die vberblieben/ denen die geſpeiſet worden.

14. οἱ οὖν ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησε σημεῖον ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.

Iſti autem homines quum vidiſsēt ſignū quod ediderat Jeſchua, dicebant, Verè hic eſt Propheta ille qui venturus erat in mundum.

Da nun die Menſchen das zeichẽ ſahen / das JESus thet/ ſprachen ſie: Das iſt warlich der Prophet/ der in die Welt kommen ſoll.

15. Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, πάλιν ἀνεχώρησεν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

Jeſchua verò cognovit, eos venturos ad corripiendum eum, ut ipſum facerent regem, & ſubduxit ſeſe in montem illum ſolus.

Da JEſus nun mercket / das ſie kommen würden / vnd jhn haſchen / das ſie jn zum Könige machten / entweich er abermahl auff den Berg / er ſelbſt alleine.

Homilia.

Quatuor tituli hujus Dominicæ.

1. Exhortatorius.



QUATUOR titulis præſens Dominica inſignitur. Primus eſt *Exhortatorius*, quum Dominica *Lætare* dicitur, der Frewden-Sontag / ex Eſa. 66. v. 10. *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam.* Amplam lætandi materiam habemus, ſi hodiernum Evangelium conſideremus. In eo Chriſtus nobis proponitur, ut Paſtor benevolus & omnipotens, qui ſuos reficit, nec eos fame abſumi permittit.

2. Mnemonicus.

Secundus eſt *Mnemonicus*, quũ Dominica mortis indigitatur, der Todten-Sontag. Hoc enim die lux Evangelii affulſit gentilitati olim in Polonia & Sileſia, Baptiſmum ſuſcipiente, & idola ejiciente Rege Micislao cũ ſubditis, Anno Chriſti 965. quo pacto ex mortis & diaboli regno liberati ſunt, in cujus memoriam pueri circumportare ſolent arbórem, quod vulgò dicunt mortem expellere, den Todt außtreiben.

3. Papiſticus.

Tertius eſt *Papiſticus*, quando Dominica *Roſa* vocatur, der Roſen-Sontag. Nam hodiè Papa roſam auream conſecrat, quam poſtmodum cuidam

dam Principi mittit in signum gratiæ. Rosam hujusmodi donavit Electori Saxoniæ, Friderico S. R. Anno 1518. ut eum ad Lutherum persequendum excitaret.

Quartus tandem est *Evangelicus*, dum refectionis Dominica nominatur, der Speise Sontag. Hic titulus solus tangit Evangelij summam, quippe in quo miraculosa refectio virorum quinque millium describitur. *4. Evangelicus.* *Summa Evangelij.*

Divinum opus fuit, quùm ad introitum Elisæi in domo viduæ oppressæ sic multiplicatum est oleum, ut vasis domesticis nequaquam potuerit comprehendi, *2. Reg. 4. v. 2. seqq.* Sed multò majus miraculum hodiernâ die proponitur. Nam ecce! panes hordeacei quinque, & duo pisciculi sic multiplicantur, ut quinque millia virorum saturentur, & adhuc duodecim cophini fragmentorum colligantur.

Facit hoc maximè ad erigendam spem firmam, ne soliciti simus nimium de victu, sed confidamus Christo, Pastori & Refectori nostro benignissimo.

Nos autem de corporali pastura dicturi alibi; paucis agemus de *Refectione Spirituali*, ad quam Christus exhortatur, *Iohan. 6. v. 27.* Quùm enim populus rediret ad Christum, & denuò saturari vellet, hoc ipsis præceptum dedit: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Quomodo igitur hunc cibum operari possimus, ut saturetur anima nostra, ex hodierno Evangelio breviter explicabimus.

Christus suâ nos pascat gratiâ, ut rectè percipiamus hac mysteria, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

Sex genera panum.

QUidam doctores *ſex* panum genera recenſent.

Primus eſt *Panis Naturæ,* quo ſuſtentatur corpus, de quo Gen. 3. v.19. In *ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.*

Secundus eſt *Panis pœnitentiæ & contritionis,* juxta illud Pſalm. 42. v. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Tertius eſt *Panis doctrinæ & verbi divini,* de quo Syr. 15. v. 3. *cibabit illum pane vitæ & intellectus.*

Quartus eſt *Panis Cœnæ Dominicæ,* de quo Mat. 26. v. 26. 1. Cor. 10. v. 16. cap. 11. v. 24.

Quintum nominant *Panem invocationis,* quo fides & anima ſaginantur.

Sextus eſt *Panis æternæ vitæ,* de quo Lucæ 14. v. 15. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Revocari poſſunt ad tria.

Poſſunt hæc omnia revocari ad tria genera, ut dicamus panem eſſe, *vel* corporalem, *vel* ſpiritualem, *vel* cœleſtem. *Ille* datur omnibus hominibus; *iſte* ſolis renatis; *hic* beatis. *Ille* corpus, *iſte* animam, *hic* utrumque paſcit & delectat.

Panem verò Spiritualem Chriſtus intelligit, quùm nos admonet, ut cibum permanentem operemur: qui cibus conſiſtit cumprimis in verâ fide & pœnitentiâ, uti Chriſtus ipſe innuit verſ. 29. *Hoc eſt opus DEI, ut credatis in eum, quem miſit ille.*

Ad ſpiritualem animæ paſturam requiritur

Quæ verò in ſalutari pœnitentia ſint neceſſaria, quovè pacto anima Chriſtiani poſſit refici ac ſaturari, ex hodierno Evangelio docent nonnulli Patres, per expoſitionem ejus allegoricam. Horum ergò veſtigia pro tempore ſequemur, & præcipua

cipua spiritualis refectionis requisita annotabimus.

I. Pravi sodalitij fuga & desertio. Innuitur hoc per abitum Christi. Sic enim incipit Evangelium: *Post hæc abiit Iesus trans mare.* Quùm enim audiisset Johannem ab Herode esse decollatum, & redirent Apostoli ex legatione sua, noluit Salvator diutiùs in ditione Herodis commorari, sed secessit ab istis crudelibus & iniquis hominibus, *Matth* 14. *v.* 13. *1. Pravi sodalitij fuga.*

Abite & vos cum Christo, impiúmque Herodem, hoc est, pravum sodalitium relinquite, si à Christo saturari optatis. Infidelis est mundus instar Herodis. Captivos detinet ministros suos, & tandem vitâ, omníq; felicitate privat. Nolite igitur jugũ ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio est justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *2. Cor. 6. v. 14.* Noachus secedebat in arcam ab Antediluvianis, & servabatur, *Genes. 7.* Abraham deseruit Ur Chaldæorum, & factus est Pater credentium, *Rom. 4. v. 17.* Lothus exivit è Sodoma, nec absumtus est à flammâ sulphureâ, *Gen. 19.* Exite igitur de Babylone, & fugite, ait Dominus, *Esa. 48. v. 20.* Is beatus est, qui non abiit in consilio impiorum, *Psal 1. v. 1.* Qui verò tetigerit picem, inquinabitur ab ea, *Syr. 13. v. 1.* Plinius elegantem habet similitudinem, *lib. 22. cap. 1.* quam ita effert: *Torpedo* piscis haut nocet, nisi contactu, & virus suum etiam ab aere per linum & arundinis internodia ad piscatoris manum mirè transmittit: *Sic* improbi & pestilentes haut nocent, nisi cum iis habeas commer-

cium,

cium, & quocunque consuetudinis contactu morum venena afflant. *Manna* cœleste nemo gustavit, nisi qui ex Ægypto egressus fuit (*sic* cibo spirituali non reficitur, qui ab impiis non egreditur. *Elias* secedens à sanguinaria Jesabel, ab Angelo accipiebat cibum, in cujus fortitudine ambulavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb, 1. *Reg.* 19. *v.* 8. Charissimi, si consortia impiorum similiter fugiamus, nullum est dubium, quin ipse Dei filius, magni consilij Angelus, pane vitæ nos ita sit confortaturus, ut intrepidè ambulare possimus, donec ad excelsos cœlestis palatij montes perveniamus. *Quocirca* ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam, *Proverb.* 4. *v.* 14. Qui non vult esse leprosus, debet vitare consortium leprosorum. Sana poma putridis sociata, citiùs putrescunt: Sic pij cum impiis juncti, facilè seducuntur. Non tuta est ovis juxta lupum, nec stupa juxta ignem: Ita nec justus juxta peccatorem. Modicum enim malitiæ fermentat totam massam, & societatem corrumpit, 1. *Cor.* 5. *v.* 6.

2. Trans mare navigatio.

II. Trans mare navigatio. Abiit enim Jesus trans mare Galilææ, quæ est Tiberiadis, & secessit in desertum civitatis Bethsaidæ, ut addit *Lucas*, cap. 9. v. 10. Tiberias autem fuit insignis urbs Galilææ ad mare versus Orientem, Unde & mare illud cognomentum accepit, quòd Mare Tiberiadis dictum est. Olim hæc urbs dicebatur Genezareth, sed in honorem Tiberij Cæsaris ab Herode multis ædificiis aucta, & Tiberias nominata fuit. Ab hac non adeò procul aberat Bethsaida,

in eo-

in eodem maris littore sita, è cujus regione trans mare fuit desertum istud, quò Christus se contulit, docente *D. Lysero* lib. 4. Harm. cap. 76. pagin. 136.

Uti verò Christus mare Tiberiadis transnavigavit: sic omnes, pasturam Christi desiderantes, triplex mare transire oportet. *Triplex mare mysticum.*

Primum est *mare peccati*, quod transimus verâ pœnitentiâ. Nam veluti navigantes in mari: sic etiam, qui sunt in statu peccati, perpetuò hinc inde agitantur, unde cor impij mare fervens dicitur, *Esa 57. v. 20.* Non commoremur in hoc mari, 1. *Ob periculorum pluralitatem.* Ut enim qui navigant mare, enarrant pericula ejus, *Sir. 43. v. 26.* Sic qui peccato indulgent, in summo discrimine hærent. Sunt enim abalienati à Deo, & serviunt Diabolo: carent gratiâ Spiritus Sancti & fiunt rei æternæ damnationis. 2. *Ob ventorum contrarietatem.* Ut enim in mari ventus vento adversatur: sic impij variis motibus & affectibus concutiuntur. Est ibi vanus timor, vana spes, vanus dolor, & vanum gaudium. Verè de iis dicitur istud Eccles. cap. 1. v. 2. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* 3. Ob *monstrorum diversitatem.* Ut enim in mari, sic in statu peccati varia monstra apparent. Sunt ibi dæmones, qui peccatorem nunc terrent, nunc exhilarant. Surgunt distincta vitia: Jam superbiæ monstrum cor agitat: jam invidiæ. Nunc avaritia, nunc luxuria, nunc crudelitas accedit, quæ omnia faciunt, ut nulla sit pax impiis, *Esa. 48. v. 22. c. 57. v. ult.* Quare naviculam maturè ascendamus, nempè naviculam pœnitentiæ, quâ peccati mare transnavigare possumus facilimè. *1. Peccati.*

Secun-

2. *Mundi.* *Secundum* eſt *Mare mundi.* Quando enim agimus pœnitentiam, mundus ſe nobis opponit, & per ſuos filios, quorum vox deſcripta extat, *Sap. 2. v. 1.* iterum nos ſeducere conatur. Rectè mundus comparatur mari 1. Ob *intemperiem*, quam varia peccata cauſant. 2. Ob *tumorem*, quem ſuperbia parit. 3. Ob *profunditatem*, quæ in aſtu & ſimulatione hominum cõſiſtit. 4. Ob *copiam*; quia ut mare aquis, ſic mundus ſceleribus abundat. 5. Ob *inſtabilitatem*, quia perpetuus eſt in mundo ſeditionum rixarúmque fluxus & refluxus. Quis igitur hoc irrequieto mari delectetur? Tranſeamus ocius, perſeverantes in fide & pietate. Si mundi Sirenes cantillantes audimus, Ulyſſem imitemur, & aures obſtruamus, ne ſuo nos cantu decipiant.

3. *Crucis & periculi.* *Tertium* eſt *Mare crucis & periculi.* Aſcendit hoc Chriſtus, ſed patienter tranſiit. Aſcendendum eſt & nobis, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, *Actor. 14. v. 21.* Nunc perſecutionum fluctus ſurgunt, nunc procellæ hæreſeωn nos petunt. Verùm

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Et hoc mare tandem tranſibimus;

------ *dabis Deus his quoque finem.*

ut ad felicem portum perveniamus, ubi à dolore & labore immunes erimus.

Atque hoc fuit mare iſtud tergeminum, videlicet mare *peccati*, quod pœnitentiâ; mare *mundi*, quod cõſtantiâ; mare *crucis*, quod patientiâ tranſire poſſumus & debemus. Quod ſi fecerimus, hoc ipſo reficietur anima noſtra, & accumbemus ſuo tempore menſæ Domini in cœlo, quod promiſſum, *Luc. 22. v. 30.*

III. Ad

III. Ad Christum accessio. Quùm enim Christus abiret trans mare, sequebatur ipsum multitudo magna. Laudabile hoc factum est, & nobis salutare. Quem enim alium sequemur, quàm Christum? quippe nostrum Sanatorem, *Exod.15. v.26.* Pastorem, *Psal.23. vers.1.* Patrem, *Psal.103. v.13.* & Sponsum, *Ose.2. v.9.* Magna fuit in illo populo audiendi cupiditas. Domos suas relinquunt, longum iter conficiunt, & tantâ celeritate festinant, ut Christum & Apostolos præveniant. Væ Christianis tardis & somnolentis, ad quos Christus ipse venit offerendo gratiam, sed nolunt intromittere & recipere! Si mundus vocet, mox veniunt: Si diabolus invitet, mox sequuntur: Sed stultis similes sunt, qui umbram sequuntur, nec tamen apprehendere possunt, quia perpetuò fugit. Quærunt terrestria, sed amittunt cœlestia. *3. Ad Christum accessio.*

Nos autem quæramus ea, quæ sunt sursum, & semper sequamur Christum Ecce enim! Mundus clamat, *decipiam:* Caro, *inficiam:* Diabolus, *interficiam:* Christus dicit, *reficiam.* Quem sequeris? ait *Bernhardus.* Sequere reficientem & fuge decipientes.

Sequimur verò Christum 1. Verbum *audiendo,* 2. Constanter *credendo,* & 3. humiliter *obediendo.* Auditus est necessarius, ut inde hauriamus fidem, *Rom.10.v.17.* Fides verò per Charitatem est efficax, *Gal.5. v.6.* ideoque bonis eam operibus testatam facere debemus. *Iac 2. v.18.*

IV. Oculorum elevatio. Quùm enim Christus montem ascendisset, oculos *sublevâsse* dicitur, *4. Oculorum elevatio.*

Quatuor vicibus Christus levavit oculos.

dicitur, *v. 5.* Et hæc ad instructionem recitantur, ait *Hieronymus.* Nam quatuor vicibus oculos levâsse Christum legimus: 1. *Quùm* esset populum refecturus, quod in Evangelio hodierno contigit. Nos etiam, quùm pauperibus subvenimus, oculos cordis ad DEum elevemus, ne propter hominum favorem, aut gloriolæ caûsâ, sed Dei solius intuitu demus. 2. *Quùm* patrem esset invocaturus, *Ioh. 17. v. 1.* sublevatis oculis in cœlum dixit, &c. *Sic* & nos precaturi, simus attenti, & respiciamus Dominum, ut illud sit in corde, quod versatur in ore, exemplo Davidis, qui Psalm. 123. v. 1. ait: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* 3. *Quùm* discipulos esset informaturus, *Luc. 6. vers. 20.* elevatis oculis in discipulos suos, dicebat, &c. *Imitentur* hoc omnes, qui muneris sui partes expediunt, ut sint industrij, & ex animo, summâque intentione faciant, quæ ipsis imperata sunt. Tandem 4. *Quùm* esset Lazarum resuscitaturus, *Ioh. 11. v. 41.* Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit, &c. *Hoc ipso* monemur, ut quando rem arduam tentamus, quùm è somno peccati resurgere conamur, ad solùm Deum confugiamus, ejúsq; auxilium elevato corde imploremus. Quú enim ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Dominum, *2. Paral. 20. v. 12.*

Atque hæc sunt prima quatuor requisita ex principio Evangelij deducta, & ad cibi mystici operationem necessaria. Longè plura latent abdita, si Christi, si discipulorum, si populi actiones considerentur, de quibus alio tempore locus erit dicendi.

Nos

Nos hîc ſubſiſtimus, Deum venerati ſupplices, *ut gratiâ ſuâ nos ita reficiat, quo impios fugientes, mare peccati, mundi, & crucis conſtanter transnavigemus, Chriſtóque ſemper elevato corde adhæreamus, adeoque hîc pane ſpirituali, olim pane cœleſti fruamur, & paſcamur in ſempiternum,* Amen.

EVANGELIUM DOMINICA JUDICA,

Ioh. 8. à v. 46. uſque ad finem.

De Chriſti diſputatione cum Iudæis.

V.46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι;

Quis ex vobis arguet me de peccato? quòd ſi veritatem loquor, vos quare non creditis mihi?

Welcher vnter euch kan mich einer Sünde zeihen? So ich euch aber die Warheit ſage/warum̃ glaubet jhr mir nicht?

47. ὁ ὢν ἐκ τοῦ θεοῦ, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀκούει. διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστέ.

Qui ex Deo eſt, verba DEI audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

Wer von Gott iſt / der höret Gottes Wort/darumb höret jhr nicht/deñ jhr ſeyd nicht von Gott.

48. ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ, οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σύ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις;

Reſponderunt Jihoudæi; & dicũt ei, Nónne benè dicimus, te Schamaritanũ eſſe, & dæmonium habere?

Da antworteten die Juden / vnnd ſprachen zu jhme: Sagen wir nicht recht / das du ein Samariter biſt/vnd haſt den Teuffel?

49. ἀπεκρίθη Ιησοῦς, ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με.

Dixit eis Jeſchua, Dæmonium non habeo, ſed Patrem meum honoro, vos autem opprobrio me afficitis.

Jeſus antwortet: Ich hab keinen Teuffel / ſondern ich ehre meinen Vatter / vnnd jhr vnehret mich.

50. ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου. ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων.

Ego verò non quæro gloriã meã: eſt qui quærat & judicet.

Ich ſuche nicht meine Ehre / es iſt aber einer / der ſie ſuchet vnd richtet.

51. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

Amen, Amen dico vobis, quicunq; ſermonem meum cuſtodierit, mortẽ non videbit in æternum.

Warlich / warlich ich ſage euch / ſo jemand mein Wort wird halten / der wird den Todt nit ſehen ewiglich.

52. εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Ιουδαῖοι, νῦν ἐγνώκαμεν, ὅτι δαιμόνιον ἔχεις. Αβραὰμ ἀπέθανε καὶ οἱ προφῆται. καὶ σὺ λέγεις, ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, οὐ μὴ γεύσεται θανάτου εἰς τὸν αἰῶνα;

Dicunt ei Jihoudæi: Nunc novimus te dæmonium habere. Abraham mortuus eſt & Prophetæ: & tu dicis, Qui ſermonem meum cuſtodierit, non guſtabit mortem in æternum?

Da ſprachen die Juden zu jm: Nun erkennen wir / das du dẽ Teuffel haſt: Abraham iſt geſtorben / vnd die Propheten / vnnd du ſprichſt: So jemand mein Wort hält / der wird den Todt nicht ſchmecken ewiglich.

53. μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ Πατρὸς ἡμῶν Αβραάμ, ὅστις ἀπέθανε; καὶ οἱ προφῆται ἀπέ-

Num tu major es patre noſtro Abraham qui mortuus eſt, & Prophetis

Biſtu mehr denn vnſer Vatter Abraham? Welcher geſtorben iſt / vnd die Propheten ſind ge-

θάνον. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς.

qui mortui ſunt: quem tu teipſum facis?

ſtörbẽ/ was machſt du auß dir ſelbſt?

54. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτὸν, ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν. ἔστιν ὁ Πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι θεὸς ὑμῶν ἐστι.

Dixit ei Jeſchua, ſi ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt Pater meus qui me glorificat, de quo dicitis, Deus noſter eſt.

JEſus antwortet / ſo ich mich ſelber ehre / ſo iſt meine Ehre nichts. Es iſt aber mein Vatter der mich ehret/ welchen jr ſprecht: Er ſey ewer Gott/

55. καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτὸν, ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν, καὶ ἐὰν εἴπω ὅτι οὐκ οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν, ψεύστης. ἀλλ᾽ οἶδα αὐτὸν καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ.

Neque noviſtis eum: ego verò novi eum: & ſi dixero me eum non noſſe, ego ero mendax ſicut vos: ſed novi eum, & ſermonem ejus ſervo.

Vnd kennet jhn nicht/ ich aber kẽne jn. Vnd ſo ich würde ſagen/ Ich kẽne ſein nicht / ſo würde ich ein lügner/ gleich wie jhr ſeyd. Aber ich kenne jhn vñ halte ſein wort.

56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.

Abraham Pater veſter deſiderabat videre diẽ meum; viditque & gaviſus eſt.

Abraham ewer Vatter ward froh/ das er meinen Tag ſehen ſolt/ vnnd er ſahe jhn / vnnd frewet ſich.

57. εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς αὐτὸν, πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας;

Dicunt ei Jihoudæi, Nondũ quinquaginta annos natus es, & Abraham vidiſti?

Da ſprachen die Juden zu jhm: Du biſt noch nit fünffzig Jahr alt / vnd haſt Abraham geſehen?

58. εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἀμὴν, ἀμὴν

Dixit ei Jeſchua, Amen, Amen dico

JEſus ſprach zu jhnen: Warlich/

λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι.

vobis, antequam fieret Abraham, ego ſum.

warlich / Jch ſage euch / ehe denn Abraham ward / bin ich.

59. ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν. Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτω.

Et ſuſtulerunt lapides ut obruerent eum: Jeſchua verò abdidit ſeſe, & exivit è templo, tranſiitq; per medium eorum, & abiit.

Da huben ſie Steine auff / daß ſie auff jhn würffen / aber JEſus verbarg ſich / vnnd gieng zum Tempel hinauß.

Homilia.

Deploratur hominum malitia.



Ominum tanta eſt malitia, ut petulanter contemnant, quæ magnificare debebant. Veritate quid ſanctius? quid utilius? Cõmendat hanc ipſe Jehova, *Zach.8.v.19.* & Jehovæ filius, *Matt.5.v.37.* & filij Apoſtolus, *Eph.4.v.25.* ſed ſpernitur & odijs iniquis premitur. *Nam veritas odium parit.* Quò magis urgetur, eò magis irridetur. Quò planius proponitur, eò acerbioribus maledictis proſcinditur. Uti corpus umbra; ſic veritatem ſequitur calumnia. Homines enim ſpiritu Dei ſe flecti ducive renuunt, *Gen.6.v.3.* Si doceas, non credunt: Si arguas, maledicunt: Si corripias, ſuccenſent: Si erudias, non obediunt.

Quis eſt, *Auditores*, qui credat auditui noſtro? *Eſa.53.v.1.* Vana locuti ſunt, unusquisq; ad proximum ſuum, *Pſ.12.v.2.* Annón maxima pars Judæos impios imitatur, dicentes, Jer. cap.44.v.16. *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: ſed facientes faciemus omne*

verbum,

verbum, quod egredietur de ore nostro? Ita nimirum fit, ut veritatis præconio magis exasperentur & indurescant impij. Nam velut in ἀντιπεριστάσει calor intenditur frigore: sic animi exacerbantur, quò diligentiùs veritas inculcatur. *Vti* lippientes ad radios Solis cœcutiunt: Sic homines vocem veritatis perferre nequeunt. Unde *hæretici ex Scripturis arguuntur, in accusationem scripturarum convertuntur*, Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 2.

Exemplum suppeditat hodiernum Evangelium, in quo præco veritatis, imò ipsa veritas, Christus Jesus, *Iohan. 14. vers. 6.* spernitur, ridetur, arguitur. Judæis veritatem dicit, sed audire nolunt. Paternè corripit, sed maledicta regerunt. Se more debito defendit, sed blasphemant. Ad Abrahæ exemplum provocat, sed mendacij accusant. Divinitatem suam adstruit: sed lapides tollunt, & necem comminantur. Hæc ergò fidelium doctorum sors, hoc veritatis præmium est, ut illi odium incurrant, hæc calumniam. *Summa Evangelij.*

Multæ autem doctrinæ in textu Johannis delitescunt, quæ cùm singulæ tractari nequeant, de tribus breviter agemus.

1. De *Generali Apologia Christi.* *Propositio.*
2. De *Christianorum officio.*
3. De *Officij præmio.*

Faxit DEUS, *ut veritatem proferamus, prolata credamus, & in credendo perseveremus,* Amen.

PARS I.

De generali Apologia Christi.

Veri doctoris requisita.

DUo sunt doctoris laudabilis requisita: 1. *Vitæ Integritas.* 2. *Doctrinæ Puritas.* Unde natum Distichon:

Quem non doctrinæ vitium, non crimina vitæ
Accusant, tutus spernere cuncta potest.

Utrumque in Christo reperitur secundum excellentiam: Et de utroque verba facit in præsenti Evangelio. Videns enim Judæos in necem suam conspirasse, *duas* eis quæstiones proponit, ut *alterâ* vitæ innocentiam, *alterâ* dogmatum suorum veritatem confirmaret.

Duæ quæstiones à Christo propositæ.

1. De vitæ innocentia.

Prima Quæstio hæc fuit: *Qui ex vobis arguet me de peccato?* Summæ integritatis signum est, ad adversarios etiam provocare publicè. Hi enim, quùm velint pessimè, varia crimina solent plerunque objicere. Christus verò sibi optimè conscius, potestatem dat suis hostibus, ut diligenter inquirant, & vel unius sceleris, si possint, arguant.

Refert Plinius *lib. 31. cap. 10.* Apellem tabulas suas publicè proposuisse, ut apertè, non clanculum errores, si qui essent, culparentur. Sic cœlestis Apelles & artifex, vitæ suæ tabulam ante fores Judaicæ Synagogæ constituit, ut quid possent aut vellent reprehendere, audiret. Sed inveniunt nihil, quod cum veritate taxent. Crimina objiciunt, sed probare nequeunt; & hoc ipso malitiam quidem suam indicant, sed innocentiam Christi confirmant.

Christus fuit absq;

Verè hic fuit ἀναμάρτητος, & absq; omni peccato.

cato. Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus, *Esa.* 53. *v.* 9. Hinc à Jeremia vocatur Justitia nostra, *cap.* 23. *v.* 6. à Daniele sanctus sanctorum, *cap.* 9. *v.* 24. à Zacharia Justus & Salvator, *cap.* 9. *v.* 9. Tentatus est per omnia, & factus nobis similis, sed absque peccato, *Hebr.* 4. *v.* 15. Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus, *Hebr.* 7. *v.* 26. Nos quidem omnes in iniquitate concipimur, *Psalm.* 51. *v.* 7. Sed Christus hac caruit, quia ex obumbratione Spiritus Sancti conceptus, ideoq; sanctus natus est, *Luc.* 1. *v.* 35. *omni peccato.*

Ut autem originali, sic multò magis actuali peccato caruit. Totum orbem, omnes homines id confiteri oportet. Ipse proditor Judas testimonium fert, *Matth.* 27. *v.* 4. Peccavi tradens sanguinem innocentem. Pilati conjux ait, v. 19. *Nihil tibi, & justo illi.* Pilatus ipse manus lavat, & inquit, v. 24. *Innocens ego sum à sanguine hujus justi.* Omne sacrificium debuit esse mundum & immaculatum, *Levit.* 12. *vers.* 20. Christus ergò, quia victima erat pro peccatis totius mundi, 1. *Iohan.* 2. *v.* 2. impollutus fuit, & absque omni maculâ. Præfiguratum, hoc est, per Josephum innocentem à fratribus traditum, *Genes.* 37. *v.* 28. per agnum Paschalem immaculatum, *Exod.* 12. *v.* 5. per hircum emissarium, non suis, sed aliorum peccatis onustum, *Levit.* 16. *v.* 20.

Facit hoc vel maximè ad consolationem nostram, ne dubitemus de expiatione peccatorum. Si autem Christus ipse peccasset, pro peccatis nostris satisfacere non potuisset. Quia verò scimus, à nemine ipsum potuisse argui, hinc verum

Messiam & victimam satisfactoriam fuisse, concludimus.

2. De doctrina veritate.

Secunda Quæstio erat. *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Duo innuit, se veritatis doctorem, sed Judæos veritatis osores esse. Ita nempe fit, ut vera dicentibus raro credatur. Christus erat missus ad docendam veritatem, *Ioh. 18. v. 37.* & mundum illuminandum, *Ioh. 1. v. 5.* Sed homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, *Ioh. 3. v. 19.*

Rex Achab odio habebat vatem Micheam, quia placentia non dicebat. Sic enim ait ad Regem Josaphat, 1. Reg. 22. v. 8. *Odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Eodem modo affecti erant Judæi. Christus docebat veritatem, teste Nicodemo, *Ioh. 3. vers. 2.* nec diffitentibus Pharisæorum legatis, *Matth. 22. v. 16.* Oderant tamen, quia vitia sua culpari ægrè ferebant. *O Iudæi*, si veritatem dicit vobis, quare non creditis? Nihil est, quod non annunciaverit, sed omnia quæ vera sunt, aperuit. Dixit veritatem de *Cœlo*, quòd copiosa nobis merces in illo sit reposita, ut confidamus, *Matth. cap. 5. vers. 12.* de *Mundo*, quòd sit plenus malitiâ, ut caveamus, *Ioh. 7. v. 7.* de *Inferno*, quòd multa ibi & magna tormẽta sint præparata, ut timeamus, *Matth. 13. v. 42.* & *c. 25. v. 49.* de *Peccato*; quòd reũ faciat gehennæ, ut fugiamus, *Matt. 5. v. 22.* de *Bonis Operibus*, quòd ex gratiâ compensentur à Deo, ut faciamus, *Matth. 19. v. 28.* de *Extremo Iudicio*, quòd venturum sit subitò, ut nos semper præparemus, *Luc. 21. v. 34.* Omnia hæc in veritate docuit, & planissimè ostendit: Credere tamen mundus renuit. *O ingratitudinem*

& cæci-

& cæcitatem inauditam! Medicus venit, & ægri ſanari nolunt: Magiſter adeſt, & rudes doctrinam negligunt. Veritas loquitur, & Patri mendacii homines attendunt.

Rex Jeroboam, quum regnũ Iſraël invaſiſſet, permittere nolebat, ut populus Hieroſolymam iret, ne naturali & legitimo Principi ſe aſſociarent; ideoque vitulos aureos erexit, quò in iis Deum colerent, *1. Reg. 12. v. 26.* Sic Satan metuens hominum ad DEUM, à quo abalienati ſunt, converſionem, modis omnibus impedire conatur, ne templum adeant, neve Chriſtum, vera ibi docentem, audiant. Rebus interim ludicris, voluptatibus & divitiis, quæ ſunt inſtar vitulorum aureorum, ipſos detinet, miſeréque decipit. Nos ergò caveamus, *Auditores*; Chriſtus abſque peccato eſt, Chriſtus veritatem dicit. Quem igitur alium audiemus quàm ipſum? Cui lubentiùs nos aſſociabimus, quàm huic tam fideli veritatis Præconi & Magiſtro: Utque videamus, quæ noſtri ſint officii, Chriſti exemplum & verba porrò conſideremus, in quibus varia rectè agendi documenta nobis ſuppeditantur.

PARS II.

De Chriſtianorum Officio.

QVatuor Chriſtianorum proprietates hîc tanguntur. *Quatuor Chriſtianorum propria.*

I. Innocenter vivere. Duplex eſt innocentia. 1. Coram *Deo*. 2. Coram *Hominibus*. Priori modo ſolus Chriſtus fuit innocens, qui nullius peccati proprii potuit accuſari. Nos autem co- *1. Innocenter vivere. Duplex innocentia.*

ram Deo immundi ſumus omnes. Domine, ſi iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit? *Pſalm.130. v. 3.* Non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens, *Pſalm. 143. v. 2.* omnes juſtitiæ noſtræ ſunt inſtar panni menſtruatæ, *Eſa. 64. v. 6.* Si omnia fecerimus, dicendum tamen eſt, ſervi inutiles ſumus, *Luc. 17. v. 10.* Si verò dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, *Ioh. 1. v. 8* *Omni prorſus peccato vacare, ſupra humanæ naturæ modum Deus conſtituit*, Nazianz. Orat. 2. in Judic. Interim tamen coram hominibus lux noſtra lucere debet, ut videant bona noſtra opera, *Matth. 5. v. 16.* Chriſtus nobis exemplum dedit, quem quum imitari nequeamus in totum, imitemur in tantum, ut ad hoſtium quoque judicia provocare poſſimus. In carne quidem noſtra peccatum habitat, *Rom. 7. v. 18.* Carni tamen dominium adimere poſſumus, *Rom. 6. v. 12.* Sic igitur vivamus, ut cum Chriſto dicamus; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* videlicet externo & voluntario. Proinde ne ſoliciti ſimus de aliis, ſed potius de nobismet ipſis.

Nunc quidem *curioſum eſt genus hominum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam*, ut Bernardus loquitur. Sed nos incipiamus à nobis, ne temerè judicando, injuriam faciamus proximo. Inprimis verò doctorum eſt, ut innocentiæ quantum poſſunt, ſtudeant. Dedecus eſt veritatem dicere, & malè vivere. Sic enim unâ manu deſtruitur, quod altera ædificatur. Fruſtra doces, ſi exemplo aliis noces. Phariſæi ob hoc culpantur, quòd recta dixerint, ſed non fecerint, *Matth. 23. verſ. 3.* Videndum eſt

est doctoribus Evangelicis, *ne eloquenter dicendo, & nequiter vivendo, animæ suæ sint inutiles*, ait Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 27. Notus est *Mathesii* versiculus.

Regula virtutum pulcherrima, vita docentis.

Ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τοῖς τρόποις.

Inquit Nazianzenus:

Vel non doceto, vel doceto moribus.

II. Veritatem dicere. DEUS veritatis, Diabolus mendacii pater est, *Iohan. 8. vers. 44.* Christus vera, Diabolus falsa loquitur. Quisquis igitur Deo adhærere, & Christi discipulus esse vult, veritati semper studeat. Membra sumus invicem: Loquimini ergò veritatem, *Ephes. 4. v. 22.* Demosthenes, *quid homines DEO haberent simile*, quæsitus, *benignè facere*, respondit, *& veritatem amare.* Aristoteles dicebat, *Duo sunt opera sapientis, non mentiri, & mentientem posse manifestare.* Hinc *AEgyptii* cor humanum gutture appenso pingebant, quoniam sensum cordis, & vocem gutturis debere semper convenire, existimabant. Sed proh dolor! diminuta est hodie veritas à filiis hominum. Corruit in platea, *Esa. 59. vers. 14.* & prostrata est in terra, *Daniel. 8. vers. 12.* Nimis verè Seneca dixit: *Monstrabo tibi, quid omnia poßidentibus desit, scilicet, qui verum dicat.* Sed cur diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Psalm. 4. vers. 3.* Nos cum Christo dicamus veritatem, quia hæc manet, & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in secula seculorum, *3. Esdræ 4. v. 38.*

2. Veritatem dicere.

III. Verbum audire. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, v. 47. Oves enim Christi, vocem ejus

3. Verbum audire.

audiunt, *Iohan. 10. verſ. 27.* Qui autem ex Deo non eſt, non audit, *1. Ioh. 4. v. 6.* Hoc ipſo convincebantur Phariſæi, quod ex Deo non eſſent, quia verbum Dei non audiebant. His ergò ſi annumerari nolumus, verbo & lectioni attendamus. Sponſam imitemur, & dicamus cum illa ex Cant. 2. verſ. 1. *Sonet vox tua in auribus meis.* Dicamus cum Samuele ex 1. Sam. 3. verſ. 9. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Cum Davide ex Pſalm. 119. v. 103. *Quàm dulcia ſunt faucibus meis eloquia tua Domine!* Dei enim verbum virtus eſt ad ſalutem omni credenti, *Rom. 1. v. 16.*

Pyrrhus Rex Epirotarum dicebat, *plures regno ſuo urbes Cyneæ Oratoris eloquentiâ, quàm armis acceſſiſſe:* Sic animæ ad DEUM convertuntur, non armorum potentiâ, ſed ſuavi prædicatione verbi. Quid Magdalenam, quid Paulum tàm ſubitò immutavit? *Vox Chriſti.* Quid Apoſtolos impulit, ut omnia relinquerent, & Chriſto adhærerent? *Vis verbi.* Hoc igitur verbum magnifaciamus, & devotè audiamus: nec tantùm audiamus, ſed etiam obediamus. Beati enim ſunt, qui verbum audiunt, & cuſtodiunt: *Luc. 11. v. 28.* ſermonesq; Chriſti ſervant, *Ioh. 8. v. 51.*

4. Deum glorificare.

IV. Deum glorificare. Judæi objiciebāt, *Chriſtum habere dæmonium,* v. 48. Negat ille, *quia honorificet patrem,* v. 94. *nec quærat gloriam ſuam,* v. 50. Hinc ergò fluit Aphoriſmus: *Qui Deum Patrem in omnibus glorificat, à Deo diligitur, nec à Diabolo agitatur.* Ut ergo filii Dei appareamus, Deum in omnibus honore afficiamus. Sive manducatis, ſive bibitis, omnia in gloriam Dei

facite,

facite, *1. Cor. 10. v. 31.* gratias agentes per Christum, *Col. 3. v. 17.*

Poteſt autem Deus honorari tribus modis (1) *Corde*, ſi totum ipſi ſubjiciatur. Cor enim contritum Deo eſt gratum holocauſtum, *Pſal. 51. v. 19.* Ad majeſtatem Dei Cherubim ſancti facies tegunt, *Eſa. 6. v. 2.* Seniores coronas abjiciunt, Apoc. 4. v. 10. Et nos ſubmittere nollemus? Chriſtus ipſe ſuam non quærit gloriam, & nos homunciones quæreremus? (2) *Ore*, ſi nomen ejus verbis prædicetur. Non tacendum, ſed loquendum eſt. Magnificemus Dominum cum Maria, quia fecit nobis magna, *Luc. 1. v. 49.* Credidit David & locutus eſt, *Pſalm. 116. v. 10.* Elevemus ergò vocem cum ipſo & dicamus ſemper ex Pſalm. 35. v. 27. *Magnificetur Dominus.* (3) *Opere*, ſi legi divinæ obediatur. Qui enim Deum laudat ore, & vivit impiè, magis blaſphemat nomen ejus, quàm honorat. Laus maxima in factis conſiſtit. Obtempera Deo, & ſatis honorâſti. Qui verò Pſalmos canunt, & perversè agunt, de iis conqueritur Dominus, *Matth. 15. v. 8.* ex *Eſa. 29. v. 13.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sunt inſtar fiſtularum, è quibus quum ſonus exiit, intus nîl remanet. Sic iſti verba demurmurant, cor ipſum ſincero pietatis affectu non tangitur.

Quod fit corde. *Ore.* *Opere.*

PARS III.

De Officii præmio.

EST iſtud, *non videre mortem in æternum.* Sic enim inquit Salvator, v. 51. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.*

Mors

Mors triplex.

Mors vulgò triplex ſtatuitur: 1. *Naturæ.* 2. *Gratiæ.* 3. *Gloriæ.* Mors *Naturæ* conſiſtit in ſeparatione corporis & animæ. Mors *Gratiæ*, in amiſſione divini favoris: Mors *Gloriæ* in privatione gaudii cœleſtis, & æterna damnatione. Has mortis ſpecies, non vident, hoc eſt; non experiuntur Chriſtiani, ubi tamen ſciendum, quòd mors corporalis, vel naturæ dupliciter conſideretur. 1. Ut *pœna* eſt, & initium perditionis. 2. Ut *medium* eſt, & tranſitus ad ſalutem. *Priori* modo non vident eam pii. Mors enim ipſorum rationem pœnæ nō habet, ſed ſalutaris medii, ad vitam.

Mors naturæ dupliciter conſideratur.

Hinc mors ipſorum precioſa dicitur, *Pſal. 116. v. 15.* & lucrum, *Phil. 1. verſ. 21.* & illi ſunt in manu Dei, *Sapient. 3. v. 1.* amodò beati, *Apoc. 14. v. 3.* Sic morti gratiæ non ſubjacent; quia ſunt templa Dei, 1. *Cor. 6. v. 19.* qui ſuâ gratiâ manſionem in iis facit, *Ioh. 14. v. 23.* Unde lætantur, ſi maximè multa patiantur, *Coloſſ. 1. verſ. 24.* Inprimis verò Chriſtus intelligit mortem gloriæ, hoc eſt, æternam damnationem, quæ vocatur mors *ſecunda* & noviſſima, *Apoc. 20. v. 14.* Hinc morti non ſunt obnoxii pii, ſiquidem hæredes ſunt æternæ vitæ, *Rom. 8. v. 17.* iisque in cœlo repoſita eſt corona juſtitiæ, 2. *Tim. 4. v. 8.* Ubi lacrymæ omnes abſtergentur, *Eſa. 25. v. 8.* & Sabbathum erit ex Sabbatho, *Eſa. 66. v. 23.* Cujus gaudii ut reddamur participes, nec videamus mortem in æternum, faxit mortis Dominus & victor Chriſtus Jeſus, cujus nomen ſit benedictum in ſecula,

Amen.

EVAN-

EVANGELIUM
DOMINICA PALMARVM.

Matth. 21. à Verſ. 1. uſque ad 9. Marc. 11. verſ. 1. Luc. 19. Verſ. 29.

De Ingreſſu Chriſti Hieroſolymitano.

V. 1. ΚΑὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, τότε ὁ Ἰησοῦς ἀπέστειλε δύο μαθητάς.

ET quum appropinquaſſet Ourischlē, veniſſetq; Bethphoge juxta verticem montis olivarum, miſit Jeſchua duos ex diſcipulis ſuis.

DA ſie nun nahe bey Jeruſalem kamen / gen Bethphage an den Oelberg / ſandte JEſus ſeiner Jünger zween.

2. λέγων αὐτοῖς, πορεύθητε εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς. λύσαντες ἀγάγετέ μοι.

Et dixit eis, Ite in vicum iſtum, qui vobis eſt è regione, & ſtatim invenietis Aſinam vinctam, & pullum cum ea: ſolvite, adducite mihi.

Vnd ſprach zu jhnen: Gehet hin in den Fleckē / der für euch ligt / vnd bald werdet jhr ein Eſelin finden angebunden / vnd ein Füllē bey jhr. Löſet ſie auff / vnd führet ſie zu mir.

3. Καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τί, ἐρεῖτε ὅτι ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει, εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς.

Et ſi quis dixerit vobis quippiā, dicite ei, quia Domino noſtro requirūtur, & cōfeſtim huc dimittet eos.

Vnd ſo euch jemand etwas wird ſagen / ſo ſprecht / der HErr bedarff jhr / ſo bald wird er ſie euch laſſen.

4. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος.	Hoc autem totum factum est, ut impleretur id ꝙ dictum est per Prophetam dicentem.	Das geschach aber alles/ auff das erfüllet würde/ das gesagt ist durch den Propheten / der da spricht:
5. εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιὼν, ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου.	Dicite filiæ Tzehioun, Ecce Rex tuus venit tibi humilis, & insidens Asinæ ac Pullo filio Asinæ.	Saget der Tochter Zion : Sihe/ dein König kom̃et zu dir sanfftmütig/ vnd reit auff einem Esel vnnd auff einem Füllen der Lastbahren Eselin:
6. πορευθέντες δὲ οἱ μαθηταὶ, καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς.	Profecti sunt itaque discipuli, feceruntq; sicut præceperat eis Jeschua.	Die Jünger giengen hin vnd thete/ wie jhnen JEsus befohlen hatte.
7. ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν.	Et adduxerunt Asinam, & Pullũ, & imposuerũt pullo vestiméta sua, & equitavit super eũ Jeschua.	Vnnd brachten die Eselin vnd das Füllen/ vnd legten jre Kleider drauff/ vnnd satzten jhn drauff.
8. ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐν τῇ ὁδῷ, ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.	Plurimæ autem turbæ sternebant pallia sua in via: alii verò cædebant ramos ex arboribus, & projiciebant in via.	Aber viel Volcks breitet die Kleider auff den Weg. Die andern hiebẽ zweige von den Bäwmen/ vnd strewetten sie auff den Weg.
9. οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀ-	Cæterùm turbæ illæ quæ præcede-	Das Volck aber/ das vorgieng vnd

κολυ-

κολυθοῦντες, ἔκραζον λέγοντες, Ωσαννὰ τῷ ὑῷ Δαβίδ. ἐυλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίυ, Ωσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίσοις.

bant eum, quæque eum ſequebantur, clamabant, dicentes: Ouſchano filio David, benedictus ille, q venit in nomine Domini: Ouſchano in excelſis.

nachfolget / ſchrey vñ ſprach: Hoſianna dem Sohn David / gelobet ſey der da kommet in dem Namen deß HErren / Hoſianna in der Höhe.

Homilia.



DEus quidem habitat in luce inacceſſibili, 1. *Tim.* 6. *v.* 16. ſeipſum tamen variis operibus manifeſtavit. Inter ea cumprimis duo excellunt, quæ *magna Dei opera* rectè nuncupari poſſunt. Alterum eſt *mundi creatio*: Alterum verò *hominum redemtio*. Hinc Veteres *duas* præ reliquis *ſeptimanas* conſideratione dignas eſſe cēſuerūt, quas ob id *hebdomadas magnas* dixêre. *Duæ celebres ſeptimanæ.*

Prima eſt hebdomas *Creationis*, quando per intervalla ſex dierum omnia ſunt à DEO condita, de qua Geneſ. 1. *Secunda* eſt hebdomas *paſſionis*, in qua Chriſtus varia tormenta & mortem denique ipſam ſubiit.

Verè magna eſt hæc hebdomas 1. *Ob* infinitam iram Dei, quæ ibi placata. 2. *Ob* totius mundi ſcelera, quæ expiata. 3. *Ob* patientem, qui DEI filius. 4. *Ob* paſſionem, quæ atrox fuit & multiplex. 5. *Ob* paſſionis fructum varium, qui ad nos redundavit. Quod conſiderans Chryſoſtomus *Homil.* 30. *in c.* 10. Geneſ. ita ſcribit: *Magna eſt hæc ſeptimana, quia magna quædam & ineffabilia bona nobis contigerunt in illa*: Nam bellum diutinum *Creationis & Paſſionis.*

est solutum, mors extincta, maledictio interemta, Diabolus victus, vasa ejus direpta, Deus reconciliatus, & cœlum penetrabile factum.

Germani septimanam hanc vocant, Die Karwochen/ à vetusto vocabulo Kaar/quod mulctam vel satisfactionem pro pœnâ denotat. Pontificii nomen istud innuere dicunt satisfactiones humanas, quas frequenter hoc tempore imponunt sacrificuli: Verùm à Christi Passione & Satisfactione rectiùs derivatur.

Ordimur autem septimanam illam à præsenti Dominicâ, quæ *Palmarum* dicitur, à palmis, quas prætulerunt Christo Hierosolymam venienti, quem ingressum repræsentaturi Papicolæ, ramos spargunt, & *Asinum Palmarem* circumportant, quam stoliditatem descriptam vide apud Hospinianum, *lib. de Orig. Festorum Christ fol. 55.*

Partes Evangelij. Nos Asinis Asinum relinquentes, ipsum Evangelium considerabimus, cujus duæ possunt constitui partes: Prior de *Christi ingressu*, Posterior de *Discipulorum & populi applausu* agit.

Propositio. De *Priori* quædam proferemus in medium, posteriorem occasioni alii reservantes. *Faxit* Altissimus, ut ipsi grata, nobis utilia dicamus, Amen.

Ἐ'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

PRopheta Zacharias prævidens hunc ipsum Christi ingressum, sequentibus verbis exclamat, cap. 9. vers. 9. *Exulta filia Sion, & jubila filia Ierusalem.* Mirabilis hic est Introitus septimanæ Passionis. Si Christo patienti debemus compati, cur ad exultandum nos hortatur Propheta? Si dolere

lere debemus, jubilare quî poterimus? Sed sciendum est, duo hîc concurrere, 1. Christi *Passionem*, 2. Passionis *fructum*. Illa *tristandi*, hic *lætandi* materiam præbet. Si Christi verbera & plagas cogitamus, meritò dolemus: si commodum inde resultans attendimus, meritò gaudemus.

Quod ipsum luculentiùs ut appareat, præcipuas ingressus Dominici proprietates videbimus, quæ evincent satis evidenter, ipsam passionem, & ingressum Christi ad illam, exultationis & jubili ansam nobis omnibus subministrare.

I. Fuit ingressus spontaneus.

1. Ingressus Christi fuit spontaneus.

Christus versabatur extra Hierosolymam, & benè noverat sanguinaria Pharisæorum consilia. Ultrò tamen, nemine cogente, proficiscitur eò, nec vult secedere, sed suis hostibus semetipsum sistit. Prædictum hoc fuit Psalm. 40. v. 9. *Ecce venio: In volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.* Et Esa. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, nec aperuit os suum.* Præfiguratum est idipsum in Isaaco, *Gen. 22. v. 9.* & Aarone, *Num. 20. v. 23. seqq.* Hinc Salvator ait Joh. 18. v. 18. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso* Præclarè Augustinus: *Moriebatur Christus, non coactè, quia omnipotens: non jure, quia innocens: sed liberè, quia misericors & clemens.* Et Epiphanius: *Fecit Christum mori benignitas propria, non malignitas aliena.*

Magnum utique dilectionis argumentum est ingressus hic voluntarius. Nisi enim nos seriò amaret, ultrò se morti non exponeret. *O bone Iesu, quid tibi est? Nos debuimus & tu solvis? Nos peccavimus & tu luis!* ait Bernardus. Quid est homo,

quòd memor es ejus, & filius hominis, quòd visitas eum? *Psalm.8.v.5.* Annón in peccatis concipimur & nascimur? *Psal.51.v.7.* Annón sumus in ingressu viles, in progressu miseri, in egressu flebiles? Ante ortum sperma fœtidum, post ortum saccus stercorum, in occasu cibus vermium? Quid ergò in nobis invenisti, ut non tantùm diligeres, sed ultrò etiam pro nobis mortem subires? Sed hæc, hæc sunt illa divinæ misericordiæ viscera! *Luc.1. v.78.* hæc est illa Charitas, quâ nos dilexit, quum adhuc peccatores essemus, *Rom.5.v.8.*

Quid enim eum cœlo evocavit, nisi Charitas? quid flagellis, Cruci, morti subjecit, nisi ardentes illæ charitatis faces, & æstuans salutis nostræ desiderium? Illa, illa Charitas, de qua Salomon in Canticis, cap.8.v.7. *Aquæ multæ non potuerunt eam extinguere.* Exulta ob id filia Sion, & jubila filia Jerusalem. Ecce Salvator tuus venit: Ecce ingreditur, ut pro te patiatur! Confortamini, *Fratres,* quos tribulatio premit & angustia. Si Christus spontè venit ad satisfaciendum pro vobis, quantò magis veniet ad auxiliandum? Ibi mors fuit subeunda, hîc duntaxat verbulum requiritur. Num eum putatis quicquam vobis denegaturum, qui vitam ultrò tradidit, & caro sui sanguinis λύτρῳ vos redemit.

Interim ab ipsius exemplo discamus quoque patientiam. Si propter nos tot sustinuit, cur non & aliqua in illius gratiam pateremur? Rectè veteres: *Dedecus est sub capite spinato deliciari velle.* Christus ultrò crucem subiit; & nos divinitùs impositam non feremus? Quin potiùs semper memores simus aphorismi illius à Christo ipso præscripti,

præscripti, Matth. 10. v. 38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*

II. Fuit ingressus humilis. 2. Humilis.

Christus quidem Monarcha erat totius universi, nulla tamen cum pompa Hierosolymam ingreditur. Non Caballo, sed Asinæ insidet. Non prævias habet lanceas aut lituos, sed palmarum & olearum frondes. Non incedit splendido comitatu cinctus, sed piscatores ipsi serviunt. Non à magnatibus excipitur, sed à vili plebecula: quæ omnia coram mundo sunt abjecta, & in nullo precio. Hæc ipsa humilitas multos offendit, ut Christum & Christianos irriserint. Hinc gentiles occasionem sumserunt calumniæ, ut fideles vocarent *Asinarios*, uti refert *Tertullianus* in Apologetico. Romani Christum depinxerunt in formâ viri, sed Asini caput pedesq; habentis, cum hac inscriptione: *Hic est Christianorum Deus ὀνοκοιχέτης.*

Sed ut maximè hic ingressus mundo sordeat, nos tamen ob illum exultare, & jubilare debemus. Nostri enim caussâ se adeò demisit: nostra ipsum miseria commovit, ut quum in forma Dei esset, sese exinaniret, *Phil. 2. v. 6.* Ipse est humilis ille David, qui hodie sine armis contra Goliathum procedit, 1. *Sam. 17. v. 39.*

Cajus Cæsar Romæ in curru eburneo triumphavit, quem 40. Elephanti traxerunt. Nero nunquam ingressus est Romam, nisi mille Rhedis stipatus, soleis mularum argenteis. Sesostrin Ægyptiorum regem tradunt in curru vehi solitum, quem quatuor Reges sceptris & diademate superbi trahebant. Aureliani carpentum à cervis:

Antonii à Leonibus trahebatur. *Et ecce !* Orbis Dominus Asina invectus Hierosolymam hodie ingreditur, ejusq; principes non nisi piscatores sunt. Ubi nam estis Angeli ? quid agitis Cherubin ? Cur Dominum & regem vestrum non stipatis? Sed, *Vos Charissimi*, scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis, *2.Cor.8.v.9.*

Quanta igitur hæc vicissim bonitas est ? Ad amicos redimendos fortè quis bona sua elargiretur: sed nos inimici eramus, sic tamen à Christo dilecti, ut nostri causâ pauper fieret, aspectuque vilissimo incederet. Parati simus & nos in ejus gratiam omnia relinquere. Semper ipsum confiteamur, si maximè bona cuncta eripiantur. Tobias junior perpendens beneficia Raphaëlis Angeli, qui ipsum incolumem duxerat & reduxerat, dimidiam bonorum partem gratitudinis loco obtulit, dicens patri, cap. 12. vers. 2. *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* At longè majora in nos sunt Christi merita. Venit ad nos in mundum, Chirographum contra nos delevit, dæmonium compescuit, à cæcitate spirituali liberavit, bonisque omnibus replevit. Cur non igitur & ipsi aliquam bonorum partem offerimus? Si dedit nobis cœlestia, cur non in ejus gratiam relinquamus terrestria? Si non erubuit propter nos pauper fieri, dedecus esset, si bona seculi hujus ipsi anteponeremus.

3. Salutaris. III. Fuit ingressus salutaris, quippe qui plurima secum commoda nobis attulit. Christus enim ingreditur.

Ut

1. Ut *Rex*. Subditi Rege orbati, mœrent; Regem inaugurantes, gaudent. Gaudeamus ergò hodiè, quia cœlestis Rex advenit. Quum Jehu ab Elisæo Rex declararetur, omnes statim subditi pallia pedibus ejus substraverunt, clamantes: *Vivat Iehu, vivat Rex Iehu*, 2. Reg. 9. vers. 12. *Annón* rectiùs hodiè lætamur, quando Christum regem nostrum ingredientem videmus? Elevetur vox nostra, & dicamus cum populo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Et hoc eò magis, quò Christus Rex est omnibus regibus excellentior. Nam ipse (1) *Rex est æternus*, cujus potestas sempiterna, *Dan. 7. v. 14.* cujus regnum non habet finem, *Luc. 1. v. 33.* Nemo coronam ejus tollet: Infixa est capiti, & auferi nequit (2) *Rex est Oecumenicus*, qui dominatur à mari usque ad mare, *Psal 72. v. 8.* cui data est omnis potestas, *Matth. 28. v. 19.* & nomen super omne nomen, *Philip. 2. v. 10.* qui est super omnia, *Ephes. 1. v. 22.* & caput omnium, *Coloss. 2. v. 10.* ideque dicitur Rex Regum, & dominus dominantium, *Apoc. 19. v. 16.* Uti Saul altior fuit universo poplo quoad staturam, *1. Sam. 9. v. 2.* Sic Christus altior est universis regibus quoad potentiam. (3) *Rex est omniscius*. Noverat enim Asinam alligatam noverat locum & herum, noverat sermones, quos possessor Asini cum discipulis esset habiturus. Dei hæc sunt opera, non nudi hominis. Deus est, qui ut omnia gubernat, sic omnia novit & providet. Ipse cor intuetur, *1. Sam. 16. v. 7.* Ipse scit cogitationes hominum, *Deut 31. v. 21.* Ipse renes probat, & corda scrutatur, *Psal. 7. v. 10. Ierem. 17. v. 10.* (4) *Rex est Omnipotens*. Quum enim discipuli herAsini dicerent: *Dominus his*

Quia venit: 1. Ut Rex.

Aeternus.

Oecumenicus.

Omnipotens.

opus habet, mox ad verbum hoc dimittit Asinum & obtemperat. Tantæ nimirùm virtutis est Rex noster, ut nemo ipsi possit reluctari. *Ego sum Deus omnipotens*, dicit Abrahamo, *Gen. 17. v. 1.* Potestati ergò & voluntati ejus quis resistet? *Rom. 9. v. 19.* (5) *Est Rex mansuetus*. Non ingreditur cum tonitru & fulgure, ut in monte Sina factum, *Exod. 19. v. 16.* sed venit mitis & placabilis, non ut timeretur propter potentiam, sed ut amaretur ob mansuetudinem, de qua loquitur Esaias *cap. 42. v. 3. 4.* & Christus ipse *Matth. 11. v. 29.* Venite ergò ad regem hunc qui onerati estis. Non ignorat vestras angustias, quia omnisciusest. Non desunt vires juvandi, quia omnipotens est. Non negliget preces vestras, quia mansuetus est. Ipsum invocate, & exaudiet. Ad ipsum currite, & exaltabimini. Davidem sequebantur omnes in angustia cõstituti, & tandem liberati sunt, *Sam. 22. v. 2.* Ita Christum sequamur & excipiamus hodiè: sic sub umbra alarum nos proteget, & adversus inimicos quosvis potenter defendet.

Mansuet9

2. Ut Redemtor.

2. *Ut Redemtor.* Allegoricè hoc innuitur per solutionem Asinæ alligatæ, & Pulli. Asina Judæos denotat, qui conclusi erant sub jugo Legis, *Galat. 3. v. 23.* Pullus Asinæ repræsentat gentiles ferocientes, qui in desideriis suis ambulârunt, *Act. 14. v. 15. Eph 2. v. 3.* Propter hos Christus venit, & discipulos emisit, ut illos solverent, & ad spirituale regnum adducerent. Neque verò in genere tantùm Redemtor est, sed singulos etiam solvit & liberat, homo enim prout nascitur, rectè Asino Palmari comparatur.

Nam (1) Asinus est animal solidissimum, sic hominis

hominis intellectus naturâ est excæcatus, *Ephes. 4. v. 18. c. 5. v. 8. 1. Cor. 2. v. 14.* unde & multi Asinâ Bileami stultiores sunt. Illa enim Angelo cedebat, *Num. 22. v 23.* Multi autem si maximè Deum sibi adversantem videant, non tamen cedunt, sed in malitiâ pergunt. (2.) Asinus animal pigrum est, & labores fugit: Sic homo tardus est & segnis ad bonum, quia figmentum cordis humani malum est à pueritia, *Gen. 6. v. 5. cap. 8. v. 21. Psal. 14. v. 2.* (3.) Asinus est animal timidum, metúque facilè concutitur: Sic homo naturâ sibi metuit, quia Deum peccatis offendi novit, quâ de causâ fugiebat Adam, *Gen. 3. v. 8.* quùm Deum loquentem post lapsum audiret. (4.) Ligati sumus quoad omnes potentias. Ligata est *mens* per ignorantiam, *voluntas* per malitiam, *memoria* per oblivionem. Ligatæ sunt *aures*, nec lubenter verbum Dei audiunt. Ligatæ sunt *manus*, quæ pauperibus difficulter subveniunt. Ligata est *lingua*, nec laudes & beneficia Dei decantat. Ita ergò undiquaque ligati quùm simus, Christus venit, & quotidie ministros suos emittit. His data est potestas solvendi, *Matth. 18. vers. 18. Iohan. 20. vers. 23.* quibus si obsequimur, ad Christum mox adducimur. Non igitur recalcitremus, sed promto animo sequamur. Secus qui faciunt, ligati semper manent, & tandem æternis cum Diabolo catenis vincientur.

Homo propter corruptionem naturalẽ Asino cõparatur.

Plures addi possunt respectus, quòd nempe Christus ingrediatur ut *Salvator*, ut *Sanator*, ut *Doctor*, ut *Via, Veritas & Vita*, quæ omnia exultandi materiam præbent amplissimam, de quibus alio tempore prolixius solet disseri.

Nos jam occurramus Domino ingredienti, & excipiamus eum verâ fide, cordísque humilitate non ficta: substernamus *vestimenta*, hominem veterem deponendo, & pauperibus benefaciendo: præcidamus *Ramos*, mala opera abjiciendo, & sanctorum exempla imitando. Hi enim sunt instar arboris à Deo plantatæ, *Psal. 1. v. 3.* Hos ergò quùm imitamur, ramos à bonis arboribus præcidimus. Ab Abrahamo abscindamus ramum *fidei*: à Davide ramum *mansuetudinis*: à Maria ramum *humilitatis*: *precum* à Cananæa: *Pœnitentiæ* à Petro, & *Patientiæ* à Paulo. Hosce virtutum ramos præferamus Domino, & acclamemus læti cum populo. Ita cordis quoq; nostri penetralia ingredietur, & tandem in cœlestem Hierosolymam perducet, ubi æternum Hosianna cantabimus, & de omnibus inimicis triumphabimus. *Cujus gaudij & triumphi* participes nos reddat Rex gloriæ, qui venit in nomine Domini, cui sit laus & virtus, & benedictio in æternum, Amen.

EVANGELIUM
FESTO PASCHATOS,

Marc. 16. à v. 1. usque ad 9. Matth. 28. v. 1. Luc. 24. v. 1. Ioh. 20. v. 1.

De Resurrectione CHRISTI.

V. 1. Καὶ διαγενομένου τοῦ Σαββάτου, Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, καὶ

ET quum præteriisset Sabbatum, Mariam Magdeloitho, & Mariam Jaakoub, &

Vnd da der Sabbat vergangen war/ kaufften Maria Magdalena/ vnd Maria Jacobi vnd

Σαλώμη

Σαλώμη ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν τὸν Ἰησοῦν.	Scholoum, emerunt aromata, ut venirent eum uncturæ.	Salome Speccrey auf das sie kämen / vnd salbeten jhn.
2. καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς Σαββάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸν μνημεῖον, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.	Diluculo verò primo Sabbati, venerunt ad domum sepulcri quum Sol esset exortus.	Vnd sie kamen zum Grabe an einem Sabbather sehr frühe / da die Sonne auffgieng.
3. καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτὰς, τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου;	Et dicebāt apud se, sed quis revoluturus est nobis saxum ab ostio domus sepulcri.	Vnd sie sprachen vntereinander: wer wältzet vns dē stein von des Grabes Thür.
4. καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα.	Et respicientes vident devolutum esse saxum. Erat enim ingens admodum.	Vnd sie sahen dahin / vnnd wurden gewahr / das der Stein abgewältzet war / Denn er war sehr groß.
5. καὶ εἰσελθοῦσαι εἰς τὸν μνημεῖον, εἶδον νεανίσκον καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκὴν, καὶ ἐξεθαμβήθησαν.	Ingressæ itaque in domum sepulcri conspicantur adolescentem sedentem à dextera, & indutum stola candida, & perculsæ sunt.	Vnd sie giengen hinein in dz Grab / vnnd sahen einen Jüngling zur rechten Hand sitzen / der hatte ein lang weiß Kleyd an / vnnd sie entsatzten sich.
6. ὁ δὲ λέγει αὐταῖς, μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν Ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον. ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν	Is autem dixit eis, Ne timeatis, JESCHUA Nazarenum quæritis, illum qui fuit crucifixus; sur-	Er aber sprach zu jhnen: Entsetzet euch nicht / Jhr suchet JEsum von Nazareth / den gecreutzigten / Er ist

ὧδε,

ὧδε. ἴδε ὁ τόπος ὅπου ἔθηκαν αὐτόν.

rexit, non est hîc: en locus ubi positus fuerat.

auferſtanden/ vnd iſt nicht hier/ Sihe da die Stätte/ da ſie jhn hinlegten.

7. ἀλλ᾽ ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, καθὼς εἶπεν ὑμῖν.

Sed abite dictu-rę diſcipulis ipſius, & Kipho, Ecce prę it vobis in Galilæã, illic eum videbitis, ſicut dixit vobis.

Gehet aber hin/ vnd ſagets ſeinen Jüngern/ vnd Petro/ daß er für euch hin gehen wird in Galileã/ da werdet jhr jhn ſehen/ wie er euch geſagt hat.

8. καὶ ἐξελθοῦσαι ταχὺ ἔφυγον ἀπὸ τοῦ μνημείου. εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· ἐφοβοῦντο γάρ.

Quod quum audiſſent, currentes exiluerunt è ſepulcro: tenebat enim eas ſtupor & tremor, & nemini quicquã dicebant, quippe quæ expaveſcerent.

Vnd ſie giengen ſchnelle herauß/ vñ flohen von dem Grabe/ denn es war ſie zittern vnd entſetzen ankom̃en/ vnnd ſagten niemand nichts/ denn ſie furchten ſich.

Homilia.

Exhortatio ad excipiendum & laudandum Christum.



Ox Christi, quâ Eccleſiam alloquitur *Cant. 2. v. 10.* ad hodiernum inprimis festum pertinet. Hæc enim est illa dies, quâ Dux vitæ tumulo egrediens, vocem elevat & lætus intimat: *Surge propera amica mea, & veni. Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſsit.* Surgite, ô *fratres mei,* & venitę: tranſiit hyems paſſionis, & abiit imber lacrymarum. Satis ploratum eſt: Diu ſatis nos ira Dei preſſit, Satanas irriſit, Lex accu-

ſavit,

ſavit, conſcientia damnavit. Nunc, nunc *poſt nubila Chriſtus* apparet, poſt mortem reviviſcit, poſt pugnam triumphat.

Uti Sol ille, quem oculis intuemur, occidit quidem, ſed poſt occaſum rurſus veluti redivivus in oriente cernitur: Ita Sol juſtitiæ, Dei filius occidit in cruce, ſed nunc redivivus, ſummo fulgore rutilans exoritur. Surgite ergò & Chriſto reſurgenti obviam procedite. Venite & aſcendamus ad montem Domini, ut ipſum debitâ reverentiâ excipiamus.

Quùm Abraham viciſſet Regem Chödorlaomor, Rex Salem Melchiſedech exivit, & benedixit, *Gen. 14. v. 18. 19.* Hodiè vicit Leo de tribu Juda *Apoc. 5. v. 5.* & infernalem Chödorlaomor ſpoliavit. Exeamus ergò & occinamus hilares: *Benedictus ſit Deus excelſus, qui nos protexit, & hoſtes in fugam conjecit.*

Submerſo Pharaone cecinit Moſes & filij Iſrael carmen hoc, & dixerunt: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt,* Exod. 15. v. 1. Chriſtus Jeſus peccata noſtra ſubmerſit, & ſuâ mortem victoriâ abſorpſit. Cantemus pariter & dicamus: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum,* verſu 6.

Iſraëlitæ devictis Ammonitis congregati ſunt in valle benedictionis, Deo pro victoria gratias agentes, *2. Paral. 20. v. 26.* Ita & nos congregati jam ſumus in domo Altiſſimi, ut celebremus nomen ejus, quia fecit nobis magna & proſtravit inimicos noſtros. Laudate igitur Jehovam, quoniam bonus eſt: Pſallite nomini ejus, quoniam

ſuavis

suavis est, *Psalm. 135. v. 3.* Benedictus sit *Pater*, qui resuscitavit filium: Benedictus sit *Filius*, qui vicit infernũ: Benedictus sit *Spiritus Sanctus*, qui hanc victoriam in cordibus nostris confirmat, & obsignat. Benedicta sit gloriosa & Sacrosancta *Trinitas*, pro omnibus beneficiis in nos collatis, ex hoc nunc & usque in seculum.

Partes Evangelij. Præmisso hoc ἐπινικίῳ ad Evangelij considerationem pergimus, cujus duæ sunt partes: *Prior* mulieres ad sepulcrum venientes, à v. 1. usque ad 6. *Posterior* Angelum ex sepulcro concionantem describit, v. 6. 7. 8.

Propositio. Quùm verò textus sit clarissimus, de nostra resurrectione quædam proponemus, dicturi: *Quomodo cum Christo ita possimus resurgere, ut beneficiorum omnium reddamur participes?*

Dux vitæ nos adjuvet, ut omnia cedant in nostram resurrectionem & salutem, Amen.

TRACTATIO.

Duplex Resurrectio. GEminam esse resurrectionem hominum primam & secundam, patet ex *Apocal. 20. vers. 5. 12.* Quid verò intelligendum sit, non æquè planum est.

Fuerunt, qui Christum dixêre visibiliter rediturum in terras, & cum sanctis regnaturum variásq; delicias captaturum per mille annos, quos ob id nuncupârunt χιλιαστὰς vel *Millenarios*, χίλιοι enim sunt mille, de quo legatur Augustinus *lib. 20. de Civit. Dei, cap. 7.* In eodem errore hæret *Lactantius* lib. 7. Instit. cap. 24. 25. 26. *Irenæus, Tertullianus, & Apollinaris*, uti referunt *Hieronymus*

mus in cap. 36. Ezech. & *Eusebius* lib. 3. histor. cap. ult. Hi omnes per resurrectionem primam intellexerunt *tempus istud mille annorum*, quo CHRISTUS in carne cum sanctis mundano more sit regnaturus. Qui error quùm planè carnalis sit, & in fidei ἀναλογίαν impingat, meritò exploditur.

Neque hîc moramur *Iudæorum* fabulas, qui blaterant, primùm pios resuscitatum, & pingui convivio exhilaratum iri, eámq; resurrectionem nominari primam. Hæc enim somnia sunt, & suaves φαντασίαι, omni fundamento destitutæ. In resurrectione mortuorum neque nubent, neq; bibent, aut delitias capient, sed Angelis erunt similes, *Matth.* 22. *v.* 30.

Rejectis ergò aliorum commentis, nos scripturam consulamus, quæ docet, aliam *corporis*, aliam *animæ* mortem esse, ideoque geminam resurrectionem dari. Mors *Corporis* consistit in separatione animæ, uti notum: Sed mors *Animæ* est gratiæ ablatio, quæ fit per peccata, quippe inter Deum & homines dividentia, *Esa.* 59. *v.* 2. Ut enim corpus naturaliter per animam: sic anima spiritualiter per Dei gratiam, & Spiritus Sancti κατοίκησιν vivificatur. *Mors Corporis. Et Animæ.*

Quùm ergò in statu peccati est homo, tùm spiritualiter mortuus rectè dicitur. Hoc sensu Christus ait, Matth. 8. v. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Utraque mortis species hîc conjungitur, siquidem per mortuos sepelientes *spiritualiter*, per sepeliendos *corporaliter mortui* intelliguntur. Sic Johan. 5. vers. 25. ait Salvator: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem*

filij

filij Dei: ubi vicissim de morte animæ sermo fit. Sic Apostolus de vidua in peccatis hærente pronunciat, 1. Tim. 5. v. 6. *quòd vivens mortua sit.*

Quia verò omnes in peccatis nascimur, *Psal.* 51. *v.* 7. & iræ filij, *Ephes.* 2. *v.* 3. Hinc nos omnes ex primâ nativitate spiritualiter mortuos esse consequitur. Et hæc etiam inter cætera mors illa fuit, quam Dominus protoplastis minabatur, *Genes.* 2. *v.* 17.

Quid sit resurrectio prima?

Quibus ita præsuppositis, facile intellectu est, quid prima, quid secunda sit resurrectio. *Prima* nihil potest aliud esse, quàm è statu peccati in statum gratiæ translatio. Ita enim de novo vivificamur, & cum Deo copulamur, de qua resurrectione mystica prolixè agit Apostolus, *Rom.* 6. Et hanc ipsam innuit, quùm *Ephes* 5. *vers.* 14. monet: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Qui hoc modo resurgunt, beati dicuntur ab Apostolo, Apoc. 20. vers. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda* (id est æterna) *mors non habet potestatem.* Resurgat ergò in primâ, qui non vult in secundâ resurrectione damnari, ait Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 7. Est autem *secunda* ipsa corporum resurrectio, quæ fiet in extremo judicio. Augustinus utramque speciem breviter ita describit l. d. *Duæ sunt resurrectiones, una prima, quæ nunc est, animarum quæ venire non permittit in mortem secundam: alia secunda, quæ nunc non est, sed in seculi fine futura est: nec animarum, sed corporum est, quæ per ultimum judicium alios mittet in secundum mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem.*

Quid secunda?

Et

Ex quibus omnibus discrimen utriusq; resurrectionis facilè apparet. Nam *prima* nunc fit, *secunda* fiet olim. *Prima* est animarum præcipuè: *secunda* corporum. *Prima* est duntaxat fidelium: *secunda* erit omnium. In *prima* Deus misericordiam ostendit, in *secunda* judicium exercebit. *Prima* perdi & reiterati potest: *Secunda* tantùm semel contingit. *Primæ* omnes vitæ dies, *secundæ* una tantùm dies tributa est. *Primam* oportet præcedere, si *secunda* debet gloriosa esse. Nisi enim anima ante corpus resurgat, tum corpus quidem vivificabitur, sed ut in sempiternum torqueatur. Non igitur negligamus tempus animæ resurrectioni destinatum. Nunc à peccati morte surgamus, novisque moribus Christiano dignis animam exornemus: corporis ornatum & pulcritudinem in extremum diem differamus.

Discrimen resurrectionis primæ & secundæ.

Porrò autem videndum est, quo pacto mysticè possimus resurgere, ut Dei gratia fruamur, & per illam vivificemur? Hoc facilè addiscemus, si circumstantias modúmq; resurrectionis Christi probè consideremus, & illius exemplum imitemur. Quæ enim ibi contigerunt, ad resurrectionem spiritualem ἀλληγορικῶς accommodari possunt, ita quidem, ut si obsequamur, de quolibet nostrum dici queat, quod de Christo dixerunt Angeli: *Surrexit non est hic.*

Circa corporalem Christi, & nostram spiritualem resurrectionem observetur

I. Prima circumstantia fuit, Terræ Commotio: Matthæus enim Christi resurrectionem describens, *Ecce,* inquit, *terræ motus factus est magnus,* cap. 28. v. 2. Tremuit verò terra, (1.) Ob *lætitiam,* ut quæ in Passione concussa fuerat horrore; jam subsilire videatur præ gaudio. (2.) Ob

1. Terræ Commotio.

Cur terra sit commota?

ruentem inferni domum. Ut enim mœnia Hierichuntica corruerunt, acclamantibus militibus, *Iof.* 6. Sic facto terræ motu tyrannicum Satanæ dominium concidit. (3.) Ob *descensum Angeli,* cujus præsentia & potentia per terræ motum indicatur, ut ipse *Matthaus* innuit. (4.) Ad *terrendos custodes,* quò timore consternati fugerent, & hæc Judæis nunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis, ut *Enthymius* loquitur. (5.) Ad *notandam resurgentis majestatem.* Leo cubile, in quo habitat, tremere facit, inquit *Isidorus* lib. 22. Origin. Et *Chrysologus* Serm. 77. *Si sic tremuit, quùm suorum Dominus resurgit ad veniam: quomodo contremiscet, quùm noxiorum resurget ad pœnam?*

Jam quod nostram resurrectionem spectat; & in illa commotio quædam prærequitur. Cor nostrum naturâ est terreum & saxeum, *Ezech.* 11. *v.* 19. *cap.* 36. *v.* 26. Durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea, *dicit* Dominus Judæis, *Esa.* 48. *v.* 4. Quare ut è peccati tumulo surgamus, cor istud terreum prius commovendum & emolliendum est, quod fit per seriam contritionem. Hæc consistit in scelerum agnitione sincerâ, confessione humili, deprecatione devota, pœnarum consideratione attentâ, & dolore, qui sequitur inde, non simulato. Per hosce gradus & actus cor nostrum facilè concutitur, & ita percellitur, ut ad futuram resurrectionem haut parum præparetur. Paulatim enim sibiipsi displicere, DEO autem placere incipit, juxta illud Psalm. 51. vers. 19. *Sacrificium DEO spiritus contribulatus: cor contritum & confractum DEUS non despicies.*

II. Cu-

II. Custodum præteritio: Pharisæi sepulcrum muniverant nonnullis custodibus, ne discipuli Christum furarentur, *Matth. 27. v. 64.* Sed illos nequaquam metuit perruptor mortis: per medium ipsorum transiit imperterritus, & magnâ virtute surrexit.

2. Custodum præteritio.

Habet suos etiam custodes Diabolus, qui nos velut obsident, & resurrectionem impedire tentant. Intra nos *Caro est*, quæ vigilat concupiscendo: Extra nos *Mundus est*, qui vigilat seducendo. Hos custodes emittit, & irritat Satan, quamprimùm resurrectionis signa quædam animadvertit. Ibi caro reluctatur, ibi filij hujus seculi dissuadent, & ad voluptates blandè invitant, prout sermo ipsorum describitur, *Sap. 2. v. 1. seqq.* Nos autem meminerimus, hos Diaboli esse custodes, ad impediendam ἀνάστασιν nostram ablegatos. Quare cum Christo transeamus confidenter, & obloquium istorum nihil curemus. Quùm volucres super animalia mactata ab Abrahamo descenderent, mox abigebat eas, *Gen. 15. v. 11.* Imitemur, & pellamus à nobis infernales vigiles, immundas hujus seculi aves, quæ corda nostra polluere conantur.

Pambo eremita, Athanasij accersitu ex solitudine profectus Alexandriam, vidit mulierem in pompâ sumptuosiùs ornatam, quò homines ad se spectandum invitaret. Quâ conspectâ, statim lacrymas profudit, & caussam sciscitantibus respondit, *se duabus rebus commoveri: Vnâ,* quòd mulierem videret sibi exitium parare; *alterâ*, quòd ipse non tanto studio ad id ferretur, ut se DEO probaret, quanto illa in id, ut homi-

nibus blandiretur, incumberet, ut est apud *Socratem* lib. 4. cap. 18. Utinam nos omnes hujusmodi Pambones essemus! Utinam quæ nobis per Satanæ custodes insidiæ struantur, penitiùs consideraremus! Certè velociùs multi è peccato surgerent, quàm surgere solent.

Quùm Christus è tumulo prodiisset, custodes territi sunt, & facti velut mortui, aufugerunt: Ita si in pio proposito pergamus éque scelerum sepulchro surgamus, mox attoniti reddentur vigiles: fugiet Satan, secedent impij, tacebit & frenabitur caro, ut in novitate vitæ ambulemus, & Deo placere valeamus.

3. Quòd vera & totalis Resurrectio. III. Ad modum Resurrectionis Dominicæ & hoc pertinet, quòd fuit vera & totalis Resurrectio. Non enim fictè aut φαντασικῶς, sed ὄντως vel verè surrexit Dominus, uti referunt Emauntici, *Luc. 24. v. 34.* Neque duntaxat aliqua, sed omnia ejus membra totúmque corpus vivificatum, iterumq; animatum fuit.

Utrumque in nostra etiam ἀνασάσει requiritur: 1. *Vera sit*, non simulata, vel hypocritica. Pharisæi multùm gloriati sunt de sanctitate suâ, & resurrectione mystica, sed hypocritæ dicuntur, *Matth. 23. v. 13.* quibus annumerari potest Ananias cum uxore, *Actor. 5. v. 3.* & Simon Magus, *Actor. 8. v. 18.* qui omnes surrexerunt tantùm apparenter, & quoad speciem. Nos verò resurgamus verè cum Christo, ut simus nova creatura, *2. Cor. 5. v. 17.* & nova consperſio, *1. Cor. 5. v. 7.* Ut autem veritas resurrectionis Dominicæ demonstrata est per tactum, visum & gustum, *Luc. 24. v. 39.* ita & nos tùm verè surrexerimus, si tribulationibus nos tangi pa-

gi patiamur, ſi Chriſtum oculo fidei conſtanter intueamur, & tandem pane vitæ veſcamur, non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis, ut *1. Cor. 5. v. 8.* admonemur. 2. *Totalis ſit*, ut ſecundũ omnes potentias ſurgamus, Deóque ſoli adhæreamus. Non dividendum eſt cor, ſed totum Deo conſecrandum. Vera mater noluit infantem dividi, *1. Reg. 3. v. 26.* Ita Pater noſter, qui in cœlis eſt, nos ſibi totos vendicat, partitionem non admittit. Surgamus ergò quoad omnia membra. Surgat *Cor*, fideliter credendo: ſurgat *Lingua*, Deum celebrando: Surgant *Manus*, liberaliter dando: Surgant *Aures*, attentè auſcultando: Surgant *Oculi*, vanitatem non aſpiciendo. In ſumma, ſic exuamus veterem hominem, ut cum Johannis diſcipulo in viam redeunte queamus dicere: *Ego non ſum ego.* Hoc enim reſponſum dedit meretrici, cum quâ ſceleratè vixerat, & quæ ipſum poſt pœnitentiam compellabat.

IV. Linteaminum depoſitio. Quùm enim Petrus introiiſſet monumentum Chriſti, vidit linteamina poſita, & ſudarium, *Iohan. 20. v. 6.* Ita & nos deponamus linteamina peccati, quibus ſumus involuti. Lazarus ſurrexit, ſed cum ſudario, *Ioh. 11. v. 44.* & iterum mortuus eſt. Chriſtus ſurrexit, ſed absq; ſudario, & nõ moritur amplius, *Rom. 6. v. 9.* Ita ſi & nos exuvias veteres relinquamus: à Satana tam facilè ſeduci non poſſumus. *4. Linteaminum depoſitio.*

Duo autem in genere ſunt linteamina fœtida, quæ deponi debent. Alterum *Infidelitatis*: alterum *Impietatis*. Ut enim Chriſtianiſmus noſter conſiſtit in fide verâ, & vitâ ſincera: ſic illi contrariatur partim ἀπιστία, partim ἀδικία. Quid Pon- *Duo deponenda, Infidelitas & Impietas.*

tificios impedit, quò minùs resurgant? *Linteamen operum*, quo sic implicati sunt, ut alia ratione cœlum non aperiri putent, quàm illâ. Quid Calvinianos? *Linteamen stultæ rationis*, quæ ipsos sic fascinat, ut videntes videre nequeant. Sic vitam Christiani quod attinet, datur velamen triplex: *1. Superbiæ, 2. Avaritiæ, 3. & Voluptatum*, 1. Joh. 2. v. 16. Qui his pannis involuti sunt, nunquam resurgunt. Nos igitur isthæc omnia in sepulcro peccati relinquamus, & cum Christo absque linteaminibus surgamus.

Quid ratio in sacris, nisi deliteratio rebus.

Quid est honor? Bonum fragile, laboriosum & inconstans. Quid divitiæ? spinæ sunt, quibus pungimur, *Luc. 8. vers.* 14. Quid voluptates? Malorum escæ, & pulvinaria Satanæ. Cur linteamina tam magnifaciemus, & interim vitam ipsam perdemus?

5. Matutina resurrectio. V. Fuit Matutina Resurrectio. Mulieres valdè manè veniunt ad sepulcrum, *Marci 16. v. 2.* & tamen jam ante ipsarum Adventum Christus surrexerat. Nam Patres pleriq; statuunt, Resurrectionis Dominicæ tempus fuisse circa primum gallicinium, quod Dominici diei lucem prætulerit, ut *Euthymius* loquitur.

Monet nos hæc ἀνάστασις matutina, ne differatur pœnitentia. *Humanum enim est peccare, sed diabolicum in peccatis perseverare*, juxta Gregorium. Labi facilè possumus, & spiritualiter mori: Videamus autem, ne nimis diu in peccati tumulo jaceamus. Manè & violenter surgendum est cum Christo. Dicamus cum Psalte ex Psal. 57. v. 9. *Exurgam diluculo, confitebor tibi Domine, &c.*

Psalmum dicam inter populos. Qui verò tempus matutinum negligunt, tandem peribunt, exemplo antediluvianorum, *Genes 7.* Sodomitarum, *Gen. 19.* Belsazeris, *Dan. 5.* Incerta mors: te nihil tale opinantem potest invadere. Væ tibi, nisi tum partem habeas in resurrectione prima! Non ergò tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, *Syr. 5. v. 8.* Pœnitentia sera, rarò est vera. Stultum foret primùm velle serere, quando debemus metere. Fatuus est, qui morte urgente, vestem nuptialem sibi primùm parari curat, quũ antè paratam habere oporteat. Non simus Elephanti, qui prostrati resurgere nequeunt, & à venatoribus capiuntur: sed hodiè surgamus cum Christo, ne æternùm cogamur exulare è cælo. Hodiè deponamus linteamina peccati, ne contrahamus reatum inferni, ex quo nulla est redemptio, nulla datur Resurrectio.

VI. Ultimum quod circa Christi ἀνάστασιν considerari debet, est perpetua vitæ duratio. Christus enim resuscitatus ex mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur, *Rom. 6. vers. 9.* Quare & nos sic resurgamus, ne in casses Satanæ iterum incidamus. Quid Saulo, quid Judæ profuit, quòd à peccati sepulcro semel prodierunt? Perseverandum est, & in cursu pietatis pergendum. Sic currite, ut comprehendatis, *1. Corinth. 9. vers. 24.* Esto fidelis usq; ad mortem, *Apocal. 2. vers. 10.* Qui perseveraverit salvus erit, *Matth. 10. v. 22.* Ecce, jam sanus factus es, vade, & noli ampliùs peccare, ne deterius aliquid contingat tibi, *Ioh. 5. v. 14.* *6. Perpetua vitæ duratio.*

Quia verò hæc omnia in nostris non sunt sita viribus, *Votum.*

viribus, Christum mortis victorem supplices veneramur, ut ipse nobis succurrat, & è peccati sepulcro excitet. Move cor nostrum, *ô Triumphator potentissime*, ut pœniteat: Anima nos, ut per medios Satanæ custodes transeamus: effice, ut ὄντως, ut totaliter & manè resurgamus, omniáque veteris Adami linteamina deponamus, & in novitate vitæ semper incedamus. Fac quæsumus, ut hîc resurgat anima nostra per gratiam, ut olim corpora resurgant ad æternam gloriam, ubi cum omnibus beatis canemus hilari voce & mente, ex 1. Cor. 15. v. 55. 57. *Absorpta est mors in victoriam; Vbi est mors stimulus tuus? Vbi tua inferne victoria? Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum*, in secula benedictum, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA QUASIMODOGENITI,

Iohan. 20. à vers. 19. usque ad fin.

De CHRISTI apparitione, discipulis factâ.

V.19. ΟΥσης οὖν ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν Σαββάτων, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς

QUum autẽ esset vespera diei illius primi hebdomadis, & januæ essent clausę ubi erãt discipuli, propter metum Jihoudæorum, venit Jeschua,

AM Abend aber desselbigẽ Sabbaths/da die Jünger versamlet/ vnd die Thüren verschlossen warẽ/ auß forcht für den Juden/ Kam JEsus

καὶ

καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἰρήνη ὑμῖν.	ſtetitque inter eos, & dixit eis, Pax vobiſcum.	vnd trat mittē ein/ vnnd ſpricht zu jhnen: Friede ſey mit euch.
20. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ. ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τὸν κύριον.	Hoc dixit, & oſtendit eis manus ſuas & latus ſuum, Gaviſi ſunt itaque diſcipuli quum viderunt Dominum noſtrum.	Vnd als er das ſagete: Zeiget er jhnen die Hände vnd ſeine Seiten. Da wurden die Jünger froh/ das ſie den HErrn ſahen.
21. εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς πάλιν, εἰρήνη ὑμῖν. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς.	Dixit autem eis Jeſchua, Pax vobiſcum, ſicut miſit me Pater meus, & ego mitto vos.	Da ſprach JEſus abermal zu jhnen: Friede ſey mit euch/ Gleich wie mich der Vater geſand hat/ ſo ſende ich euch.
22. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησε, καὶ λέγει αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον. ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίονται αὐτοῖς.	Quumq; hæc dixiſſet, inſufflavit in eos, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctitatis. Si remiſeritis peccata cuiquam, remittuntur ei;	Vnd da Er das geſagt hatte: Bließ er ſie an/ vñ ſpricht zu jhnē: Nemet hin den heiligen Geiſt/ welchen jhr die Sünde erlaſſet/ denen ſind ſie erlaſſen.
23. ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.	Sin alicujus retinueritis, erunt retenta.	Vnd welchen jhr ſie behaltet/ denen ſind ſie behalten.
24. Θωμᾶς δὲ εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος δίδυμος,	Thouma autem unus ex duodecim is qui dicitur Gemellus, nō erat il-	Thomas aber der Zwölffen einer/ der da heiſſet Zwilling/ war nicht bey jhn-

οὐκ ἦν μετ᾽ αὐτῶν ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς.

lic cum eis quum venit Jeschua.

nen / da JEsus kam.

25. ἔλεγον οὖν αὐτῷ οἱ ἄλλοι μαθηταὶ, ἑωράκαμεν τὸν κύριον. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, οὐ μὴ πιστεύσω.

Et dicunt ei discipuli, vidimus Dominum nostrũ. Ille verò dixit eis, Nisi videro in manibus ejus locum clavorum, & conjecero in eum digitos meos, & immisero manum meã in latus ejus; nequaquam crediturus sum.

Da sagten die andern Jünger zu jhm: Wir haben den HErren gesehen. Er aber sprach zu jhnen: Es sey denn / das ich in seinen Händen sehe die Nägelmal / vnd lege meine finger in die Nägelmal / vnnd meine Hand in seine Seite / will ichs nicht glauben.

26. καὶ μεθ᾽ ἡμέρας ὀκτὼ πάλιν ἦσαν ἔσω οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ Θωμᾶς μετ᾽ αὐτῶν. ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ εἶπεν, εἰρήνη ὑμῖν.

Octo itaque pòst diebus, rursum intus erant discipuli, & Thouma cum eis, & venit Jeschua quũ clausæ essent valvæ, stetitque in medio, ac dixit eis, Pax vobiscum.

Vnnd vber acht Tage waren abermal seine Jünger drinnen / vnd Thomas mit jhnen. Kommet JEsus / da die Thüren verschlossen waren / vñ trit mitten ein / vnd spricht: Friede sey mit euch.

27. εἶτα λέγει τῷ Θωμᾷ, φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου, καὶ φέρε τὴν χεῖρά σου, καὶ

Dixitq; Thoumæ, Infer digitum tuum huc; & aspice manus meas & profer manum tu-

Darnach spricht er zu Thoma: Reiche deinen Finger her / vnd sihe meine Hände / vnd reiche

βάλε

βάλε εἰς τὴν πλευράν μου, καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός.

28. καὶ ἀπεκρίθη Θωμᾶς καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου.

29. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας. μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες.

30. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ.

31. ταῦτα δὲ γέγραπται ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

am, & immitte in latus meum; nec ſis incredulus, ſed fidelis.

Et reſpondit Thouma, dixitque ei, Domine mi, & Deus mi.

Dixit ei Jeſchua, Nunc quia vidiſti me, credidiſti: Beati illi qui non viderunt me, & crediderunt.

Multa porrò ſigna alia edidit Jeſchua coram diſcipulis ſuis, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro.

Quin & hæc ſcripta ſunt, ut credatis Jeſchua eſſe Meſchicho Filiū Dei: & quum credideritis, habeatis in nomine ejus vitam æternam.

deine Hand her/ vnnd lege ſie in meine Seiten/vnd ſey nicht vnglaubig/ ſondern glaubig.

Thomas antwortet/ vnd ſprach zu jhm: Mein HErr vnnd mein GOtt.

Spricht JEſus zu jhm: Dieweil du mich geſehen haſt/ Thoma/ ſo glaubeſt du/Selig ſind/ die nicht ſehen vñ doch glauben.

Auch viel andere Zeichen thet Jeſus für ſeinen Jüngern/ die nicht geſchieben ſind in dieſem Buch.

Dieſe aber ſind geſchrieben/ das jhr glaubet/ JEſus ſey Chriſt der Sohn GOTTes/ vnd das jhr durch den Glauben das Leben habt/ in ſeinem Namen.

Homilia

Homilia.

Duo tituli hujus Dominicæ.



Uobus titulis hodiernum diem olim insignivit Ecclesia. Dicebatur enim 1. Dominica *Quasimodogeniti*. 2. Dominica in *Albis*, der weisse Sontag. Uterque titulus geminum respectum habet.

Quibus respicitur.

1. Ad *Baptismum gentilium*, qui tempore Paschali quondam instituebatur. Per eum quia fit regeneratio, baptizati dicti sunt *Quasimodogeniti*, quæ ipsa phrasis legitur 1.Pet. 2. v. 2. *Deponite malitiam* ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, *Quasimodogeniti infantes*, als die jetzt gebornen Kindlein. Deinde per integrum octiduum incedebant albis vestimentis, ut novitatis vitæ, & innocentiæ admonerentur. Ista verò quum circa vesperam hodiernæ diei deposuerint, inde Dominica in albis nuncupata est. Notatur hoc geminato nomine *geminus Baptismi fructus*, qui partim est regeneratio, partim renovatio, Tit. 3. v. 5. *Illam* innuit titulus Quasimodogenitorum: *hanc* ritus albarum vestium.

1. Ad Baptismum.

2. Ad Resurrectionem Christi.

2. Ad *Christi Resurrectionem*, cujus fructus similiter istis nominibus significantur. Christus enim ἀναστάσει suâ per veram fidem applicatâ nobis confert 1. *Regenerationem*, quæ consistit in peccatorum remissione vel justificatione, propter quam resurrexit, *Rom. 4. v. ult.* & cujus ratione nos Quasimodogeniti reddimur. 2. *Renovationem*, quam inter cætera notat stola candida Angeli in sepulcro apparentis, *Marc. 16. v. 15.* Ut enim Christus resuscitatus est, ita & nos in novitate vitæ ambulare debemus, *Rom. 6. v. 4.*

Et

Et huc facit præſens Evangelium, quod præcipuos reſurrectionis Dominicæ uſus continet, Thomæque increduli exemplo docet, quomodo renaſci, & ſancto juſtitię ac fidei veſtimento poſſimus decorari. Conſtat verò iſtud partibus cumprimis quatuor.

Partes Evangelii.

1. Eſt veſpertina Chriſti apparitio, *v.19.20.*
2. Miniſterii Inſtitutio, *v.21.22.23.*
3. Thomæ incredulitas & dubitatio, *v.24.25.*
4. Dubitantis converſio & confirmatio, *v.26. & ſeq.*

Propoſitio.

Hac vice tantùm partem primam conſiderabimus, acturi *de Apparitionis Dominicæ circumſtantiis*, in primis verò *de tempore & modo.* Ipſe verò & nobis appropinquet, ut credamus, & credendo beati ſimus, ſemperque tales maneamus, Amen.

Ἐ'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

Quinq; apparitiones Christi, die resurrectionis.

QUinq; vicibus uno reſurrectionis die Chriſtus apparuit, (1) Mariæ Magdalenæ, *Iohan.20.v 14.* (2) Mulieribus à ſepulcro redeuntibus, *Matth.28. v. 9.* (3) Duobus diſcipulis Emaunticis, *Luc.24. verſ.15.* (4) Simoni Petro, *Luc.24.v.34.* Tandem (5) decem Apoſtolis, cubiculo præ metu incluſis, abſente Thoma, quæ apparitio in principio Evangelii hodierni deſcribitur. Sunt verò quatuor inprimis circa illam obſervandá. 1. *Tempus.* 2. *Modus.* 3. *Chriſti ſalutatio.* 4. *Cicatricum oſtenſio*, ex quibus duo priora tantùm breviter explicabimus.

Duæ circumſtantiæ notādæ

1. Tempus apparitionis.

I. Tempus apparitionis fuit Veſpertinum. Οὔσης ὀψίας, *quum ſerò eſſet*, ait Evangeliſta, *v. 19.*

Ut enim Deus post lapsum ad protoplastos venit circa vesperam, primùm illos increpans, pòst erigens, *Genes. 3. v. 8. & seqq.* Ita Christus accessit vesperi ad discipulos suos, quos ob pusillanimitatem objurgatos, blandis vicissim verbis exhilarat. Manè surrexerat, per integrum tamen diem in suspenso reliquit Apostolos, & vesperi demum apparuit. Hic nempè mos Dei est: Multos diu exercet, nec statim auxilium affert. Non tamen prorsus nos deserit: tandem exoptatus adest, quum vesperascit, & fermè desperatum videtur. Ubi enim cessat auxilium humanum, ibi incipit divinum. Quum duplicantur lateres, venit Moses. Per integrum annum Noacho commorandum fuit in Arca, *Gen. 8 vers. 13.* Jacobus vesperi, & circa finem vitæ lætum de Josepho vivo nuncium audivit, *Genes. 45. vers. 26.* Per 40. annos Judæi in deserto circumducti sunt, antequam possessionem terræ Canaan acciperent. In primordio mundi Messias promittebatur, sed vesperi demum, quum novissima hora esset, promissio isthæc implebatur. Ad defunctum Lazarum, quàm serò veniebat Christus? jam enim quatriduanus erat & fœtebat. Venit nihilominùs, & resuscitavit ipsum, nemine sperante, *Iohan. 11.* Quum Apostoli toto die gravi tempestate essent agitati, & nox ingrueret, *Ecce!* Christus venit, & in mari ambulavit; *Matth. 14. vers. 25.* Cogitate Ecclesiam sub Papatu. Verè advenerat vespera, spissæ ingruerant tenebræ, non fulgebat Lux Evangelii, sed atra nox traditionum omnia involvebat. Clausæ erant regni Papalis januæ, ut nemo perrumpere posse videretur.

Deus plerumq; differt auxilium, tandem tamē succurrit.

deretur. Sed perrupit Altissimus, facto jam vespere; Lutherum excitavit, cujus ministerio doctrina repurgata, Ecclesia subitò reformata fuit. Cur ergò tam modicæ fidei estis? Cur animum planè despondetis, si auxilio suo Deus non statim appareat? Moræ ad mores Domini spectant. Durate igitur, & patienter expectate. Vos ipsi tardi estis in pœnitendo: & Deus mox accurrat opitulando. Quàm multos ipse annos conversionem vestram expectare cogitur: & vos brevem opis dilationem ægrè feretis? Si ergò moram fecerit, expecta: Veniens veniet, & non tardabit, *Hab. 2. v. 3.* In tuos cedit usus illa ipsa cunctatio. Sic enim probatur fides, exercetur Patientia, Charitas perficitur, oratio accenditur, & auxilium eò gratius redditur. Quis non magis exhilaratum putaret virum illum, per triginta & octo annos languidum, & tum sanatum, *Ioh. 5. vers. 6.* quàm socrum Petri, quæ brevi tempore febri laboravit? *Matth. 8. v. 14.* Ita quò diutiùs angustia te pressit, eò major lætitia circundabit. Expecta cum discipulis usque ad vesperam: Certò veniet Salvator tuus, & gaudebis viso Domino. Unde Veteres rectè dixerunt: *Horæ Dei sunt tardæ, sed valdè gratæ:*

Je lenger Gott die Hülff auffzeucht/
Je mehr sie unser Hertz erfrewt.

II. Modus Adventus consistit in Penetratione clausarum forium. Venit enim Christus θυρῶν κεκλεισμένων, *quum fores essent occlusæ præ metu Iudæorum.* Unde colligimus ipsum *2. Modus apparitionis.*

janúis

januis obseratis ingressum esse, ideoq; corpus solidum glorioso suo corpore penetrâsse.

Argumēta septem, quòd Christus januas clausas penetraverit.

Nam 1. hoc ipsa verba innuunt, quorum sensus est: *Quum Christus appareret, fores clausa erant.* Nemo igitur aperuit, nec ultrò patuerunt. Hoc enim non est venire clausis foribus.

2. Evangelista singularem & miraculosum ingressum per isthæc verba vult notatum, non diffitentibus Calvinianis sanioribus. Quid autem quæso fuisset singulare, si per januas patentes & apertas introiisset? Idem & crassus Rusticus præstare potest.

3. Lucas Adventum hunc ita describit, cap. 24. vers. 35. *Dum hæc loquerentur,* αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν, *stetit Iesus in medio eorum.* Facta ergò est apparitio in momento, sine accessu tardo: sed dum loquuntur, eo ipso jam stat in medio ipsorum, Non primùm fores aperuit, & à foribus per intermedium spacium pedetentim ad Apostolos pervenit: sed in momento, quum neminem viderent, stabat ante ipsos.

4. Discipuli putârunt, se spectrum vel spiritum videre, *Luc. 24. v. 37.* Unde colligimus: Qualis est ingressus πνεύματος in contubernium clausum, talis & Christi fuit ingressus ad discipulos. Alio enim & consueto modo si venisset, istam de spiritu opinionem non concepissent, nec adeò consternati fuissent. At verò ingressus πνεύματος est momentaneus, sine ulla clausarum forium apertione. Ergò & Christi ingressus talis fuit.

5. Penetratio non est impossibilis, neque cum contradictione conjuncta. Dantur enim ejus exempla, & contigit 1. in Nativitate Christi, siquidem

quidem clauſo Mariæ utero natus eſt. 2. In Reſurrectione; ubi lapidem nondum devolutum pertranſiit. 3. In Aſcenſione, ubi omnes cœlos penetravit, quæ ſingula fuſiùs probantur alibi.

6. Argumentum peti poteſt ex abſurdis ſibique invicem contrariis Zvvinglianorum gloſſis. Calvinus ait: *Chriſtum ſuâ potentiâ fores aperuiſſe, adeoque ſibi aditum patefeciſſe.* lib. 4. Inſt. c. 17. §. 29. Oecolampadius, *Per feneſtram fortè aut per camini reſpiraculum intrâſſe.* Beza, *vel fores ſponte patuiſſe, vel parietes factos fuiſſe pervios.* Martyr, *per fores veniſſe, priùs inſtar ceræ illas emolliendo.* Alii, *januam per Angelum apertam eſſe.* Alii, *Chriſtum pulſaſſe.* Alii, *clauſas fores dici, quòd nox jam eſſet, quo tempore claudi ſolent januæ.* Ita nimirum ratio varia fingit gloſſemata, quum à clara textus litera diſceditur. Evangeliſtæ dicunt, Chriſtum veniſſe clauſis foribus. Iſti contrà, veniſſe apertis, quo pacto omnis ratio miraculi tollitur, verbisque Evangeliſtarum planiſſimis contradicitur.

7. Addimus teſtimonia Orthodoxorum Patrum, ut *Chryſoſtomi, Cyrilli, Euthymii, Theophilacti* in cap. 20. Joh. *Iuſtini* qu. 117. ad Orth *Ambroſii* in cap. ult. Luc. *Epiphanii* hæreſi. 64. *Hieronymi,* Epiſt. ad Pammach. *Gregorii* Homil. 20. in Evang. & *Bernardi* Serm. 1. de Tempore & Serm. 159. ubi hæc verba: *Si vera*, inquies, *caro fuerit, quæ reſurrexit, quomodo ipſa januis clauſis ad diſcipulos intravit? Redde mihi rationem, ô homo Si rationem à me poſcis, non eſt mirabile, ſi exemplum quæritur, non erit ſingulare. Et potiùs recedant*

paulisper modus & pondus: ille hoc fecit, cui nihil est impoßibile.

Hæc omnia tam firma sunt,ut *Marloratus* ipse à gregalium suorum opinione discesserit, & palàm scripserit in cap. 20. Joh. *Quod putant reseratas Christo fuisse fores per aliquem, aut humano more ingressum, prorsus à mente Evangelistæ discrepat. Sic igitur habendum, Christum non sine miraculo ingressum.* Ejusdem opinionis est *Iohannes Casus* Calvinista Angelus l. 4. Physic. cap. 3. pag. 522. & seqq.

Notetur autem quum dicimus, Christum clausis januis venisse, quòd penetrationem tantùm inde colligamus in genere, non autem pro hoc militemus primariò, quòd ipsas januas pertransierit. Sufficit hoc, quòd contubernium undiquaq; fuerit clausum, adeoq; facta sit penetratio, quam verò conclavis partem Christus penetraverit, num præcisè januas vel parietes, vel partem aliam, in dubio relinquimus.

Penetratio clausarum foriumsup peditat. 1. Elenchũ

Præbet autem hæc disputatio usum nobis multiplicem 1. ἐλεγκτικόν. Calviniani blaterant, Christi corpus subtilitate & vi penetrandi carere, quia verum sit & naturale corpus. At verò hîc audimus, non pugnare ista duo. Manet verum corpus per naturam, subtilitas accessit per gratiam. Si videatur hoc rationi absurdum, scripturis tamen est consentaneum, in quibus utrumq; dicitur, & credendum proponitur, Si modum ignoremus, rem ipsam propterea non negemus. Cogita Trinitatis, cogita Incarnationis mysterium, & stupendum futuræ Resurrectionis miraculum, Transcendunt rationem; cadunt tamen

ſub fidem. O cæcos homines, qui credere nolunt, niſi quod ratione percipiunt! Credenda ſunt myſteria, ut intelligantur; non intelligenda ut credantur. Rectè Proſper de Ratione humana canit: *Quantò plus graditur, tantò longinquiùs errat.* Τῇ φύσει credimus τὰ φυσικά; cur non & τῷ Θεῷ τὰ θεῖα? Dicentis potentiam æſtima, & evaneſcet ἀπιστία. Ille hoc dixit, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, Luc. 1. v. 37. in cujus oculis nihil eſt difficile, Zach. 8. v. 15. qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, Epheſ. 3. v. 20. & ultim.

2. Διδασκαλικόν. Quia enim corpore ſuo Chriſtus conclave clauſum penetravit, utiq; glorificatum fuit. Ergò & nos olim in tali gloria reſurgemus, ubi Salvator transfigurabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, Phil. 3. verſ. ult. Conſiſtet autem iſta transfiguratio in qualitatibus, non in natura. Manebit enim corpus τοῦτο, ſed non τοιοῦτο, idem, non tale. Erimus ἰσάγγελοι, Matth. 22. v. 30. non Angeli. Erunt corpora πνευματικά, 1. Cor. 15. verſ. 44. non πνεύματα. *Detrahentur vitia, ſervabitur natura;* inquit Auguſt. *2. Doctrinam.*

Dotibus verò cumprimis quatuor exornabimur, quæ vulgò *qualitates corporum glorificatorum* dicuntur.

Prima eſt *Impaßibilitas*. Non amplius obnoxii erimus morbis aut morti. Ut enim Chriſtus non moritur amplius, Roman. 6. verſ. 9. ita & nos vivemus in æternum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, 1. Cor. 15. 42. Non eſuriemus, non ſitiemus amplius, Apoc. 7. 16. ſed *Quatuor dotes glorificatorum corporum.*

absterget Deus omnem lacrymam, v. 17. Non erit ibi balbutiens Moses, aut ulcerosus Jobus, aut leprosus Naeman, aut cæcus Bartimæus, sed omnes corpora sana, & semper perfecta habebunt.

Secunda est *Claritas*, quia tunc justi fulgebunt sicut Sol, Matth. 13. vers. 43. & surgent in gloria, 1. Cor. 15. v. 43. ideoq; talia corpora nobis in hac mortalitate sunt invisibilia; Matth. 27. vers. 53. Luc. 24. v. 31.

Tertia est *Agilitas*, ob quam beati in momento esse possunt, ubi volunt; Sic Christus subitò stetit in medio discipulorum. Et hoc ipsum Apostolus innuit, quum nos in virtute resurrecturos esse asserit, 1. Cor. 15. v. 43. Discurrent justi velut scintillæ in stipula, Sap. 3. v. 7.

Quarta est *Subtilitas*, quâ mediante corpora solida penetrantur. Ut enim angelis nihil obstare potest: Ita & nobis, qui erimus ἰσάγγελοι, Matt. 22. v. 30. & πνευματικοί 1 Cor. 15. 44.

Hæ sunt illæ quatuor dotes, Christi exemplo in hodierno Evangelio quoad maximam partem ostensæ, quas *Augustinus* breviter complexus est lib 22. de Civ. Dei, c. 6 ita scribens: *Aberit à corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio.* Nam *Deformitas* aberit per claritatem; *Tarditas* per agilitatem; *Infirmitas* per subtilitatem: & *Corruptio* per impassibilitatem. O excellentem gloriam! Quis eam non ambiat, modisq; omnibus desideret? Tū autem consequemur eam, si qualitates dictas priùs mysticè dum vivimus, obtinere studeamus.

Sit ergò in nobis 1. *Subtilitas in credendo*, ut pe-

netremus omnes crassas rationis speculationes, neque quicquam obstet fideli assensui. 2. *Agilitas in obediendo.* Ut enim Angeli parati sunt jussa Dei expedire, sic celeriter fiat voluntas ejus in terris. 3. *Claritas in benè operando*, juxta illud Matth. 5. v. 16 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* 4. *Impaßibilitas*, vel potiùs patientia *in angustiis*. Multa nobis obveniunt, sed simus animosi, & velut impassibiles. Larga olim sequetur compensatio, ubi resurgemus in gloria & vivemus in sempiterna lætitia.

Qualitates istas hic mysticè obtinere studeamus.

3. παραμυθικόν. Clausæ erant fores, sed non clausa erat Christi misericordia. In summo mœrore & timore versabantur Apostoli; Nihil minùs quàm Christi Adventum sperabant, quia januam obseraverant. Sed cohibere se nequit φιλάνθρωπος: moventur viscera misericordiæ, & quum minimè putarent, ecce! *stat in medio ipsorum*, Stat, inquam, ut *Sol* inter sidera, illuminaturus discipulos. Stat ut *flos* inter lilia, decoraturus illos, stat ut *Imperator* inter milites, cõfortaturus illos. *Ecce!* hîc stat *Cor* inter membra, ut vivificet: *Doctor* inter discipulos, ut informet: *Medicus*, ante ægrotos, ut sanet: *Pater* inter filios, ut misereatur: *Tutor* inter pupillos, ut curam habeat & provideat. Gaude fidelis anima, & exulta in Christo Redemtore tuo. Clausa sint omnia: hæreas, quâ non patet aditus: Aderit tibi Salvator tuus: Nulla ipsi repagula obstare, nulla janua excludere potest. Clausa erat Noachi Arca, Genes. 7. sed non aberat ab ipso divina gratia. Josephus in carcere, Genes. 40. Daniel in lacu leonum,

3. Solatium.

detinebatur, cap. 6. sed penetrabat manus Domini, & utrumque salvum educebat. Quid ergo facient nobis vincula? quid carceres? *Ecce Christum* in medio clausi conclavis stantem! Stabit etiamnum ante nos, & blandè consolabitur. Pater est, non curet? Pater est, non amet? Tutor est, non defendat? Cedat timor, cedat omnis dubitatio, Cur expallescitis, cur fugam adornatis? State, ô Christiani, state, quia Christus stat in medio nostri, Matth. 18. v. 20. State & videte magnalia Domini, quæ inter nos facturus est, Exod. 14. v. 13.

4. Admonitionem. Tandem 4. παιδευτικόν. Bonus quidem est Dominus, non tamen venit nisi ad bonos & ipsum timentes. Quum clausa esset janua, stabat in medio. Et nobis sunt fores, sunt ostia, nimirum quinque sensus exteriores, per quos veluti per januam species deferuntur ad intellectum. Claudenda sunt hæc ostia, ne intrent coinquinata, & impediatur Christi præsentia. Non equidem vos cæcos, aut surdos, aut planè insensatos esse volo: sed clausuram mysticam peccata concernentem requiro. Claudite oculorum januam, ne videant vanitatem: Claudite aures, ne audiant scurrilitatem: Claudite labia, ne proferant verba obscœna, Deum hominesque lædentia. Soliciti sitis ut Apostoli. Hostes habetis, qui vobis insidiantur. Ad omnes igitur cordis sensuumque portas locate excubias, ne irrumpant, ne vos decipiant, *Per fenestras mors adscendit,* ait Jeremias, *cap 9 v. 21.* Sed quas fenestras intelligit? *Visum oculorum, & auditum aurium,* respondet Augustinus, *Tom. 9. lib. de honestate*

neſtate mulierum, c. 4. Hæ feneſtræ ſi claudantur ad ſcelera, Chriſtus veniet, mortemque abiget, Sponſus ille in Canticis amicæ ſuæ domum ingreſſurus, fores omnes, & aditus occluſos reperit, adeò ut pulſare coactus fuerit; *Aperi mihi ſoror mea, columba mea*, Cantic. 5. v. 2. Volumus & nos à Chriſto ſponſo viſitari? omnes mundo aditus occludamus neceſſe eſt, nec voluptates ejus admittamus. Ita veniet dilectus noſter, ita intrabit conclave pectoris noſtri, & manſionem in nobis faciet. Nec fruſtra hoc erit. Veniet cum dono pacis, ſicut prima vox ad diſcipulos erat, *Pax vobis.* Qui enim propter pacem venerat, meritò pacem annunciat. Ipſe eſt æternus Salomon, princeps pacis, qui ut Apoſtolos ter ſalutat, ita pacem tribus vicibus, in *Nativitate*, in *Vita*, in *Morte* acclamat. Ipſe affert pacem contra *peccatum*, ne damnet: pacem contra *iram Dei*, ne devoret; pacem contra *Diabolum*, ne ſuperet. Confidite, fratres mei: Pacem habemus contra *mortem*, quæ abſorpta: contra *mundum* qui devictus: contra *infernum*, qui deſtructus eſt. Pax eſt *ſupra nos*, quia reconciliati ſumus cum Deo: pax *intra nos*, quia conſcientiâ quietâ fruimur: pax *juxta nos*, quia fratres diligimus, & ab illis diligimur: Pax *infra nos*, quia ſerpentis caput contritum, & imperium morti ademtum eſt. Salve pax aurea:

Christus multiplicem pacem attulit.

—— pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt.

Imò ſalve potiùs & benedictus eſto tu princeps pacis, Redemtor unice. *Veni ad nos*, quia venit veſpera hujus mundi; concluſi ſumus intra

varias angustias: penetra, & stes in medio nostri, ut adversarii confundantur, nos confirmemur, & externâ temporis, internâ pectoris, æternâ palatii cœlestis pace fruamur, & tibi vero semper glorioso & benedicto pacis principi adhæreamus, ex hoc nunc & usq; in seculum, Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI.

Ioh. 10. à V. 11. usq; ad 17.

De bono Pastore.

V. 11. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.
12. ὁ μισθωτὸς δὲ καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια; θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει. καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα.
13. ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός

EGo sum Pastor ille bonus: & Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus.

Mercenarius autem qui nõ est Pastor, & cujus non sunt oves, quũ videt lupum venientem, deserit oves & fugit: venit autem lupus, rapit & dissipat ei oves.

Mercenarius autẽ fugit, quia Mer-

JCH bin ein guter Hirte: Ein guter Hirte lest sein Leben für die Schafe.

Ein Miedling aber/der nicht Hirte ist/deß die Schafe nicht eigen sind/ sihet den Wolff kommen/ vnd verlasset die Schafe/ vnd fleucht/ vnnd der Wolff erhascht vnd zerstrewet die Schafe.

Der Miedling aber fleucht/ deñ er

ἐστι, καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων.	cenarius est, & non est ei cura ovium.	ist ein Miedling/ vnnd achtet der Schafe nicht.
14. ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.	Ego sum Pastor bonus, & agnosco meas, & agnosor â meis.	Ich bin ein guter Hirte/ vnnd erkenne die meinen/ vnnd bin bekandt den meinen.
15. καθὼς γινώσκει με ὁ Πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν Πατέρα, καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.	Sicut novit me Pater meus, & ego agnosco Patrem meum, & animam meam pono pro ovibus.	Wie mich mein Vater kennet/ vnd ich kenne den Vater/ vnnd ich lasse mein Leben für die Schafe.
16. καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχει ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης. κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.	Habeo autem & oves alias quę non sunt ex hoc ovili, eas quoq; oportet me adducere; & audiét vocem meam, fiétque grex unus omnium, unusq; Pastor.	Vnnd ich habe noch ander Schafe / die seind nicht auß diesem Stalle/ vnd dieselben muß ich herführen/ vnd sie werden meine Stimme hören/ vnd wird eine Herd vnd ein Hirt werden.

Homilia.



Xultate justi quia misericordiâ Domini plena est terra, Psal. 33. v. 1. 5. Hodiè nobis illuxit Dominica, cui nomen dedit *Misericordia*. Quam David considerans, pleno spiritu exclamat, & hodiernæ diei nomen imponit, Psal. 89. v. 1. *Misericordias Domini cantabo in æternum.*

Misericordia Dei elucescit ex beneficio. O Domine minores sumus cunctis miserationibus tuis, Gen. 32. v. 10. Quid enim est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quòd visitas eum? Psal. 8. v. 5.

Creationis. Cogita 1. Beneficium *Creationis*. Corpori nostro indidit animam, animæ rationem, rationi sapientiam, quia nos creavit ad imaginem suam, Gen. 1. v. 26. *Redemtionis.* Cogita 2. Beneficium *Redemtionis*. Quùm nobis malè esset ob lapsum, Dei filius venit in mundum, ut suo merito aperiret cœlum. In hoc commendat Deus charitatem suam, quòd quùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, Rom. 5. vers. 8. Cogita 3. Beneficium *Sanctificationis*. *Sanctificationis.* Non tantùm Christus justitiam impetravit, sed impetratam quoque applicat, peccata remittendo, & corda nostra renovando. Nec satis est, accedit 4. beneficium *Conservationis*, *Conservationis.* siquidem Deus nos custodit in fide contra hæreticos, in pietate contra seductores: in fortitudine contra tyrannos: in spe contra tentationes: in patientia, adversus crucem & calamitates. Qui enim bonum opus incipit, idem in nobis perficit, Philip. 1. vers. 6. Unde sequetur tandem 5. *Glorificationis*. *Glorificationis.* Qui enim perseveraverit, salvus erit, Matth. 10. v. 22. quùm bonum certamen certavimus, coronam reportamus, 2. Tim. 4. vers. 8.

Quis igitur non cantet misericordias Domini in æternum? Simus ubi possumus: *Misericordia Domini plena est terra.* Cur timebimus? In terrâ sumus; Ergo & de misericordia Domini participamus. Patiendum aut moriendum est? Benè habet. Quò intensior angustia, eò major misericor-

dia.

dia. Hæc ut fuit ab æterno, ſic manebit in æternum. Hæc turris, hæc anchora, hæc petra eſt: cui ſi innitamur, quis nocere, quis à Deo nos dimovere poterit?

Hanc verò miſericordiam gratiámq; ſuam inſigni picturâ ſpectandam proponit in hodierno Evangelio. Nos *Ovibus*, ſe *Paſtori* comparat. Nos erramus, ipſe errantes quærit, paſcit, defendit. Hinc ſe *Paſtorem bonum* vocat, ne quis de miſericordia ipſius dubitet. *Summa Evangelij.*

Multa verò hîc explicanda veniunt: nos thema unicum tractabimus, de *Christo Paſtore bono*, ob quas nempè cauſas Paſtori ovium ſe aſſimilare voluerit? *Propoſitio.*

Adſit nobis ipſe ἀρχιποιμὴν cœleſtis, & ſalutari cibo corda noſtra paſcat, ſempérque reficiat, Amen.

Ε'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

PAſtoris nomen Metaphoricè ſumptum, in Scriptura, 1. De *bono magiſtratu* dicitur, qui ſubditis laudabiliter præeſt, ut 2. Sam. 5. v. 2. *Paſces populum meum Iſrael & tu eris dux ſuper eum*, 2. Sam. 7. v. 7. *Iudicibus præcepi paſcere populum meum Iſrael.* Hoc ſenſu *Homerus* Agamemnonem vocavit ποιμένα λαῶν *Paſtorem populi.* Et Ariſtoteles inquit: *Similis eſt collatio Regis ad ſubditos, Paſtoris ad oves, & Patris ad filios.* *Paſtoris nomen tribuitur 1. Magiſtratui:*

2. Tribuitur *Miniſtris Eccleſiæ*, ubi paſcere idem eſt quod docere, & alias miniſterij ſacri partes obire. Sic Act. 20. v. 28. Epiſcopi Epheſini dicuntur conſtitui ποιμαίνειν, hoc eſt, *Paſcere* Eccleſiam Dei. Et Eph. 4. v. 11. Conjungit Apoſtolus ποιμένας καὶ διδασκάλους: *Paſtores & Doctores.* *2. Miniſtris Eccleſiæ.*

3. Κατ

3. Christo. 3. Κατ' ἐξοχὴν de *Christo* prædicatur, qui ἀρχιποιμὴν animarum noſtrarum dicitur, 1. Pet. 2. v. 25. & magnus ille Paſtor ovium, Ebr. 13. v. 20. Hunc titulum ſibiipſi tribuit, quùm in hodierno Evangelio inquit: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός, *Ego ſum Paſtor ille bonus.* Ille nimirum, quem Patres expectarunt, Prophetæ prædixerunt, typi multi præfigurarunt. Deſideria patrum leguntur, Pſal. 14. v. 7. Eſa. 45. v. 8. c. 64. v. 1. Vaticinia, Eſa. 40. verſ. 10. Ezech. 34. v. 23. cap. 37. v. 24. Typi fuerunt Abel, Gen. 4. v. 2. Jacob, Gen. 29. v. 20. Moſes, Exod. 3. v. 1. David, 1. Sam. 16. v. 11. qui omnes ovium paſturâ in Scripturis ſunt celebres. Horum Chriſtus eſt antitypus, ideoq; ſe Paſtorem expreſsè nuncupat. Neque hoc tantùm, ſed diſcriminis cauſsâ ſe καλὸν pulcrum vel bonum paſtorem eſſe indicat. Et quî non benè paſceret, quùm ſit ipſa bonitas? Omnia in illo bona ſunt: Cor, Verba, Opera. Quare meritò Paſtor bonus appellatur.

Ad Chriſtum accōmodari poſſunt Ut verò inſignem hanc ſimilitudinem intelligamus rectiùs, tria in conſiderationem veniunt. 1. *Requiſita*, 2. *Inſignia*, 3. *Officia* boni Paſtoris, quæ omnia in Chriſto excellenter inveniuntur.

1. Requiſita Paſtoris. I. REQUISITA Paſtoris ſunt virtutes, quibus illum oportet eſſe præditum. Harum inprimis tres numerari poſſunt.

Charitas. 1. Eſt Charitas. Niſi enim præcedat dilectio, non ſequitur debita pro ovibus ſolicitudo. Hinc bonum Paſtorem adeò amare oves innuit Chriſtus, ut pro iis vitam ponere non dubitet. *Bonus*, inquit, *Paſtor, animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Fecit hoc Redemtor noſter, cujus amor in nos linguâ efferri, mente ſatis concipi nequit.

1. Sa-

1. Sam. 18. legitur singulare exemplum amoris inter Pastorem *David*, & *Ionathan*, Saulis filium. Ita enim dicitur, v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Fervens fuit hæc dilectio, sed ferventiùs diligimur à Christo. Magis enim nos amavit, quàm animam suam. Nos eramus oviculæ errantes, Esa. 53. v. 6. Psalm. 119. v. 176. partim ratione intellectus, qui tenebris obscuratus, Ephes. 4. v. 18. cap. 5. v. 8. partim ratione cursus & vitæ, quæ incerta & ambagum plena. Eramus oviculæ perditæ, ob septem mala, nempè 1. *Ob* diaboli fraudem 2. *qua* incidimus in peccatum, 3. *&* ita iram Dei attraximus. 4. *unde* vita oritur calamitosa. 5. *quam* sequi nihil aliud potest, ac desperatio. 6. *cui* mors adhæret. 7. *morti* verò æterna damnatio. Sed misertus nostri est Dei filius. E cœlo ipsum descẽdere fecit magnitudo amoris: ad nos venit, instar boni Pastoris; propter nos venit, ut oviculas errantes reduceret, perditas sanaret: Ita venit, ut vitam pro nobis poneret, suâque morte mortem & lupum infernalem vinceret.

Fugiebant omnes Israelitæ, viso gigante Goliatho, 1. Sam. 17. v. 24. Non fugit Pastor bonus David, sed giganti obviam ivit, v. 45. Sic ex inferno contra nos venit gigas Lucifer, sed non fugit bonus Pastor Christus, quin potius illi fortiter ex amore obsistens, pro ovibus vitam amisit. Crucem aspice, cui affixus est. *Ecce!* ut manus expandit, quò omnes oviculas colligat, & amorem suum intimet! Posuerunt alij Pastores vitam pro ovibus, sed redimere non potuerunt. Christus autem morte suâ oves redemit, & ex potestate lu-

pi tartarei eripuit. Hinc ſeptem malorum loco, ſanctum bonorum ſeptenarium nobis meruit, quem malis opponere poſſumus & debemus, nimirum 1. fraudi Diabolicæ *potentiam Dei*, 2. Peccato *Iuſtitiam Chriſti*, 3. Iræ *gratiam*, 4. Cruci *ſolatium*, 5. Deſperationi *ſpem*, 6. morti *vitam*, & 7. damnationi *ſalutem*. O vos oves ſic dilectæ, cur tantum amatorem non redamatis? Cur tanti amoris vicem non redditis? Pulcrè *Bernhardus* Serm. 31. in Cant. *Bonus Paſtor animam dedit pro ovibus ſuis: animam pro illis: Carnem illis. Illam in precium, hanc in cibum. Ipſe Paſtor, ipſe Paſcua, ipſe eſt redemtio ovium. Quid retribuitis oves Paſtori pro his, quæ tribuit vobis?*

2. Fidelitas. 2. Fidelitas. Sicut ab omni diſpenſatore, ſic à paſtore in primis requiritur, ut fidelis inveniatur, 1. Corinth. 4. verſ. 2. Malè proſpectum eſt ovibus iſtis, quibus contigit Paſtor infidelis. Nam veniente lupo, fugit; & oviculas in periculo relinquit. Bonus Paſtor aliter animatus eſt: curam habet ovium, paſcit, mundat, ſanat, quærit, & ſolicitè defendit, Proverb. 27. v. 23. Syr. 7. v. 24. Omnia hæc beneficia à Chriſto habemus: verè fidelis Paſtor eſt. Stat, non fugit; pugnat, non deſerit; curat, non negligit, ipſe in brachio ſuo agnos congregat, ipſe in ſinu ſuo levat & portat, *Eſa.* 40. *v.* 11. Requirit, quod perierat: reducit, quod abjectum erat; & alligat, quod confractum fuerat. *Ezech.* 34. *v.* 23. Quùm ira Dei grave ſupplicium de populo ſumeret, aſcendit ex adverſo Aaron bonus Paſtor, oppoſuítque murum pro domo Iſrael, *Num.* 16. *verſ.* 48. Pari fidelitate ἀρχιποιμὴν nobis proſpicit. Patrem iratum quùm videt, pro nobis inter-

interpellat, *Rom. 8. verʃ. 34.* & ita reconciliat, *2. Corinth. 5. v. 18.* Oviculam errantem quùm adſpicit, mox quærit & ſuaviter vocat, inventam humeris ſuis portat, & lætatur, *Luc. 15. v. 6.* Hoc eſt, quod ipſe ait, *Ego cognoſco oves meas*, quæ notitia non eſt merè Theoretica, ſed potius Practica, conſiſtens in diligenti cura & cuſtodia, notans effectum magis, quàm ſolum nudúmque affectum.

Quod autem efficacius eſſet ſolatium, quàm quòd Deo noti ſumus, *2. Tim. 2. v. 19.* & in manibus ejus deſcripti, *Eſa. 49. v. 16.* Ita noti, ſic inſcripti ſumus, ut nos inde nemo poſſit eripere, *Iohan. 10. v. 28.* Signati ſumus, veluti Paſtor fidelis ſuas ſignare oviculas conſuevit. Præceptum dedit Angelo, Ezech. 9. v. 4. *Signa Thav ſuper frontes virorum gementium.* Suo nos ſanguine, in ara crucis effuſo ſignat, ut ſicut Angelus percuſſor tranſivit ædes Iſraelitarum ſanguine agni Paſchali notatas, *Exod. 12. v. 23.* Sic Diabolus nullo amplius pacto nobis nocere valeat.

Imò in ipsâ morte hæc rubrica ſanguinis Chriſti durat, ut per mortem in vitam tranſeamus, quia de manu mortis nos oviculas liberavit, *Oſeæ 13. v. 14.* O fidelem Paſtorem, qui tàm attentè reſpicit, tàm ſolicitè curat!

Ariſtoteles lib. 1. Oecon. refert Apophthegma cujusdam Perſæ, qui rogatus, quid equum maximè ſaginaret, reſpondit; *Oculus Domini:* quo ipſo ſolicitudinem poſſeſſoris notatam voluit. Ecce! Paſtoris noſtri oculus vigilantiſſimus eſt: ipſe cognoſcit oves ſuas, ipſe diligenter eas adſpicit.

Saginabuntur ergò procul dubio, & erescent ad vitam æternam.

De Josepho dicitur, quòd propositus Ægypto, egressus sit, circumiverit omnes regiones, *Genes.* 41. *v.* 46. Ita & Pastor noster, cœlestis Joseph, universam terram circumit, & cibum fideliter ovibus suis distribuit. Quia ergo ipse nos cognoscit, par est, ut cognoscatur à nobis, sicut ipse inquit: *Cognoscunt me meæ.* Sit autem & hæc cognitio *Practica*, in fi.e & charitate consistens. Dicamus cum Ecclesia mysticâ ex Cant. 1. v. 3. *Trahe me: post te curremus.* Hunc quæramus per vicos, & inventum non dimittamus, ut Ecclesia vicissim inquit, Cant. 3. v. 4 *Tenui eum, nec dimittam.* O felices; qui hunc Pastorem tenent! O miseros, qui vel per malitiam spernunt, vel per negligentiam dimittunt.

Animositas. Tandem 3. Animositas. Nam si nimiùm meticulosus sit Pastor, lupo non resistet, sed tanquam mercenarius fugiet. Animo & robore opus est: animo ut velit, robore ut possit oviculas contra vim tueri: Utrumque in Christo concurrit. Animum habet, quia ad dexteram Patris sedet, & dominatur à mari usq; ad mare, *Psalm.* 110. *v* 12. Robur habet, quia manus ejus extenta quis infirmare poterit? Esa. 14. v. 27. Ecce! omnes gentes quasi pulvisculus coram eo reputatæ sunt, *Esa.* 40. *v.* 15. Spiritus est in naribus ejus, quanti æstimari debemus? *Esa* 2. *v. ult.*

Quùm David gregem pasceret, venerunt Leo & Ursus, qui arietem de medio gregis abstulerunt. Ipse verò persequitur eos animosè, prædam eripit, Leonem suffocat, & utrumq; interfecit,

1. Sam.

1.*Sam.*17.*v.*34. Ita sæpè fit, ut adversus nos surgant leones & ursi, tyranni & hæretici. Sed confidite: Pastorem magnanimum habemus. Christus Jesus cœlestis David resistet, nostrósq; inimicos fortiter prosternet.

Quùm captus esset Lothus, frater Abrahami, mox surrexit hic, & irruit in hostes, omnémque substantiam reduxit, *Gen.* 14. *v.* 15. Decepti & capti estis à Diabolo? Ne abjiciatis animum: Christus Pastor bonus & fortis Abraham est: omnes creaturæ ipsi serviunt: Surget, déq; hostium manu potenter vos liberabit. Non timebis eos, quoniam Dominus Deus tuus in medio tui est, fortis, magnus, & formidabilis, *Deut.* 7. *v.* 21.

II. INSIGNIA Pastoris sunt 1. *Melota* vel pellis ovina. 2. *Fistula.* 3. *Pera.* 4. *Baculus.* 5. *Sibilus.* 6. *Canes.* Reperies hæc omnia in summo Pastore nostro. 2. *Insignia Pastoris.*

1. Uti Pastor *Melotam* induit, quò citiùs sequantur oviculæ: sic Christus pellem nostram, imò non pellem tantùm, sed naturam integram assumsit. Formam enim servi accepit, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo, *Phil.* 2. *v.* 7. Non horribilem majestatis suæ faciem ostendit, sed in blanda hominis forma præcedit. Hominem ergò nos homines sequamur: Mitis est, illi confidamus. Jugum suave habet; ad illum veniamus, *Matth.* 11. *v.* 28. Si aliàs enim similis simili gaudet, multò magis gaudeamus, quòd Dei filius nobis factus est similis, ideoque ipsi vicissim in virtutibus assimilemur. *Melota.*

2. Pastor *Fistulam* habet, quâ oves demulceat. Et Christo est fistula, dulce canens, nempè fistula *Fistula.*

divinarum promissionum, quâ languentes animæ refocillantur. Audierunt hanc fistulam protoplasti, *Gen. 3. v. 15.* & lætati sunt. Audiit Pater Abraham, *Gen. 12. v. 3. cap. 18. v. 18. cap. 22. v. 18.* & gavisus est, *Ioh 8. v. 56.* Audiit David, & exclamat, Psal. 103. v. 1. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Audiit Maria, *Luc. 1 v. 28.* & mox concinit, vers. 46. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Per Musicam Davidis expulsus est Spiritus Melancholicus Saulis, 1. *Samuel. 16. v. ult.* Christi fistulam audi, & nulla te tanget tristitia. Rugit Satanas, & exaggerat peccata? Christi fistulam audi, ex Rom. 5. v. 20. *Gratia exuberat omne delictum.* Clamat Lex, & maledictionem urget? Fistulam audi ex Gal. 3. vers. 13. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* Accusat te conscientia, & condemnat? Fistulam audi ex Rom. 8. v. 1. *Nihil est condemnationis in his, qui sunt in Christo Iesu.* Infirma est caro, & dubitat de perseverantia? Vicissim fistulam audi ex Phil. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.*

Pera. Pastor *Peram* habet, in qua lapides & alia necessaria portat. Christum Pastorem adspice; nec illi Pera deest. *Ecce!* Sacramenta profert, veluti cœlestes Peras, in quibus reconditum est animarum pabulum. *Ecce!* Latus apertum habet, instar Peræ: illuc confugias, tutus eris, & in cœlum portaberis. *Ecce!* Lapides in Pera Christi sunt, arma fortia habet, quibus sternet inimicos nostros, ut David Goliathum.

Baculus. 4. Pastori est *Baculus*, quo ovibus quandoque præis,

præit, inprimis lupo resistit. Et Christus baculum habet, eúmque geminum, *Zach. 11. v. 7.* Alter Baculus *amoris* est, alter *doloris*. *Ille* præit ovibus, *hic* cedit in perniciem hostibus. *Ille* est baculus Evangelicus, *hic* Legalis. Ut enim oves per Evangelicas conciones suaviter ducuntur: sic impij per legales maledictiones terrentur & condemnantur.

5. Pastor *Sibilum* nonnunquam adhibet, illóque oves allicit. Et Christus sibilum dat, quùm unumquenque vocat. Sibilus hic vocationis geminus est. *Alter* communis, qui Christianos omnes attinet: *alter* singularis, qui quemvis in specie concernit. Per *illum* vocamur ad fidem & charitaté: per *hunc* ad certum officium, & fidelitatem in eo. Vos impœnitentes, audite Christum sibilantem, Matth. 4. vers. 17. *Pœnitentiam agite.* Doles ob peccatum: Ecce Christus sibilat, Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.* Sibilat Christus, & insusurrat præconi, *Veritatem prædica*: Magistratui, *Rectè impera*: Patrifamiliâs, *fideliter labora*: Studioso, *diligenter ausculta*, & sic consequenter. Quùm ergò Christum habeamus sibilantem, nos oves simus obsequentes. *Annon* dedecus est homines rationales fugere, quùm irrationales oves sibilum Pastoris mox sequi videamus? *Sibilus.*

Denique 6. *Canibus* Pastor stipatus est, ut suis latratibus lupos terreant & pellant. Sunt & Christo canes generosi, nimirum fideles ministri & præcones, qui vocem suam elevare debent instar tubæ, *Esa. 58. vers. 1.* qui lupum venientem allatrare debent, ne istud Propheticum occina- *Canes.*

tur : *Speculatores cœci omnes: canes muti, non valentes latrare, jacent & amant ſomnum*, Eſa.56. verſ. 10.

3. Officia Paſtoris. III. OFFICIA boni Paſtoris multa ſunt, nos præcipua paucis tangemus. Illorum *duodecim* cumprimis numerantur. Oportet enim Paſtorem 1. Oves præcedere, 2. Signare, 3. Paſcere, 4. à pratis peregrinis arcere. 5. Congregare, 6. pro iis vigilare, 7. mundare, 8. ſanare, 9. quærere, 10. portare, 11. defendere, & 12. domum ducere. Omnia hæc beneficia Chriſtus myſticè nobis exhibet.

1. Præcedit Nam 1. *Præcedit* variis virtutum exemplis, ut ſequamur & imitemur. Ipſe humilis, ipſe manſuetus, ipſe pacificus eſt, adeoque exemplum nobis reliquit, *Iohan. 13. v. 15.* & ſpeculum, quod intueamur. Præcedit etiam per cuſtodiam, ſicut Iſraelitas eduxit per nubis ignísq; columnam, *Exod 13. v. 21.* Præceſſit deniq; in cœlum per aſcenſionem, ut ſuo tempore ſequamur per glorioſam reſurrectionem.

2. Signat. 2. *Signat* nos ſuo ſanguine; quo aſpergimur in baptiſmo; & obſignat Sancto Spiritu, qui eſt Arrhabo, per quem clamamus Abba Pater, *Roman. 8. v. 15.*

3. Paſcit. 3. *Paſcit* nos, & quidem modis variis, corporaliter, per cibum terreſtrem, *Pſal 145. v. 15.* Spiritualiter, per ſuum meritum, *Ioh. 6. v. 35.* Sacramentaliter, per ſuum corpus & ſanguinem, *Matt. 26. v. 26.* & tandem æternaliter per cœnam nobis in cœlo paratam, *Luc. 14. v. 16. & ſeqq.*

4. Arcet à peregrinis cibis. 4. *A cibis peregrinis arcet*, quia non vult, ut ſtemus in via peccatorum, *Pſal. 1. v. 1.* aut diſcurramus in ſemita mundi & hæreticorum; ſed ut

fruă-

fruamur pascuis salutaribus justitiæ, ad quæ nos ipse educit, *Psalm. 23. v. 1. & seqq.*

5. Nos *congregat* tanquam oves dispersas, & conservat Ecclesiam, hujusq; membra, in unitate fidei, charitatis & concordiæ: Ipse agnos colligit brachio suo, *Esa. 40. v. 11.* *5. Congregat.*

6. Pro nobis *excubias agit*, ut Pastores Bethlehemitici pro grege suo, *Luc. 2. v. 8.* Neque enim dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel, *Ps. 121. v. 4.* Animosi simus, nîl timeamus, ut oviculæ: Pastorem vigilantem habemus, qui hostium insidias avertet. *6. Vigilat.*

7. *Mundat* nos, nec abjicit sordidos, sed etiam Publicanos recipit, *Luc. 15. 2.* sanguis ejus est, qui nos à peccato emundat, *1. Ioh. 1. v. 7.* Uti per aquam Jordanis Naeman purgabatur à lepra, *2. Reg. 5. v. 14.* Sic nos per Christi sanguinem à culpa. *7. Mundat*

8. *Sanat* infirmos, nec abjicit languentes. Ipse Sanator est, *Exod. 15. v. pen.* Verus Samaritanus est, qui vulnera nostra curat, *Luc. 10. v. 33.* Ipse scabiosos hædos separat, ne ab iis inficiamur. *8. Sanat.*

9. *Quærit* errantes. Venit enim in eremum hujus mundi, quærere quod perierat, *Luc. 19. v. 10.* Uti Pastor ipsis spinis se inserit, quò ovem extrahat: Ita Christus spinarum & calamitatum stimulos passus est, ut nos redimeret. Quod ne frustrà sit, unumquemq; quærit, & de inventis maximoperè lætatur, *Luc. 15. v. 6.* *9. Quærit.*

10. *Portat* nos humeris suis, ut Pastor ovem infirmam, & post errorem inventam. Non extinguit linum fumigans, *Esa. 42. v. 3.* sed qui dedit velle, dat etiam perficere, *Phil. 2. v. 13.* id quod est portare & conservare. *10. Portat.*

11. *Defendit* nos adverſus tyrannos perſequentes, hæreticos ſeducentes, falſos fratres inſidias ſtruentes, quò ſpectant dicta, *Eſa. 4. v. 6. cap. 43. v. 2. Zach. 2. v. 5.* & ſimilia.

Tandem 12. in agone mortis *in domum quietis nos ducit*; ex hac valle miſeriarum, in arcem ſempiternæ lætitiæ, ex terrâ peregrinationis in regnum manſionis, ex campo militiæ in theatrum victoriæ nos transfert, ubi nulli ſunt lupi, nullæ oves errantes, nullæ languentes, ſed certa ſecuritas, ſecura felicitas, & felix æternitas. *Duc nos eò, & trahe nos poſt te, ô Paſtor ſuaviſſime, Redemtor noſter unice.* Tibi ſit laus: tibi ſit gratiarum actio in æternum, Amen.

EVANGELIVM DOMINICA JUBILATE,

Ioh. 16. à v. 16. uſque ad 22.

De Chriſti medico & Apoſtolorum triſtitia.

V. 16. Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ὑπάγω πρὸς τὸν Πατέρα.

PAuliſper & nō videbitis me, & iterum pauliſper, & videbitis me, quippe qui abeam ad Patrem.

VBer ein kleines ſo werdet jhr mich nicht ſehen / vn̄ aber vber ein kleines / ſo werdet jhr mich ſehen / den̄ ich gehe zum Vatter.

17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς ἀλλήλους, τί ἐστι τοῦτο ὃ

Dicebant itaq; diſcipuli ejus alius ad alium, Quid eſt

Da ſprachen etliche vnter ſeinen Jüngern vnter einander / Was iſt das /

λέγει

λέγει ἡμῖν, μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με, καὶ, ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν Πατέρα.

hoc quod dicit nobis: Paulisper, & non videbitis me, &iterum paulisper & videbitis me, & quia vado ad Patrem meum?

das er sagt zu vns: Vber ein kleines so werdet jhr mich nit sehen/ vnd aber vber ein kleines so werdet jhr mich sehen/ vnnd das ich zum Vatter gehe?

18. ἔλεγον οὖν, τοῦτο τί ἐστιν ὃ λέγει, τὸ μικρόν; οὐκ οἴδαμεν τί λαλεῖ.

Dicebant igitur, Quid illud est, paulisper quod dicit? nescimus quid loquatur.

Da sprachen sie: Was ist das/ Vber ein kleines? Wir wissen nicht was er redet.

19. ἔγνω οὖν ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἤθελον αὐτὸν ἐρωτᾷν, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, περὶ τούτου ζητεῖτε μετ᾽ ἀλλήλων, ὅτι εἶπον, μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με.

Jeschua verò sciens eos velle ipsũ interrogare, dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quòd dixerim vobis, Paulisper & non videbitis me, & iterum paulisper & videbitis me.

Da mercket Jesus/ das sie jn fragen wolten/ vnnd sprach zu jhnen: Davon fraget jhr vntereinander/ dz ich gesagt habe: Vber ein kleines so werdet jhr mich nicht sehen/ vnnd aber vber ein kleines so werdet jhr mich sehen.

20. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι κλαύσετε, καὶ θρηνήσετε ὑμεῖς. ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται. ὑμεῖς δὲ λυπηθή-

Amen, Amẽ dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem lætabitur, vósq; ægritudine afficiemini,

Warlich/ warlich ich sage euch: Jhr werdet weinen vnd heulen/ aber die Welt wird sich frewen. Jhr aber werd trawrig sein/

σεσθε, ἀλλ᾽ ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται.

sed ægritudo vestra in gaudium evadet.

doch ewer Traurigkeit soll in Frewde verkehret werden.

21. ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει. ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς. ὅταν δὲ γεννήσῃ τὸν παιδίον, οὐκ ἔτι μνημονεύει τῆς θλίψεως, διὰ τὴν χαρὰν, ὅτε ἐγενήθη ἄνθρωπος εἰς τὸν κόσμον.

Mulier quùm parit ægritudine afficitur, quia venit dies partus ejus: quùm autem pepererit filium, non meminit angoris sui propter gaudiũ illud, quòd natus sit homo in mundo.

Ein Weib/wenn sie gebieret / so hat sie Trawrigkeit/ denn jhre Stunde ist kommen. Wenn sie aber das Kind geboren hat / dencket sie nicht mehr an die Angst/ vmb der Frewde willen/ das der Mensch zur Welt geboren ist.

22. καὶ ὑμεῖς οὖν λύπην μὲν νῦν ἔχετε, πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ᾽ ὑμῶν.

Et vos quidem nunc ægritudine estis affecti, sed iterum videbo vos, & lætabitur cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Vnnd jhr habt auch nun Traurigkeit / Aber ich will euch wider sehen/ vnd ewer Hertz soll sich frewen / vnnd ewer Frewde soll niemand von euch nehmen.

Homilia.

Summa Evangelij.



IACOBUS Patriarcha jam jam moriturus, duodecim filios suos convocavit, simulque bona & mala ipsis eventura prædixit, *Gen.* 49. Christus omnium Patrũ Pater, ante beatum è vivis discessum suum, idem observavit. Nam congregatis duodecim Apostolis amicè valedixit, prænun-

nuncians similiter *tum mala,* ne in boniseffferentur, *tum bona,* ne in malis dejicerentur. Summa hæc est præsentis Evangelii, quod tamen principaliter de *Apostolorum pressura* loquitur, ut *Evangelium crucis & lacrymarum* rectissimè appellari possit.

Scire vultis Christiani, quæ vestra sors futura sit? *Plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit.* Hoc ipse veritatis doctor annunciat, ut ad crucem ferendam quivis se præparet. Nam ut tela prævisa minùs nocent: ita crux præmonstrata minùs terret. Basiliscus si primùm videat hominem, lædit; sin priùs videatur, lædere nequit: sic mala prævisa & prædicta non tam consternatos reddunt animos, quàm quæ præter spem & opinionē subitò eveniunt. Nobis ergò præsenti Evangelio consulere Christus voluit, ut paratiores ad scholam crucis accederemus.

Mala prævisa minꝰ nocent.

Quatuor verò partes inprimis continet.

Partes Evangelij.

1. Futurorum prædictionem, *v.16.*
2. Discipulorum quæstionem, *v.17.18.*
3. Christi responsionem, *v.19.20.21.&*
4. Veri gaudii promissionem, *v.25.*

Nos duntaxat *versum 20.* considerabimus, ubi Christus ait: *Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Dicemus autem 1. De *piorum cruce,* 2. De *impiorum gaudio,* 3. De *crucis præmio, & exoptatâ permutatione.* Faxit Crucifixus, ut crucem rectè consideremus, & patienti animo feramus, Amen.

Propositio.

PARS I.

De Piorum Cruce.

VOx Christi, quâ suos Apostolos compellat, fletus prænuncia est. *Vos*, inquit, *flebitis & plorabitis.* Non autem hoc solos Apostolos concernit, licet iis solis loquatur Christus. Tres enim respectus in illis occurrunt, quia erant 1. *Apostoli*, 2. *Doctores*, 3. *Fideles* vel Christiani, unde tria oriuntur genera compellationum Christi.

Tria genera dictorũ Christi ad Apostolos.

1. Singularia.

1. Quædam dicta sunt *Singularia*, Apostolos, quâ tales, attinentia, ut istud Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes*. Mandatum hoc solis discipulis datum fuit, qui esse debebant præcones Oecumenici, in quo si quis ipsos imitari vellet, is sine missione curreret.

2 Specialia

2. Quædam dicta sunt *Specialia*, quæ diriguntur ad Apostolos, quatenus doctores sunt, ideoq; non de solis Apostolis, sed de omnibus Pastoribus intelligi & exponi debent, ut istud *Matt. 18. v. 18. Amen dico vobis. Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Potestas clavium hîc conceditur, quæ sanè non Apostolis solis, sed omnibus verbi ministris demandata est.

3. Generalia.

3. Quædam dicta sunt *Generalia*, facta ad Apostolos, quatenus erant fideles, quam ob caussam omnes Christianos ex æquo attinent, juxta illud, Marc. 13. v. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico.*

Et hujusmodi generalis sententia est hæc præsens, quâ Christus crucem & fletum Apostolis prænunciat, in quantum fideles erant, ideoque sors eadem nos singulos & universos manet. Patiendum,

endum, plorandum est: aliter non fuit, non erit. Et potest prædictionis hujus veritas multis demonstrari. Sufficiant hîc tria 1. Dicta, 2. Similia, 3. Exempla.

Christianis patiendum & plorandũ esse probatur.

1. Dictis.

I. Dicta leguntur, Jobi 5. v.7. *Homo nascitur ad miseriam, ut avis ad volandum.* Psalm. 34. v. 25. *Multæ tribulationes justorum.* Syr. 2. v. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, Matth. 16. v. 24. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me.* Lucæ 14. vers. 24 *Qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Johan. 15. vers. 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Actor. 14. vers. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Rom. 8. v. 17. *Compatimur, ut & conglorificemur.* 1. Thessal. 3. vers. 3. *Nemo moveatur in tribulationibus. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* 2. Timoth. 3. v. 12. *Qui piè volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* 1. Petr. 4. v. 12. *Charissimi, nolite tanquam ad rem peregrinam obstupescere propter æstum, quod ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid contingat: sed communicantes Christi Passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*, Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ex his igitur patet, omnes attinere, quod Apostolis dictum est, adeò ut omnes plorare & querulari cogantur cum Asaph, ex Psalm. 80. v. 6. *Domine Deus exercituum, quousque irasceris super orationem populi tui? Cibas nos pane lacrymarum, & potas nos lacrymis copiosè.*

Similia

2. Similibus. Christiani sunt similes Peregrinantibus.

II. Similia petuntur ex iis rebus, quibus Christiani comparantur. Similes verò sunt.

1. *Peregrinantibus.* Hîc enim in via sumus, nondum in Patria. Mundus via, cœlum Patria est. Quamdiu ergò vivimus in mundo, tamdiu peregrinamur à cœlo. Unde Jacobus dies vitæ suæ, dies peregrinationis vocat, *Gen. 47. v. 9.* Uti verò viatoribus multa mala obveniunt; sic fidelibus. Jam imbres calamitatum ingruunt, jam procellæ persecutionum surgunt. Pugnandum est cum latronibus tartareis: confligendum cum seductoribus hæreticis: abigendi sunt canes impuri nos circumquaque allatrantes, quæ omnia multos & magnos in animis piorum ejulatus excitant.

Navigantibus.

2. *Navigantibus.* Ecclesia enim navicula est, *Matth. 8. v. 23.* in quam ascendimus, quum Christo nomen damus. Jam quis ignorat navigantium pericula? Siracides illa exaggerat *cap. 43. v. 26.* Qui navigant in mari, enarrant pericula ejus, & audientes auribus nostris admiramur. Veteres dixerunt: *Tantum distare vitam navigantium à morte, quantum navis supra aquas emineat.* Biantis judicium fuit, *Nautam nec inter vivos, nec inter mortuos esse.* Aristippus interrogatus, quid inter vitam & mortem, quando quis navigaret, interesset? *Nil nisi lignum*, respondit; per quod navem intellexit, quâ fractâ perditur vita. Eodem modo cum Christianis comparatum est. Verè illi vivunt in mundo, velut in mari impetuoso. Jam venti hæreseωn terrent; jam fluctus persecutionum surgunt; jam varia monstra, hoc est, peccatores varii occurrunt, & Sirenes hujus seculi multos incautos decipiunt, unde vicissim dolor & ploratus excitatur.

3. *Militantibus.* Vita enim nostra est militia, *Iob.7.v.1.* & certamen, *2.Tim.4.v.7.* unde Apostolus monet, 2.Tim.2.v.3. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi.* Milites verò quot quæso mala experiuntur? Jam cibus, jam potus deficit, mox ab hoste fit irruptio, ubi defatigantur, vulnerantur, imò sæpiùs planè occiduntur: Sic Christiani in hac terra velut in castris publicis degunt. Pugnandum est adversus carnem, ne inficiat; adversus mundum, ne decipiat; adversus diabolum, ne interficiat. Colluctandum nobis est adversus principes & potestates, adversus rectores tenebrarum, inquit Apostolus, *Ephes.6.v.12.* Quæ lucta, quàm acerba & dolorosa sit, illi dicent, qui experti sunt. Nos autem quum viatores simus, nautæ & milites, perpetuam pacem & felicitatem non expectemus, sed ad crucem ferendam, ad fletum & ploratum maturè nos præparemus. *Militantibus.*

III. Exemplis abundant Scripturæ V. & N. Testamenti. Abel occiditur, *Gen.4.v.8.* Noachus Arcæ velut carceri includitur, *Gen.7.vers.7.* Abraham exulat, *Genes.13.v.10.* & tentatur, *Gen.22.v.1. & seqq.* Jacob à Socero iniquè tractatur, *Genes.30.* Josephus venditur, *Genes.37.v.18.* Jobus maximè affligitur, *cap.1. & 2.* Israelitæ in Ægypto premuntur, *Exod.1.v.5.* in deserto circumvagantur; in terrâ Canaan ab hostibus sæpissimè affliguntur, præsertim tempore Antiochi, ante Adventum Christi. Post hujus Ascensionem reipsâ experti sunt Apostoli, quod hîc prædictum fuit. *Petrus & Andreas* crucifixus, *Iacobus* major decollatus, *Philippus* lapidibus obrutus, *Bartho-* *3. Exemplis.*

lomæus

lomæus excoriatus, *Thomas* lanceis transverberatus, *Matthæus* clavis in terram defixus *Iacobus* minor à pinnâ templi dejectus, *Iudas Thaddæus* à Sacerdotibus Ethnicis interemtus, *Simon* flagris cæsus, *Matthias* lapidatus, *Marcus* combustus, *Lucas* suspensus, *Paulus* decollatus est. Annón ita completum, quod Christus dixit: *Vos flebitis, mundus gaudebit?* Si universam Novi Testamenti Ecclesiam consideres, *tria* ejus *secula* constituuntur ratione calamitatum; quas passa est & patitur.

Tria secula N. Testamenti.

Primum vocatur seculum *Violentiæ*, quod duravit per 300. annos, sub decem persecutionibus Romanis, ubi templa combusta, Christiani miris miserisque modis interfecti sunt. *Secundum* nominatur seculum *fraudulentiæ*, quo hæretici suis technis Ecclesiam maximè inquietârunt, quales erant Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, qui damnati sunt in quatuor Conciliis Oecumenicis, in Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi. In *tertio* conveniunt *vis & lis*, ideoq; seculum *violentæ fraudulentiæ, & fraudulentæ violentiæ* appellatur. Cœpit hoc post sexcentesimum à Christi nativitate annum, quum Episcopi Romani degenerarent in Antichristos, qui Ecclesiam hæresibus, Imperium Rom. bellis & seditionibus devastârunt. In isto seculo etiamnum vivimus, & durabit usque ad diem ultimum pantocriticum, ideoque nemo putet, se immunem fore ab adversitatibus. Semper vera est sententia Christi *Vos flebitis*. Cur igitur crucem fugiemus, quam tamen effugere non possumus? Pulcrè *Andreas* Apostolus:

Violentiæ.

Fraudulentiæ.

Fraudulentæ violentiæ.

lus: *Crucifixum Christum non prædicarem, si crucem illius reformidarem.* Et Bernhardus: *Pudeat membrum deliciari sub capite spinis coronato.* Cyprianus refert de collega ægrotante, quòd quum impatiens esset in cruce, Christus apparuerit, increpans illum & dicens: *Pati non vultis, exire timetis, quid vobis faciam.*

Nos igitur tam molles non simus, ne Christo conquerendi ansam præbeamus. Quod mutari nequit, æquo feramus animo. Quum bonis in bonum cedant omnia, *Rom. 8. v. 28.* ipsum malum quoque bonum erit, & ad bonum cooperabitur. Sic enim probatur fides, peccatum agnoscitur, caro domatur, Christo conformatur. Nam *Schola crucis, Schola lucis est;* παθήματα, μαθήματα, *Quæ nocent, docent.* Johannes Ægyptius crucem detractanti ait, *Rem tibi necessariam cupis abjicere?* Clemens Alexandrinus: *Per crucem fies teipso melior.* Hieronymus: *Crux fidei coticula.* Augustinus: *Ubi nulla tentatio, ibi nulla oratio.* Quidam frater Noihardus dicere fuit solitus: *Precatio sine malis est quasi avis sine alis.* Sta priùs sub cruce, si vis audiri in luce. O sancta precatio, quam profert sancta tribulatio! Si Catechismũ consideres, crux ad omnium partium praxin conducit. Nam malis pressi, Decalogum diligentiùs observant, articulos fidei penitiùs addiscunt, ferventiùs orant, Baptismi crebriùs recordantur, & pane benedicto sæpiùs utuntur. Quocirca possidete animas vestras in patientia, *Luc. 21. vers. 19.* Si flendum & plorandum est, cogitate quòd crux à DEO imponatur, qui semper bona de nobis cogitat. Veterum fuit Proverbium:

Varii usus crucis.

Tribula-

Tribulatio justi est ludus Dei. Modicum se subtrahit, mox iterum apparet. Unde igitur plangis quod pateris? *Medicina est, non pœna,* inquit *Augustinus*, qui propterea sæpè orabat : *Domine hîc seca, hîc cade, hîc ure, ut illic parcas.*

PARS II.

De Impiorum gaudio.

UT piis plerunque malè est, sic malis benè. *Vos flebitis*, ait Christus, *sed mundus gaudebit.* O rem admirandam! Dei cultores patiuntur. Osores lætantur! Sed nolite offendi, *Fratres Charissimi.* Sic comparatum est cum mundi gaudio, ut desiderare illud nemo debeat.

Gaudium mundi est 1. Maledictum.

Nam 1. est *gaudium maledictum.* Ita enim legitur, Luc. 6. v. 25. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Quis verò audeat comedere cibum à Deo maledictum? Mundi voluptas hujusmodi cibus est: Quis igitur illum appeteret? Serpentem omnes detestamur, quia Deus illi maledixit, *Gen. 3. v. 14.* Cur non magis mundi gaudia execramur, quæ antiqui serpentis venena sunt, quibus nos inficit, & bonis omnibus privat.

2. Vanum.

2. Est *gaudium vanum.* Nihil enim in mundo reperitur, quod solidam & constantem lætitiam gignat. *Hieronymus* dixit, Mundum, si exenterari posset, ejusq; interiora penitiùs inspici, præter fucum & inanes fallacias nihil interiùs habiturum. Quicquid enim habet, *aut* præteritum est, quod jam reverà nil est; *aut* futurum, quod penitùs incertum; *aut* præsens, quod ipsum inconstans, mobile & infirmum est. Hinc non imme-

immeritò comparatur *pomis Sodomiticis*, quæ foris pulcra, intùs cineres & favillæ ſunt. Nam ob tria potiſſimum gaudent mundani 1. Ob *Voluptates*, 2. *Opes*, 3. *& Honores*. Unde tria hominum genera oriuntur, 1. ἀπολαυστικὸν vel voluptuoſum, 2. χρηματιστικὸν vel quæſtuoſum, 3. πολιτικὸν vel ambitioſum, de quibus Johannes agit, *1. Epiſt. 2. verſ. 16.* Sed omnia hæc vana ſunt, nec veram cordis lætitiam afferunt. Nam gaudium deliciantium eſt *brutum*, quo bona fortunæ, corporis & animæ perduntur. Gaudium avarorum eſt *ſtultum*, quia colligunt anxiè, quæ tamen retinere nequeunt. Gaudium ambitioſorum eſt *laborioſum*, unde Bias rogatus, quis eſſet miſerrimus, Reſpondit: *Alta affectans.* Nam torquetur, ut ardua aſſequatur, & aſſecutus æquè torquetur, ne amittat. Mundus ergò ſuum habeat ſibi gaudium. Lætetur quam diu voluerit: nos penitere iſtud tanti non ememus.

3. Eſt *gaudium dolore mixtum.* Riſus enim dolore miſcebitur, *Proverb. 14. v. 13.* & pax nulla eſt impiis, *Eſa. 48. v. ult.* Ut titillatio riſum excitat, ſed moleſtum: Sic mundi lætitia multis moleſtiis eſt perfuſa. Qui læta ſomniat, gaudet; ſed evigilans dolet, quòd ſpe inani ſe lactaverit: Sic mundi voluptas merum ſomnium eſt: quamdiu durat, quodammodo lætamur: ſed evigilante conſcientiâ mox iterum triſtamur. Hinc Pſaltes inquit Pſal. 76. v. 6. *Dormiunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis*, h. e. Mundani, dum in lecto deliciarum dormiunt, felices ſe exiſtimant; ſed experrecti omnia vana fuiſſe intelligunt & dolent.

3. Dolore mixtum.

4. Pernicio-sum. 4. Est *gaudium perniciosum*. Quod enim venenum corpori, hoc voluptas animo. *Si secumdum carnem vixeritis, moriemini*, Rom. 8. v. 13. Mundi gaudium caussa est, quòd adversus animam corpus: adversus rationem appetitus: adversus spiritum caro conspirat & militat. *Non potest ad contemplandum Deum mens esse libera, quæ desideriis hujus mundi inhiat*, inquit *Isidorus* de summo bono. Ut oculus pulvere oppletus, cœlum: sic animus voluptati deditus, superna intueri nequit. Unde nîl aliud sequi potest, quàm æternum exilium & exitium. Qui enim in bono ducunt dies suos, in puncto ad inferna descendunt, *Iob. 21. vers. 13.* Quantum quis se glorificat; tantum ei tormentum datur, *Apoc. 18. v. 7.* Pulcrè Bernardus in Serm. *Qui in delitiis hujus mundi transigit vitæ curriculum, similis est latroni, qui per prata florida ducitur ad suspendium.*

5. Breve & momentaneum. Tandem 5. *Est gaudium breve & momentaneum.* Quum maximè lætantur, hinc exire jubentur, ut exemplum divitis probat, *Luc. 12. v. 20.* Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti, *Iob. 20. v. 5.* Punctum est quod vivimus, & adhuc puncto minus, inquit *Seneca* lib. 6. Ep. 7. ad Lucil. Nota sunt Exempla primi mundi, *Gen. 7.* NebucadNezaris, *Dan. 4.* & Belsazaris, *c. 5.* qui in mediis deliciis abrepti & puniti sunt. *Momentaneum est, quod delectat, sed æternum, quod cruciat*, inquit Greg. in Serm. Qui verò hîc seminant in lacrymis, cum exultatione metent, *Psalm. 126. v. 5.* Cygnus toto vitæ tempore tristis est, sed morti vicinus, suavissimè canit: Siren contrà, quamdiu vivit, cantat, sed morte imminente suspirat.

Imagi-

Imagines sunt hæ piorum & impiorum : *Illi* hîc lacrymantur, sed in morte lætantur : *hi* contrà rident, dum in terris agunt, sed morituri, ut Sirenes plorant, qui pro momentaneis æterna perdiderunt.

PARS III.

De Crucis Præmio.

HOc ita de scribit Christus : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* O felicem & exoptatam μεταμόρφωσιν, quâ fletus in risum, tristitia in gaudium commutetur. Est autem hæc permutatio duplex. *Tristitia piorum mutatur in gaudiũ.*

1. *Temporalis*, siquidem & in hac vitâ pii nonnunquam exhilarantur. Non semper Noachus in arca, Josephus in carcere, Daniel in fovea latet ; egrediuntur quandoq; , protrahuntur, & exhilarantur. Huc spectat promissio Jehovæ, Esa. 54. v. 7. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, *Matth. 5. v. 4.* Faber ferrarius, ubi ferrum in fornace mollivit, aquam mox aspergit, ut temperetur : sic quum igne tribulationis excocti sumus, aquâ divinæ consolationis aspergimur. *1. Temporaliter.*

2. *Perennis*, quæ in cœlo futura est, ubi verè omnis tristitia vertetur in gaudium. Ibi enim lacrymas absterget Deus, *Esa. 25. v. 8.* & servi ejus comedent, *Esa. 65. v. 14.* ibi venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos, *Psalm 126. v 5. 6.*

Gaudium hoc erit benedictum, verum & merum. 1. Ob *domicilii majestatem*, quod erit cœlum;

altera illa Hierosolyma, cujus pulcritudo *Apoc. 21.* describitur. 2. Ob *animæ & corporis dignitatem*, quia illa virtutibus, hoc novis qualitatibus, quas glorificatorum dotes vocant, ex ornabitur. 3. Ob *actionum jucunditatem*; quia 1. cum Angelis conversabimur, 2. Deum videbimus, 3. visum amabimus, 4. amatum laudabimus, & in æternum cum omnibus beatis glorificabimus. O *quando veniemus eò, & apparebimus ante faciem Dei!* ait August. cap. 35. Soliloq. *Veni Domine, & noli tardare*, ut lætemur coram te corde perfecto, & post ejulatus varios, perennem Jubilate Dominicam celebremus: *Tibi sit interim laus & gratiarum actio in æternum*, Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA CANTATE.

Ioh. 16. à v. 5. usque ad 15.

De Christi abitu ad Patrem.

v. 5. Νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με, ποῦ ὑπάγεις.	Nunc autem vadò ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis.	Nun aber gehe ich hin zu dem der mich gesandt hat / vnd niemand vnter euch fraget mich / Wo gehestu hin.
6. ἀλλ᾽ ὅτε ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν.	Hæc enim dixi vobis, & venit ægritudo, implevitque corda vestra;	Sondern / dieweil ich solches zu euch gered habe / ist ewer Hertz voll trawrens worden.

ἀλλ᾽

7. ἀλλ᾽ ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς. ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς.

Sed ego veritatem dico vobis, satius vobis fuerit, ut ego abeam: nisi enim abiero, Consolator ille non veniet ad vos: sin autem abiero, mittā eum ad vos.

Aber Ich sage euch die Warheit: Es ist euch gut / dz ich hin gehe. Denn so ich nicht hin gehe / so kommet der Tröster nicht zu euch. So ich aber gehe / will ich jhn zu euch senden.

8. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως.

Et quum venerit ille, arguet mundum de Peccato, & de Justitia, & de Judicio.

Vnd wenn derselbige kommet / der wird die welt straffen / vmb die Sünde / vmb die gerechtigkeit / vñ vmb das Gerichte.

9. περὶ ἁμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ.

De Peccato quidem, quia non credunt in me.

Vmb die Sünde / dz sie nicht glauben an mich.

10. περὶ δικαιοσύνης δὲ, ὅτι πρὸς τὸν Πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με.

De Justitia autē quia ad Patrem vado, nec amplius videbitis me.

Vmb die Gerechtigkeit aber / das ich zum Vatter gehe / vnd jhr mich fort nicht sehet.

11. περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται.

De Judicio verò, quia princeps mūdi hujus judicatus est.

Vmb das Gerichte / dz der Fürst dieser Welt gerichtet ist.

12. ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ᾽ οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι.

Adhuc multa mihi sunt vobis dicēda, sed nō potestis capere nunc.

Ich habe euch noch viel zu sagen / aber jr könnets jetzt nicht tragen.

13. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem; non enim loquetur ex mente sui ipsius, sed quicquid audierit ipse loquetur, & quæ futura sunt, nota faciet vobis.

Wenn aber jener der Geist der Warheit kommen wird/ der wird euch in alle Warheit leiten. Denn er wird nicht von jhm selber reden / sondern wz er hören wird / das wird er reden/ Und was zukünfftig ist/ wird er euch verkündtgen.

14. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Ipse glorificabit me, quippe qui de meo accipiet, & renunciabit vobis.

Derselbige wird mich verklärẽ/ denn von dem meinen wird ers n[illegible]men/ vñ euch verkündigen.

15. πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατήρ, ἐμά ἐστι. διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Quicquid habet Pater meus, meum est: propterea dixi vobis, ex meo accipiet, & renunciabit vobis.

Alles was der Vater hat / das ist mein/ darumb habe ich euch gesagt: Er wirds võ dem meinen nemẽ / vñ euch verkündigen.

Homilia.



RAPHAEL postquam Legationem suam perfecisset, & magnâ Tobiæ domum felicitate cumulâsset, Patri & Filio valedicens ait: *Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit: Vos autem benedicite Deo, & narrate omnia mirabilia ejus*, Tob. 12. v. 20.

Eodem

Eodem modo Christus magni consilii Ange- *Summa*
lus, *Esa. 9. v. 6.* discipulis suis in hodierno Evan- *Evangelij.*
gelio valedixit. Ut enim legati est, exire à principe, & post peractum negotium, vicissim redire ad ipsum: Sic Christus exiit à patre in mundum, & iterum relicto mundo, rediit ad Patrem. Quum ergò redemptionis nostræ, adeoq; legationis suæ negotium consummaturus, & universum orbem benedictione cumulaturus esset, Raphaelis instar, *Nunc*, inquit, *vado ad eum, qui misit me.* Tempus est ut revertar; Vos benedicite, quia *vobis expedit, ut ego vadam.* Omninò expedit, quia per istum abitum reconciliatus est Deus, reparata salus, & Adventus Consolatoris Spiritus promissus. Hinc præsens Dominica meritò *Cantate* inscribitur. Qui titulus desumtus est ex *Titulus hu-*
Psalm. 98. cujus versiculus primus sic habet: *jus Domi-*
Cantate Domino canticum novum, quia mira- *nicæ.*
bilia fecit.

Verè novum possumus cantare Canticũ, quod pressos relevat, tristes exhilarat. Moses præscripsit mala, sed potiùs ejulandi quàm cantandi materiam præbent. Maledictum enim pronunciat eum, qui non permanet in omnibus Legis sermonibus, *Deut. 27. v. ult. Gal. 3. v. 10.* Sed novum jam canticum cantamus, præcentore Christo, qui abitu suo cœlum reseravit, & veram ascendendi rationem monstravit. Non enim sufficit ipsum abiisse: nos sequi, & mundum pariter relinquere oportet: quia non habemus hîc manentem civitatem, *Hebr. 13. v. 14.* sed πολίτευμα nostrum in cœlis est, *Phil. 3. v. 20.* Eò igitur tendere, & velut ad metam unicam collimare debemus.

Tria viatori necessaria. Tria verò sunt necessaria viatori, 1. *Cognitio viæ,* 2. *Fidelis comes,* 3. *Viaticum sufficiens.* Requiruntur hæc etiam in peregrinatione nostra mystica, & innuuntur in hodierno Evangelio. *Viam* suo Christus exemplo delineat: *Comes* Spiritus S. *Viaticum* veritas est. *Illum* Christus promittit, *hanc* ab illo discimus, unde *spiritus veritatis* dicitur.

Propositio. Hac vice duo tantùm prima capita tangemus, dicturi *tum* de itinere nostro mystico, *tum* de comite Spiritu S. qui ut etiamnum in omnem nos veritatem ducat, devotis gemitibus precamur.

PARS I.

De itinere mystico.

SI cum Christo abire volumus ad Patrem, viæ notitiâ inprimis nos instructos esse convenit. Quis metam attingit, si eam ignoret? Vel nunquam, vel difficulter conficitur via, quæ prorsus est incognita. Videamus ergò, ne in primo limine aberremus. Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam, *Matth.* 7. *vers.* 14. Plures enim currunt ad pœnam, quàm gloriam: *Plures vitiis malè blandientibus, quàm utili virtutum asperitati sunt amiciores,* dicente Augustino, lib. 2. de Civ. Dei, c. 8. *In itinere mystico tres termini sunt observandi.* Tria verò in hoc itinere mystico sunt præcognoscenda, 1. Terminus *ad quem,* 2. Terminus *à quo,* 3. Terminus *per quem.* De quibus ordine agemus.

1. Ad quem. I. Terminus ad quem innuitur primis Evangelii verbis: *Nunc vado ad eum, qui misit me:* quod versu 28. luculentiùs exprimitur: *Vado,*

do ad Patrem. Per hunc abitum Chriſti notatur paſſio, inprimis verò ſubſecuta in cœlis exaltatio. Hic enim fuit ultimus terminus, nempe, quòd Chriſtus aſcendit in cœlum, & ſedit ad dexteram Patris.

Qui cœlum. Imitemur hunc præcurſorem, & ad nullum tendamus alium terminum, quàm ad cœlum, ubi Deus Pater eſt, ubi Chriſtus eſt, qui ad Patrem abiit. Sic enim monet Apoſtolus; *Quæ ſurſum ſunt, quærite*, Col. 3. v. 1. *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem*, Mich. 2. v. 10. Cœlum noſtra eſt Patria: Cœleſtem ergò & futuram civitatem inquiramus, *Hebr. 13. v. 14.* Lotho dicebant Angeli, *Gen. 19. v. 7. In monte ſalvum te fac, ne ſimul pereas*, Idem Chriſtus Conſilium ſuggerit. Ad cœli montes reſpicite, quæ ſurſum ſunt attendite: Ita ſalvi eritis, nec in æternum peribitis. Rahab Iſraelitis exploratoribus hoc præceptum dedit, Joſ. 2. verſ. 26. *Ad montana conſcendite, ne fortè occurrant vobis.* Ita & nos tentamus ad cœli montana, ſi effugere volumus hoſtium tela, & quæ inde imminent pericula. Nec eſt, quòd quisquam timeat vel deſperet. Chriſtus præivit, & hoſpitiũ præparavit. Ut latroni pœnitenti: ſic omnibus credentibus etiamnum promittit, *Mecum eritis in Paradiſo*, Luc. 23. v. 43. Non hinc inde vagabitur anima noſtra poſt obitum, ſed mox recipietur in cœlum. Hoc Chriſtus impetravit precibus ſuis, *Ioh. 17.* deſcriptis: *Pater*, inquit v. 24. *quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Hanc claritatem ſi expetimus, cœleſtia ſemper quæramus.

Hîc priùs aſcendamus corde, ut olim ſequamur corpore. Suo Chriſtus auxilio non deerit, quia ad Patrem abiit. Si apud Patrem eſt, ubique eſt, quia Pater ubique dominatur & operatur. Non putemus Chriſtum cœlo incluſum, vel certo loco affixum. Ut Pater adeſt omnibus; ſic & Chriſtus, qui ad Patris dexteram ſedet. Ubi enim duo vel tres in nomine ejus congregati ſunt, ibi ipſe eſt in medio eorũ, *Matt.18. v.20.* Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut omnia impleret, *Eph.4.10.* Quare nobiscum eſt uſq;ad conſummationem ſeculi, *Matt.28. v.20.* Hoc duce alacriter pergamus, nec de ſucceſſu quicquam dubitemus. Quia ipſe exaltatus eſt, hinc nos omnes trahet ad ſeipſum, *Ioh. 12. v. 32.* Ubi enim ego ſum, *inquit ipſe*, illic & miniſter meus erit, *verſ. 26.*

2. *A quo.* II. Terminos in quo geminus eſt: *alter* præſens, *alter* futurus. *Ille* mundus, *hic* vita eſt. Utrumque Chriſti exemplo deſerendum. Ille enim mundum reliquit, *Ioh. 17. v. 28.* & animam ſuam poſuit, *Ioh. 15. v. 15.*

Hic eſt Mundus: Ita & nos 1. *Relinquamus mundum*, & omnia quæ in eo ſunt. *Nemo enim poteſt gaudere cũ mundo, & regnare cum Chriſto*, ait Auguſtinus. Quid eſt mundus? *Stabulum peſſimorum hominum*, reſpondit Lutherus; In maligno mundus eſt poſitus, *1. Ioh. 5. v. 19.* Si quis ergò diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, *1. Ioh. 2. v.15.* In mundo preſſuram habemus, *Ioh. 16. v.ult.* quis illi perpetuò adhæreret? Fugimus locum, in quo meræ turbæ ſunt: cur ergo mundum hunc turbulentum tam difficulter relinquimus? Ipſe tranſit & concupiſcentia ejus, 1. *Ioh. 2. v. 17.* Quid ergò eliges?

Num

Num amare temporalia, & transire cum tempore? An amare Christum, & vivere in æternum. Unum enim deserendum est, quia utrumq; haberi nequit. Omnes aves quæ volant simul & natant, immundæ olim Deo erant, *Lev.* 11. *v.* 26. Sic immundi sunt, Deóq; displicent, qui in mari hujus seculi natare, & simul ad cœlestia evolare gestiunt. Inter cæteras Testamenti Vet. leges erat, *Non seres agrum tuum diverso semine,* Levit. 19. v. 19. Sic in animæ agro simul seri non potest, non debet semen mundanæ voluptatis, & desiderij cœlestis. Quamdiu Ægyptia farina in Hebræorum vasis durabat, manna cœlitus non descendebat, *Exod.* 16. Mundi hujus deliciæ quid aliud sunt, quàm Ægypti farinæ? Quamdiu hæ in animarum vasculo hærent, cœleste manna non descendet, neq; mens cum Christo cœlum ascendet. Rectè Bernhardus Serm. 6. de Res. Dom. *Mens occupata carnalibus desideriis, gratiam Spiritus Sancti nō speret.* Relinquamus ergò mundum, ut accipiamus Sanctū Spiritum, ut cum Christo perveniamus in cœlum.

2. *Ponamus vitam.* Uti Christus ad moriendum fuit promtus: ita nos ejus promtitudinem imitemur. Quid aliud est vita, nisi labor & dolor? *Psal.* 90. 10. Vivimus hîc ut nautæ inter procellas; & ambulamus, ut peregrini inter latrones. Quis non lubenter exeat, & ad patriam contendat? Non turbetur ob id cor nostrū. Nam ut Christus per mortem abiit ad Patrem: sic quando morimur, in cœlum assumimur. Obitus noster verè abitus, merúsque transitus est. Hîc peregrinamur à Domino, 2. *Cor.* 5. *v.* 6. sed per mortem illi conjugimur. Desideremus ergò cum Paulo dissolvi; *Phil.* 1. *v.* 23.

Et vita temporalis.

Expe-

Expedit nobis, ut vadamus. Ita enim colligentur animæ nostræ in fasciculo viventium, *1. Sam 25. v. 29.* erimus cum Domino, *1. Thessal. 4. v. 17.* & videbimus eum de facie ad faciem, *1. Cor. 13. v. 12.*

2. Per quē. III. Terminus per quem est Christus, ejúsque meritum. *Ego,* ait v. 7. *Veritatem dico, expedit vobis, ut vadam.* Et quidni expediat? Ipse solus fons salutis est, per quem transimus in cœlum. *Et Christus est.* Nullus eò pertingit, nisi qui per Christum ascendit. Ipse est justitia nostra, *Ierem. 23. v. 6.* & sanctificatio, *1. Cor. 1. v. ult.* per ipsum habemus accessum, *Rom. 5. v. 2.* nec est in alio salus, *Act. 4. v. 12.* sed tantùm per nomen ejus remissionem peccatorum accipimus, *Actor. 10. v. 43.* Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, ait ipse *Ioh. 10. v. 9.* Introimus verò per illum, si verâ fide apprehendamus. Quid enim passio prodesset, nisi fides eam sibi applicaret? Jacobus scalam vidit, quâ accessus ad cœlum patuit, *Gen. 28. v. 12.* Christus scala cœli est, qui terram tangit quoad humanitatem, cœlum, quoad divinitatem. Arripe hanc scalam fideli pectore, & tutus sine periculo poteris ascendere. Qui enim ad ipsum venit, foràs non ejicietur, *Ioh. 6. v. 37.* Uti verò Christi meritum fide est apprehendendum, sic & *Vitam* ejus, quæ instar viæ fuit, quantum possumus, imitari debemus. *Vitā Christi imitemur.* Multiplex fuit via, quâ Christus ivit per mundum. Fuit via *paupertatis*, Matth. 8. v. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Fuit via *magnæ charitatis*, quia seipsam tradidit, serviens in luto miseriarum, ut nos ab illis liberaret, 1. *Tim. 2. vers. 6.* Fuit via magnæ *humilitatis*, sicut

ſicut inquit Matth. 11. v. 29. *Mitis ſum, & humilis corde.* Fuit via *perfectæ obedientiæ*, de qua Phil. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Fuit via *ſummæ patientiæ*, de qua Eſa. 53. verſ. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcit.* Fuit via *perfectæ victoriæ*, quia ipſe vicit opera peccati, mundum & Diabolum, ſicut ait Joh. 16. v. ult. *Confidite, ego vici mundum.* Hæc fuit illa multiplex via Chriſti, per quam & nos incedere oportet, non quòd operibus ſalutem conſequamur, ſed ut fidem, unicum ſalutis organum, teſtificemur, & Chriſto, per quem cœlum aſcendimus, hîc quodammodò aſſimilemur, quò ibi perfectè conformemur.

PARS II.

De Itineris Comite.

VIator, ante omnia circumſpicit, ut fidelem viæ ducem comitémq; adipiſci poſſit. Chriſtus ergò, dum nos ad iter myſticum inſtruit, cœleſtem ducem & comitem oſtendit: *Si non abiero,* inquit, *Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Magnum hoc eſt beneficium, & inſigne abitus Chriſti commodum. Lubrica enim eſt & ſalebroſa mundi via: Facilè poſſumus aberrare, & in latrones incidere: Sed nihil timeamus, quia ducem habemus, contra errores manentem, contra latrones & hoſtes pugnantem.

Non autem putemus, Chriſti præſentiam in terris pugnare cum adſiſtentia Spiritus Sancti,

quia inquit, *Paracletum non venturum, nisi abierit:* sed duntaxat ordinem indicat beneficiorum. Sic enim decretum erat divinitùs, ut visibilis effusio Spiritus Sancti, de qua propriè Christus hic loquitur, non fieret, nisi Passio & Ascensio præcederet.

Spiritus Sanctus est

Nobis verò hunc comitem Christus commendat tribus potissimùm nominibus.

1. Consolator.

I. Quia est Consolator. Hinc enim vocat παράκλητον, quod vocabulum forense est,& notat advocatum, qui causam clientis coram tribunali fideliter agit, ne ipsi fiat injuria; vel animum despondeat præ tristitia. Idem nobis præstat Spiritus Sanctus. Quamdiu peregrinamur, multa quidem patimur, sed ille nos semper consolatur. *Duo*

Varia Christianorum mala.

verò sunt genera malorum, quæ Christianis peregrinationantibus obveniunt. Quædam sunt *publica*, quædam *privata*. Mala *publica* ortum trahunt *vel* à tyrannis, *vel* ab hæreticis, *vel* à falsis fratribus. *Tyranni* nocent armis, *hæretici* erroribus, *falsi fratres* malis exemplis. *Illi* sæviunt in corpora, *isti* perdunt animas, *hi* scandala periculosa excitant. Sed in omnibus consolantem habemus Spiritum. Reddit nos animosos, sævientibus tyrannis; in fide stabiles contra hæreticos, in bono constantes adversus falsos fratres. Mala *privata*, *vel* sunt internæ tentationes, *vel* externæ calamitates, *vel* mors & vitæ privatio. In his quoq; solatium S.S. sentimus. In *tentationibus* erigit, in *calamitatibus* conservat, in *morte* exhilarat, in *omnibus* de gratia divina nos certos efficit, quia est arrhabo, pignus salutis nostræ, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei, *Rom 8. v.15 16.*

II. Quia

II. Quia est Corrector & Castigator. *2. Castigator.*
Si mundus nos contemnat in sacro itinere, nîl curemus, quia comes noster mundum arguet & judicabit. Arguet autem ob tria imprimis capita, 1. Ob *peccati atrocitatem.* Peccatum hoc incredulitas est, quippe quæ radix & mater cunctorum scelerum. *Ob peccatum.* De corde enim incredulo exeunt cogitationes malæ, *Matth.15. v.19.* & quicquid sine fide est, peccatum est, *Rom.14. v. ult.* Vulgatum & frequens hoc mundi scelus, quippe qui *vel nihil* credit, ut Epicurei, qualis erat Pharao, *Exod.5. v. 2.* & Nicanor, 2. *Macc.15. v.5. vel omnia* credit, ut hypocritæ & Politici, qui sunt homines latæ conscientiæ & multæ fidei, hoc est nullius. Ut enim unus est Deus, sic & una fides, *Eph.4. v.5.* Hac nisi quis præditus sit, cum Christo ad Patrẽ venire nequit Separemus igitur nos à mundo incredulo, nẽ pereamus cum illo: fide nobis opus est: fidem concipiamus, & conceptã retineamus, si æternùm salvi esse voluerimus. 2. Ob *Iustitiæ vanitatem.* *Iustitiam.* Mundus peculiarem justitiam sibi fingit & jactitat, quæ est *vel* Politica, *vel* Pharisaica *Illa* consistit in externis bonis moribus, hæc in operibus electitiis, & bonâ intentione cõfictis. Utraq; vana est, & ob utramq; Spiritus S. mundũ arguet. Sic enim Christus inquit, v. 10 *De justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Sensus est: Ego solus meo ad Patrem abitu iustitiam vobis merui. Hunc abitum, hanc passionẽ meam cùm mundus negligat, aliámq, justitiam quærat, meritò à Spiritu S. castigatur. Nam ipse solus torcular calcavit, *Esa. 63. vers. 3.* Opera nostra partim nulla, partim aliena, partim imperfecta, partim aliàs sunt debita: quî

ergò

ergò meriti rationem habere possunt? Sunt tanquam pannus menstruatæ, *Esa. 46. v. 6.* Et si omnia fecerimus, servi inutiles sumus, *Luc. 17. v. 10.* Si plura facere contendimus, nîl juvat, quia Deus frustra colitur mandatis hominum, *Matth. 15. v. 8. seqq.* Ob *judicij iniquitatem.* Filij enim hujus seculi sinistrè judicant de Christo, & ejus doctrina, quùm tamen per Christum princeps mundi hujus jam judicatus sit. Olim quidem ambulavimus secundum principem potestatis aeris, *Eph. 2. v. 2.* Sed per Christum liberati sumus, qui principatus expoliavit, *Col. 2. v. 15.* & opera Satanæ dissolvit, *1. Ioh. 3. v. 8.* Quòd si ergò mundus etiamnum in contemtu suo pergat, & falsum de Christi doctrina judicium ferat, jure ob hoc per Spiritum Christi arguitur. Dedecus enim est Christum judicari à maleficis, veritatem à mendacio, sapientiam à stultitia, Deum ab hominibus, cœlum ab inferno.

3. Doctor. III. Quia Doctor est. Si necessaria informatione indigemus, comitem nostrum adeamus. Hic est Spiritus veritatis, hic nos in omnem veritatem ducit, ut de ipso sub Evangelij finem Christus pronunciat. Officium verò hoc exequitur non ἐνθουσιαστικῶς per raptum, sed ἀκουστικῶς per sonum & auditum verbi. Audiamus ergo ministros Dei, si doceri volumus à Spiritu Sancto. Quis enim illos audit, Deum ipsum audit, *Luc. 10. v. 16.* Quod si fecerimus, iter nostrum feliciter conficiemus, & Christum rectè imitabimur, ut veniente mortis horâ læti hinc exeamus, & cum Christo dicere valeamus: *Nunc cum gaudio relinquo mundum, quia vado ad Patrem meum cœlestem.* Ita

fiat propter Christum Dominum nostrum, cui pro abitu suo gratioso sit laus & sempiterna benedictio, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA ROGATIONUM.

Ioh. 16. à v. 23. usque ad 31.

De Arte orandi.

V. 23. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν Πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δώσει ὑμῖν.

AMen, Amen dico vobis, quicquid rogabitis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.

Warlich / warlich ich sage euch: So jhr den Vatter etwas bitten werdet in meinem Namen / so wird ers euch gebē.

24. ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου· αἰτεῖτε καὶ λήψεσθε, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

Adhuc usq; nihil petiistis in nomine meo: petite & accipietis, ut sit gaudium vestrum plenum.

Bißher habt jhr nichts gebetten in meinem Namen. Bittet / so werdet jr nemen / das ewer Frewde vollkommen sey.

25. ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα, ἀλλ᾽ ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὐκ ἔτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν, ἀλλὰ

Hæc in Parabolis locutus sum vobiscum: venit autem hora quando non loquar vobiscum in Parabolis, sed apertè re-

Solches habe ich zu euch durch sprichwort geredt: Es kompt aber die Zeit / das ich nicht mehr durch sprichwort mit euch reden werde / sondern

παῤῥησίᾳ περὶ Πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν.

nunciabo vobis de Patre.

euch frey herauß verkündigen von meinem Vatter.

26. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε. καὶ οὐ λέγω ὑμῖν ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα περὶ ὑμῶν.

In illo die petetis in nomine meo: & non dico vobis, me postulaturum à Patre pro vobis.

An demselbigen Tage werdet jr bitten in meinem Namen. Vnd ich sage euch nicht / das ich dē Vatter für euch bitten will.

27. αὐτὸς γὰρ ὁ Πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε, καὶ πεπιστεύκατε ὅτι ἐγὼ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον.

Ipse enim Pater diligit vos, quippe qui dilexeritis me, & credideritis me à Patre exiisse.

Denn er selbst der Vatter hat euch lieb/darum̃ das jhr mich liebet / vnnd glaubet / das ich vom Vatter außgegangen bin.

28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον. πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν Πατέρα.

Prodij à Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.

Ich bin vom Vatter außgegangen/ vñ kommen in die Welt/ Widerumb verlasse ich die Welt/ vnnd gehe zum Vatter.

29. λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἴδε νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς. καὶ παροιμίαν οὐδεμίαν λέγεις.

Dicunt ei discipuli ejus, en nunc apertè loqueris, nec Parabolam ullam dicis.

Sprechen zu jhm seine Jünger: Sihe / nun redest du frey herauß / vnnd sagest kein Sprichwort.

30. νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, καὶ οὐ

Nunc scimus te omnia scire, nec

Nun wissen wir/ das du alle Ding weissest/ vñ bedarfst

χρείαν

χρείαν ἔχεις ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ. ἐν τούτῳ πιστεύομεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθες.

indiges ut quis te interroget: per hoc credimus te à Deo exivisse.

fest nicht / das dich jemand frage. Darumb glauben wir / das du von GOtt außgegangen bist.

Homilia.



RIA sunt inter alia Christiano maximè necessaria, 1. *Crucis tolerantia*, 2. *Finis notitia*, 3. *Fidelis perseverantia*. De omnibus hisce Christus cœlestis Doctor, suos ante obitum discipulos informat, *cap. 16. Ioh.* unde trium Dominicarum textus petiti sunt.

Tria Christiano necessaria.

Nam 1 ad crucem patienter ferendam excitat, quia *duret modicum, & tristitia omnis tandem vertatur in gaudium*, de quo Dominicâ *Iubilate* actū est. 2. Verum cursus Christiani terminum inculcat, qui est *ad Patrem vadere, & cœlestia quærere*, de quo ante *octiduum* verba fecimus. 3. optimum perseverandi medium monstrat, quod est *devota oratio*, cujus natura & qualitas *hodierno Evangelio* describitur. Unde præsens Dominica *Rogationis* dies non immeritò appellatur.

Summa hujus Evangelij.

Quòd verò ultimum est in Christi informatione, hoc primum & præcipuum est in praxi Christiana. Si enim sub cruce *jubilare*, si in cœlis aliquando *cantare* volumus, maturè hîc *orare* discamus. Nullum sequetur *Iubilate*, nullum *Cantate*, nisi præcesserit *Orate*, vel dies Rogationis.

Quod ut persuadeatur faciliùs, certam Christus exauditionem promittit: *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis!* Ut enim Sponsus in remotas terras

abiturus, Sponsæ valedicit suavissimè, & quæcunque per Epistolam postulaverit, remissurum pollicetur: Ita Christus, cœlestis ille Sponsus, ante abitum ex hoc mundo & præsentiæ visibilis subtractionem, Ecclesiæ Sponsæ dilectissimæ, sub Apostolorum nomine præcipit, ut si quâ re indigeret, Patrem in suo nomine peteret, qui nihil quicquam denegaturus esset.

Salomon quùm varia sacrificia obtulisset in Gabaon, Deus noctu ipsum compellans, ait: *Postula quod vis, ut dem tibi*, 1. Reg. 3. v, 5. 2. Paral. 1. v. 1. Ecce Christus qui plus quàm Salomon, ante corporis sui ablationem, discipulos convocat, eósque consolaturus inquit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Suavissimum hoc est, & præstantissimum solamen, quod ut altiores in animis nostris radices agat, veram orandi artem, juxta textus Evangelici *Propositio.* ductum, breviter exponemus, dicturi 1. De *Precum requisitis*, 2. De *earundem commodis, & usibus longè maximis*. Rogamus autem Deum Patrem in nomine Christi, ut nobis det intellectum, & accipiamus Spiritum Sanctum, qui nos in omnem veritatem perducat, Amen.

PARS I.

De Precum requisitis.

Causæ & motiva precum. MUltæ sunt causæ, quæ ad preces indesinenter fundendas nos extimulare tum possunt, tum debent. Ex *parte Dei* nos invitat 1. Mandatum, 2, Promissio, 3. Cultus & reverentia debita, 4. Christi intercessio, 5. Spiritus Sancti impulsus & adjutorium. Ex *parte nostrâ* incitet 1. Summa indi-

indigentia, 2. Varia commoda, 3. Proprius honor, cujus non est pars postrema, mente in cœlum ascendere, & cum Deo colloqui. Quoad *proximum* nos moveant 1. Sanctorum exempla, 2. Christiana dilectio, quæ vult ut pro aliis oremus, & preces conjungamus. Ex parte *Angelorum* consideremus 1. Ipsorum gaudium ob preces, 2. Promtitudinem deferendi preces, 3. Ministerium fidele post preces. Ex parte *hostium* nos in orando alacres reddant 1. Mundi fallaciæ, 2. Carnis illecebræ, 3. Diaboli insidiæ, quibus omnibus resistere meliùs non possumus, quàm per devotam seriámque precationem.

Quomodo verò hæc instituenda sit multi ignorant, ideoque in orando errant. Petunt, & nil accipiunt, quia malè petunt, *Iac.* 4. *v.* 3. Non res levis est precatio, nec à quovis rectè peragitur. *Difficilius est orare, quàm arare*, dixit Eremita Agathon. Ut igitur veram orandi rationem discamus, primaria precum requisita diligenter consideremus.

Multi multa eorum numerant, ut nempe 1. fiat ex fide, 2. cum reverentia, 3. petat decentia, 4. sit humilis & devota, 5. ordinata, 6. brevis, 7. attenta, 8. continua. *Verùm* nos illa tantùm sive requisita precum, sive præcognita perpendemus, quæ Christus in primordio Evangelij tacitè insinuavit. Quatuor eorum sunt, quæ ordine pertractabimus. *Quatuor requisita precum.*

I. Primum veræ precationis requisitum est fidei integritas. Ut enim sine fide nihil Deo acceptum est, *Hebr.* 11. *v.* 6. ita nec oratio. Hinc ad fidem excitandam, geminũ Christus juramentum *1. Fidei integritas.*

præmittit; *Amen, Amen dico vobis.* Ego nimirum dico, qui verax ſum; imò ipſa veritas, *Ioh. 14. v. 6.* Correlata autem eſſe debent Chriſti veritas, & noſtra credulitas. Quia ipſe vera dicit, & juramento aſſerit, nos utique credere oportet; & quia certam exauditionem promittit, de illa non dubitemus, ſed cum fiducia impetrandi ſemper accedamus. Poſtules in fide nihil hæſitans, aliàs nihil accipies à Domino, *Iac. 1. v. 6. 7.* Credenti omnia ſunt poſſibilia, *Marc. 9. v. 23.* Si fidem habemus, fiet nobis ſicut volumus, exemplo mulieris Cananeæ, *Matth. 15. v. 28.* Sin autem deficiat fides, nihil impetratur, & precatio in peccatum vertitur. Dum enim dubitas, Chriſtum mendacij accuſas, quaſi non ſervaturus ſit, quod promiſit. O autem infelices, qui nec juranti Deo credunt! Omnis controverſiæ finis eſt juramentum, *Hebr. 6. v. 16.* Chriſtus hîc jurat duabus vicibus. Quis igitur de ipſius auxilio & clementia dubitaret? Credamus proinde, ne audiamus exprobrationem Chriſti, Martham diffidentem ita compellantis, Joh. 11. v. 40. *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?*

Non rectè orant Pagani.

Porrò autem ex hoc requiſito apparet, non veros, nec Deo placentes oratores eſſe 1. *Paganos.* Carent enim verâ fide; nec nituntur promiſſione Chriſti. Diligenter quandoque orant, ſed verum precandi modum neſciunt. Nihil ergò impetrant, quia preces ex fide non emanant.

Pontificij.

2. *Pontificios.* Hi enim ſunt Sceptici, & de gratia Dei ſcelerúmque venia perpetuò ambigunt. Ubi autem dubitatio regnat, ibi fides locum non invenit. Hæc enim eſt firma ὑπόστασις, *Hebr. 11. verſ. 1.* hoc

eſt,

est, immota fiducia rerum sperandarum. 3. *Hypocritas*, qui fidem jactitant, sed impiè vivunt: coram Christo genu flectunt; sed simul percutiunt, ut Pilati milites. Sunt & isti destituti radice precum, verâ fiduciâ. *Hypocritæ.*

Nunquam enim hæc est absque bonis operibus, *Iac. 2. v. 14.* Fides per Charitatem semper operatur, *Gal. 5. v. 6.* Uti Sol absque radiis, anima absq; facultatibus, arbor bona absq; fructibus non est: Ita nec fides absq; virtutibus. His ergò quùm destituantur hypocritæ, vacui quoq; sunt fide, & per consequens frustra movent labia. Ut enim nullum medicamentum proficit, si ferrum adhuc involutum sit in vulnere; sic nihil efficit oratio, si peccatum adhuc in mente, vel odium maneat in pectore.

II. Rei petendæ qualitas. Hæc quidem in Evangelio expressè non ponitur, tacitè tamen innuitur, *partim* quia aliquid, *partim* quia in Christi nomine jubemur petere. *2. Rei petendæ qualitas.*

Nam 1. per *τὸ aliquid* inprimis bona cœlestia notantur, quæ ante omnia petere debemus. Ea enim sola sunt *aliquid*, sunt Entia vera & realia, quùm divitiæ & bona mundi, in comparatione ad illa, ferè nihil sint & tantùm Entia ficta vel rationis. Primùm ergò quærite regnum Dei, & cætera vobis adjicientur, *Matth. 6. v. 33.* Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, *Col. 3. v. 1.* Hinc in Oratione Dominica præcedunt bona spiritualia antequam petantur temporalia. Sed hodiè, *proh dolor!* à multis fit aliter. Cœli rarò mentionem faciunt; Omnes quæ mundi sunt, & loquuntur, & spirant, & postulant, Similes sunt Israelitis, *Petamus bona cælestia.*

qui ollas Ægypti postulabant, & illi Samaritanæ, *Joh.* 4. quæ aquam tantùm corporalem à Christo petebat, v. 15. *Da mihi Domine hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Samuelem Rex Israelis Saul rogabat, Deo ut supplicaret, ne regno privaretur, tantâque importunitate rogabat, ut pallium ejus apprehensum conscinderet, 1. *Sam.* 15. *v.* 24. verùm ut delicti sui veniam impetraret, ne verbum quidem fecit. Sic multi anxiè petunt temporalia, parùm soliciti de æternis. Ast hoc non est aliquid vel verum bonum petere, sed tantùm imaginarium, quod sæpissimè obest & exitium adfert. Rachel, Jacobi uxor, tanto prolis desiderio flagrabat, ut marito indignabunda dixerit: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, Gen. 30. v. 10. Fecit autem Deus voti compotem, & duos filios concessit Josephum, & Benjamin, sed in alterius partu expiravit. Ut pia hæc mulier liberos petendo nesciebat mortem attrahi: sic multi à Deo ex imprudentia postulant ea, quæ animæ ruinam inferunt. Rebecca liberos etiam enixè à Deo petiit, sed quùm jam in prægnantis utero gemini decertarent, seséq; calcibus colliderent, voti quodammodò eam pœnitebat, quùm diceret, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Genes. 25. v. 23. Ita non pauci à Deo talia efflagitant, ut quùm ista impetraverint, pœnitudine ducantur. Nos autem si sapimus, aliquid petamus, hoc est, quod bonum sit & fructuosum, quódque ad salutem animæ inprimis conducat.

2. Quùm in *nomine CHRISTI* petendum sit, monemur, ut distincta bona distinctè postulemus, non aliter ac Christus ipse voluit ac præcepit.

Sunt autem tria bonorum genera juxta Augustinum, 1. *Infima*, vel naturæ & fortunæ, 2. *Media*, vel gratiæ, 3. *Suprema* vel gloriæ. Quod spectat *Media & Suprema*, sine conditione illa ut promittuntur, sic petuntur. De iis enim universaliter verum est: *Petite & accipietis*. Nihil enim quod ad salutem nostram requiritur, Deus nobis denegat, qui non vult ullum perire, *2. Pet. 3. v. 9.* sed omnes ad agnitionem veritatis pervenire, *1. Tim. 2. v. 4.* Sed quod bona *infima* concernit, bona scilicet naturæ & fortunæ, cum conditione sunt petenda, nempe si Deo placeat, nobis conducat. Rectè Augustin. *Si temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore. Cum modo*, ne petamus nimium, sed contenti simus victu amictuq; necessario, dicentes cum Salomone ex Prov. 30. v. 8. *Paupertatem & divitias ne dederis mihi. Tribue tantùm victui necessaria. Cum timore*, ne petamus importunè, sed omnia committamus voluntati divinæ. Quid enim prosit vel obsit, Medicus scit, non ægrotus. Quare cogitemus, tertiam petitionem meritò quartam præcedere. Primùm precemur, ut fiat voluntas Dei, posteà flagitemus panem quotidianum, quæ methodus orandi non debet inverti. Noverat hoc leprosus *Matth. 8. vers. 2.* sic orans: *Domine, si vis, potes me mundare.* Noverat Rex David, qui regno expulsus patienter dicebat: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places, præstò sum, faciat mihi quod bonum est coram se*, 2. Sam. 15. vers. 25. 26. Exemplo nobis præivit Christus ipse Matth. 26. v. 39. *Pater mi*, inquit, *si*

Tria genera bonorũ.

Temporalia petamus cum conditione

possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Pari modo si nos voluntati divinæ subjiciamus, semper exaudiemur, si non secundum voluntatem, attamen secundum utilitatem nostram, ut *Augustinus* loquitur. Si non dat quod petimus, dabit quiddam utilius; ideoque in beneplacito ejus lubenter acquiescamus.

3. Objecti adorandi sublimitas

III. Objecti adorandi sublimitas. Ante omnia enim scire nos oportet, quem invocare debeamus, ut cum Christo possimus dicere: *Nos adoramus quod scimus*, Joh. 4. vers. 22. Objectum istud verum & genuinum uno nomine vocatur *Pater*: Si quid petieritis *Patrem*, quo vocabulo ipse Deus, essentia Unus, personis Trinus intelligitur. Hîc enim non tam Personæ, quàm officii nomen est omnibus Personis commune. Deus igitur verum & genuinum precationis nostræ objectum est, ideoq; magna cordis devotio & humilitas requiritur. Cum Deo loquimur, cum mundi Monarcha, quoties precès effundimus. *Nostra Oratio est colloquium cum Deo*, inquit Cyprianus. *Oraturi sumus quasi cœlum ingressuri*, juxta Hugonem. Simus ergò in orando devoti & humiles, ne divina nobis succenseat majestas. Si teipsum non audis, quomodo Deus exaudiet? *Oratio* enim *sine devotione, coram Deo est mugitus boum*, ait Isidorus. Si superbo corde accedis, quid impetrabis?

In precando simus devoti & humiles.

Calceos Moses humiliter exuit, ut dignè colloqueretur cum Deo, *Exod. 3 v. 5.* Gabaonitæ impetrabant gratiam, quia humili laceroq; vestitu veniebant, *Iof. 9 v. 4.* Nihil datur mendicanti, si jactet divitias, nec suam agnoscat inopiam. Subdi-

tus

tus quàm tremit, ſi cum principe loquendum ſit! At verò Regum regem alloquimur, quoties precamur. Quis ergò ſe non humiliet ſub potenti ejus manu? Ita ſe humiliabat Abraham, *Gen. 18. v. 27. Auſus ſum loqui ad Dominum meum, quum ſim pulvis & cinis.* Et filius prodigus, Luc. 15. v. 21. *Pater peccavi in cœlum & coram te: Iam non ſum dignus, vocari filius tuus.* Et Publicanus, à longè ſtans, pectus percutiens, ac humiliter dicens, Luc. 18. v. 13. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Hinc ſancti Deum invocaturi, in terram ſe plerumque proſtraverunt, ad indicandam animi ſui humilitatem.

Porrò autem in ſpecie *Patris vocabulum*, quo Deus, verum precationis objectum, deſcribitur, de multis nos admonet, & ad varia conducit, 1. πρὸς διδασκαλίαν. Nam docemur inde, ut non ſolùm Patrem, ſed una Filium invocemus. Sunt enim correlata Pater & Filius: imò ſunt unum, *Iohan. 10. v. 30.* quia Filius eſt in Patre, & Pater in Filio, *Ioh. 14. v. 10.* adeò ut qui Filium negat, ſtatim & Patrem abneget, *1. Ioh. 2. v. 23.* Si ergò preces dirigimus ad Patrem, non excludamus Filium, quippe qui & ipſe Pater dicitur, nempe Pater futuri ſeculi, *Eſa. 9. v. 6.* Et quia in filio duæ ſunt naturæ, divina & humana, ob id utraque adoranda eſt. Non enim ſola divinitas eſt mediatrix, nec ſola humanitas, ſed perſona tota utraque conſtans. Quòd ſi ergò mediatorem totum velimus invocare, non ſeparemus humanitatem, ut contendunt Calviniani.

Vocabulũ Patris, quem debemus invocare, ſuppeditat διδασκαλίαν.

2. πρὸς ἔλεγχον. Pontificii ad ſanctos confugiunt, ſed verba Chriſti contrarium ſuadent.

ἔλεγχον.

Non

Non enim ad homines, sed ad Patrem suum nos ablegat. Fiunt ergò idololatræ, qui honorem soli Deo debitum, hominibus delatum eunt. At verò ipsi ignorant nos, *Esa. 63. vers. 16.* juvare nequeunt, & adorari nolunt. Patrem immediatè adeamus, si exaudiri volumus. Non curat ambages aulicas: non sanctis intercessoribus opus est. Quò quis confidentiùs accedit, eò lubentiùs exaudit. Sanctis igitur honorem ita tribuamus, ne Deo adimamus. Scriptum est enim Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.*

παιδείαν. 3. πρὸς παιδείαν. Filiorum est, Parentibus omnia committere, & in ipsorum voluntate acquiescere, Deus noster Pater est, nos filii. Quare & illi nos in omnibus subjiciamus. *Iacta super Dominum curam tuam, ipse te sustentabit*, Psal. 56. vers. 23. *Revela Domino viam tuam, & spera in eum, ipse faciet*, Psalm. 37. vers 5. Frustranea est cura quam liberi suspiciunt: Parentes de commodis ipsorum satis soliciti sunt. Non igitur intempestivis curis nos maceremus. Nostrum est orare, & benè sperare: cætera commendemus Deo Patri nostro, qui providebit.

ἐπανόρθωσιν. 4. πρὸς ἐπανόρθωσιν. Multi sunt, qui Deo tèpus modumq; auxilii præscribunt, sed hi correctione indigent. Pater non patitur, ut filius definiat. Expectare liberos oportet, quando & quomodo parentes subveniant. Cur ergò tam importuni sumus, ut cœlesti Patri nonnunquam præscribere audeamus? Fecerunt id cives Bethuliæ, qui quinque dies opi divinæ destinabant, *Iudith. 7. v. ult.* sed meritò corripiuntur, cap. 8. v. 11. *Qui estis vos, quòd tentatis Dominum? Non est iste*

sermo

ſermo, qui miſericordiam provocet : ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrũ diem conſtituiſtis ei. Caveamus ab hoc ſcelere, ne ad iram provocemus Patrem. Si moram fecerit, expectemus, quia veniens veniet, & non tardabit, *Hab 2. v. 3* Quoties ipſe nos alloquitur, nec audimus? Quid igitur mirum, ſi & nos primo ſtatim tempore non exaudiat? Eò gratius erit auxilium, quò lentius. Nam horæ Dei tardæ ſunt, ſed valdè gratæ.

5. πρὸς παράκλησιν. Deus enim, quem invocamus, non introducitur à Christo, ut ſeverus Judex, ſed ut benignus Pater, qui paterno prorſus amore nos proſequitur. Ipſe nos creat, ſuſtentat, gubernat, adoptat, fovet, favet, tuetur & miſeretur. Quis igitur tam timidus eſſet, ut confidenter non accederet? Sicut miſeretur Pater filiorũ, ita miſertus eſt Dominus timentium ſe? *Pſal. 103. verſ. 13.* Si vos quum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter cœleſtis cœlo dabit Spiritum S. pententibus ſe? *Luc. 11. verſ 13.* Imò ſi maximè mater oblita fuerit filii ſui, Deus tamen non obliviſcetur noſtri, *Eſa. 49. v. 15.* Miſericordia Dei durat in ſeculum, nec habet terminum: ei ſi innitamur, nihil nobis deeſſe poterit. *Ipſe enim Pater amat vos*, inquit Chriſtus in Evangelio. Filios ergò imitemur, qui ſi quid obveniat ſiniſtri, ad Patrem fugiunt, ejusq; auxilium implorant. Et nos multa ſæpius pericula premunt: ſed confidite, Patrem habemus in cœlis. Ad illum currite, ejus opem efflagitate: Promtus ſubveniet, nec unquam paternum animum deponet.

παράκλησιν.

ponet. Nomen enim Domini turris est fortissima, ad illam currit justus, & exaltabitur, *Proverb. 18. vers. 10.*

4. Modi mediique dignitas.

IV. Modi mediiq; dignitas. Christus breviter modum istum expressit, quum nos *in nomine suo* jussit petere. Ipse enim solus est Mediator noster, *1. Tim. 2. v. 5.* qui apud Patrem pro nobis interpellat, *Rom. 8. v. 34.* in quo omnes promissiones sunt Ita & Amen, *2. Cor. 1. v. 20.* Hujus meritò si fundetur precatio, nunquam frustrà effunditur. Pater enim diligit Filium, *Ioh 5. vers 20.* ideoq; in Filii nomine qui orāt, repulsam non patiuntur. Judæi veteres in precibus suis nomina proavorū, Abrahæ, Isaaci & Jacobi interponebāt, quò facilius petitum obtinerent. Sed quantò citius impetrabimus, quæ volumus, si in nomine Filii oremus: Hic enim est ille dilectus, in quo Pater beneplacitum habet, *Matth 17. v. 5.*

In V. Testamento dirigebant orantes faciem ad arcam propitiatorii. Et Nos in Novo Testamento propitiatorium habemus, Christum Jesum, ad quem solum animos nostros inter precandum elevemus. Fratres Josephi cum frumento semel dimissi, non prius in Ægyptum redire, nec Josephum placare potuerunt, quàm Benjamin fratrem natu minimum adduxissent. Sic enim inquit Genes. 43. v. 15. *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.* Idem à patre cœleste nobis dici credamus *Auditores*, qui non priùs in suum nos venire vult conspectum, quàm fratrem nostrum Christum Jesum, verè Benjaminum, filium dextræ, ad Patris dexteram cōsidentem, adducamus, & in nomine

ejus

ejus oremus. Iidem filii Jacobi, quò veteres injurias abolerent, Josephum Ægypti vicarium in nomine Patris rogârunt, ne de ultione sumendâ cogitaret, *Gen.50.v.16.* Et nos quoties quæso Deum totius mundi non vicarium, sed Dominum, peccatis nostris offendimus? Quòd si ergò iterum placare volumus, nullum aliud superest medium, quàm ut in Filii nomine accedamus. Papicolæ vicissim sanctulos quosdam monstrant, & in ipsorum nomine preces effundunt, sed frustrà. Solus enim Christus Opitulator est, nec ulli hominum id muneris attribui potest.

Nam Mediatorem oportet, 1. à Deo constitutum esse, 2. omni peccato carere, 3. sufficiens λύτρον persolvere, 4. omnia scire, & nobis adesse, quò preces audiat & cognoscat. Nihil horum sanctis, omnia verò Christo competunt, quam ob caussam in ejus tantùm nomine petendum est. *Requisita veri Mediatoris.*

Fit hoc 1. *si* sola Christi Passio exauditionis statuatur caussa meritoria. Ipse enim preces pro nobis obtulit. *Heb.5.v.7.* adeoq; per ipsum unicè accedimus, ut misericordiam consequamur *Heb.4. vers.16* unde & illi soli danda est gloria, *Psal.115. v.1. Esa.48.v.11.* *Quid sit in nomine Christi petere.*

Fit idem 2. *si* non fidamus precibus nostris, tanquam operi operato, sed Christi merito & intercessioni. Pharisaicum enim est, non Christianum, operibus confidere. Non exaudimur propter opera, sed ex gratia. Alexander M. exiguum petenti, motus ejus inopiâ, integram urbem donavit, quã beneficentiam miranti ait; *Vt in te conferam beneficium, non quis sit, aut quibus dignus, sed quid me elargiri conveniat, attendo,* referente Seneca, lib.

lib. de benef. Ita putemus cœlestem Patrem in dando & exaudiendo non respicere nostram dignitatem, sed quid ipsum largiri conveniat, ob nomen Filii, in quo invocatur.

Tandem 3. *si* non nisi salutaria petamus. Non enim in nomine Christi orat, qui inutilia postulat. Nam Christus, tanquam Salvator unicus salutis nostræ amantissimus est, cui si quæ obsint, dare ista renuit. Ubi autem deest Christi voluntas, ibi in Christi nomine nequit institui oratio. Hinc *August.* Tract. 37. in Johan. ait: *Quicquid petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris.* Quare Paulus non exauditus est, quum stimuli ablationem peteret, *2. Cor. 12. v. 8.* quoniam tentatio ista fructuosa erat.

Et hoc sensu intelligenda sunt Christi verba, quum Apostolis ait: *Usque modò non petiistis quicquam in nomine meo.* Oraverant quidem sed non in nomine Christi. (*1*) *Quia* in petendo suum consilium, non Christi voluntatem attenderant. (2) *Quia* inutilia petierant, nempe ut Christus regnum mundanum inciperet, ubi alius sederet ad dexteram, alius ad sinistram, quod erat votum filiorum Zebedæi, *Matth. 20. vers 20. & seqq.* (3) *Quia* frigidè non devotè attenteq; precati fuerant. Fatentur enim ipsi Luc. 22. v. 15. *Se nunquam ante Christi mortem egisse.* (4) *Quia* more V. Testamenti oraverant, ubi preces fundebant coram Arca propitiatorii: Jam vero in N. Testamento directè in Christi nomine sine omnibus involucris typicis orandum est.

PARS

PARS II.

De Precum commodis.

DUo sunt quæ preces impediunt 1. *Hominum ignorantia.* 2. *Satanæ malitia.* Ob *illud* negligenter, ob *hoc* difficulter oramus. *Priori* medetur requisitorum veræ rationis orandi cognitio, de qua hactenus. *Posteriori* succurrunt varia commoda, quæ ex precibus dimanant. Illa enim si considerentur, Diabolo inter precandum nos impedienti fortiter resistemus. *Duo impedimenta precum.*

Campus verò dicendi latissimus hîc aperitur de precum præstantia & utilitate, quæ tanta est, ut vix effari valeamus. Semper benè est, semper erit benè, quamdiu oramus, & preces fundimus. Civitas muris & vallis cincta non expugnatur facilè: Sic qui precibus, velut propugnaculo munitur, omnium inimicorum impetum eludit. Chrysost. *lib.* 2. de Orando, preces eleganter *nervis* comparat. Ut enim corpus nervorum auxilio vivit, incedit, quiescit, movetur & cohæret: sic per orationem anima. Corpus concidit nervis resectis, sic anima vacillat, precum fulcris sublatis. Augustinus orationem vocat *columnam virtutum, Deitatis scalam, cœli clavem, & fidei fundamentum.* Chrysostomus *custodem temperantiæ, & stabilimentum pacis.* Climacus gradu 28 *Constantiam mundi, reconciliationem Dei, tribulationum interpositum parietem, bellorum confractionem, virtutum fontem, gratiarum ministrā, nutrimentum animæ, mentis illuminationem.* Sed videamus, quosnam effectus precum Christus commendet. Tres imprimis commemorat, quos explicabimus. *Laudes precum.*

Devota Oratio. 1. Vincit Deum.

I. Oratio vincit Deum, ut det, quod petimus. Sic enim habent verba Salvatoris: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Precibus enim nostris Deum quasi cogimus, & hæc vis ipsi grata est, Exod. 32. v. 20. ait Mosi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Ergò Moses suis eum gemitibus sic tenebat, ut populum delere nollet. Variis Scripturæ testimoniis hæc vis precum commendata est. Ps. 37. v. 4. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ps. 50. v. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Ps. 102. v. 18. *Respicit orationem humilium, nec spernit preces eorum.* Exépla vis? Mosen cogita, qui suis precibus Amalecitas prostravit, *Exod 17. v. 11.* Josuam, qui Solem stare fecit, *cap. 10. v. 13.* Eliam, qui Cœlum clausit & aperuit, 1. *Reg. 17. v. 1.* unde Jacobus *cap. 5. v.* 17. Elias homo erat similis nobis, & oratione oravit, ut non plueret super terram; & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Ezechiam cogita, qui Angelum percussorem adversus exercitum Sennacherib impetravit, *Esa. 37. vers. 36.* Danielem, qui ora leonum obstruxit, *cap. 6. v. 22.* Juditham, quæ victoriam adversus Holoferné est adepta, *cap. 13. v. 10.* Petrũ, qui precibus Ecclesiæ liberatur, *Act. 12. v. 5.* Tabitham, quæ per Petri orationem excitatur, *Act. 9. v. 40.* Plena est historia Ecclesiastica, quæ abundè testatur de veritate promissionis: *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis.*

2. Exhilarat.

II. Oratio exhilarat, & animum quietum reddit. Sic enim pergit Salvator: *Petite & accipie-*

accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Nihil magis tranquillat, quàm devota oratio. Deum enim *Patrem* alloquimur, qui misericors; in nomine *Filii*, qui interpellat, ex impulsu *Spiritus S.* qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filii Dei, *Rom 8 v. 16.* quibus positis non potest non animus lætari. Quicquid in mundo est, vanum est, inconstans & imperfectum. Sola Dei gratia verum plenumq; parit gaudium, quæ quum inter orandum descendat, mens fidelis summâ lætitiâ perfunditur. Hinc Bernhardus de seipso fatetur: *Quoties languentem animum oratione recreavi? Quoties lætus abivi, quum tristis inciperem?*

III. Oratio de amore Dei luculenter testatur. Innuit hoc Salvator sequentibus verbis: *Veniet hora, quum jam non in proverbiis loquar vobis.* Crux est quasi Parabola & Proverbium, siquidem ibi amicam faciem suam Deus haud rarò abscondit. Quod si velum istud remotum, Deumque palam loqui velis, devotas preces effunde. Tum enim iterum ostendet faciem misericordiæ, inspirabit solamē efficax animæ: agnosces ipsum, ut Patrem benignum, nullo amplius proverbio utentem, sed te suaviter erigentem. Jobum quū crux premeret, sub proverbio Deus loqui videbatur, sed cùm precando instaret, iterum vidit palam, & accepit duplicia de manu Domini, *cap. ultim. vers. 10.*

3. De amore Dei testatur.

Hi sunt effectus precum in Evangelio tacti, qui nos ad orandum alacres fervidosq; reddere queunt & debent. Plures numerari possent: *sed alii occasioni reservamus*, *ideoque* hîc subsistimus, *Deum*

Patrem in nomine filii supplices venerati, ut nobis concedat Spiritum precum, quò ipsum devotè imploremus, petita impetremus, & gaudium nostrum perficiatur ex hoc nunc & usque in seculum, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA EXAVDI;

Iohan. 15. v. 26. 27. Iohan 16. à vers. 1. usque ad 5.

De Spiritus S. Adventu & piorum tribulatione.

v.26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ.

QUum autem venerit Consolator ille, quem ego missurus sum vobis à Patre meo, Spiritus ille veritatis, qui à Patre meo prodit, ille testabitur de me.

WEnn aber der Tröster kommen wird/ welchen ich euch sendē werde vom Vater/ der Geist der Warheit/ der vō Vater außgehet/ der wird zeugen von mir.

27. καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστε.

Sed & vos testamini, quippe qui à principio mecum sitis.

Vnd jhr werdet auch zeugen/ denn jr seid von anfang bey mir gewesen.

v. 1. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε.

Hęc locutus sum vobiscum, ne offendamini.

Solches habe Ich zu euch geredt/ das jhr euch nicht ärgert.

ἀπο-

2. ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ.

Ejicient enim vos ex Synagogis suis, venietq; hora, quum quisquis interficiet vos, putabit oblationem se offerre Deo.

Sie werden euch in den Bañ thun. Es komet aber die zeit/ das/ wer euch tödtet/ wird meinẽ/ er thue Gott einen Dienst daran.

3. καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν Πατέρα, οὐδὲ ἐμέ.

Hæc autem facient, quoniam nõ nôrunt neque Patrem meum, neq; me.

Vnd solches werden sie euch darum̃ thun/ das sie weder meinẽ Vater noch mich erkennen.

4. ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύητε αὐτῶν ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην.

Hęc locutus sum vobiscum, ut quũ venerit tempus eorum, revocetis in memoriam ea quæ dixi vobis. Hæc autem à principio non dixi vobis, quia vobiscum eram.

Aber solches habe ich zu euch geredt auff das/ wenn die zeit kommen wird/ das jr dran gedencket/ das ichs euch gesagt habe. Solches aber habe ich euch von Anfang nicht gesagt/ denn ich war bey euch.

Homilia.



DUo sunt, quæ Christiani potissimùm petunt. 1. *Bonorum elargitionem.* 2. *Malorum mitigationem.* Utrumque summè necessarium est. Indigemus enim bonis cœlestibus, ut Deo promtè obsequamur: & auxilio in malis, ne lassemur vel impediamur. Utrumque Christus promisit in hodierno Evangelio. Nam *primùm* verba facit

Duo Postulata Christianorum

Summa Evangelij. de missione Spiritus S. *post* de Christianorum periculis, & horum remediis. Quæ quum instanter petantur, præsens Dominica *Exaudi* nomen accepit, ex Psalm. 27. vers. 7. *Exaudi Domine vocem meam, quum clamavero miserere mei, & exaudi me.*

Ante octiduum spes quidem facta est, fore ut quicquid petierimus, Pater nobis daturus sit: sed instare debemus precando, & ingeminare sæpiùs, *Exaudi Domine vocem meam, miserere & exaudi me.* Moses bis percutiebat Petram, antequam egrederetur aqua, *Num. 20. v.* 11. Pari modo, si Dominicâ Rogationum non impetramus, quod volumus, Exaudi nostrum repetamus, & tandem dabitur, quod primùm negabatur.

De quo ne quisquam ambigat, *Ecce Christum!* qui suam nobis iterum gratiam satis apertè declarat. Non ascendit frustrà: sed per ejus in cœlos ascensum varia in nos descendunt beneficia. Videmus eum in hoc Evangelio ante nos stantem 1. ut *Doctorem.* 2. ut *Prophetam.* 3. ut *Consolatorem. Docet* nos, dum fidelium signa & τεκμήρια tacitè insinuat. *Propheta* est, dum pericula & tribulationes piorum annunciat. *Solatium* suggerit, quia malorum remedia salutaria ostendit. Tàm ergò mitem, tàm benevolum quum habeamus Dominum, quis non Exaudi suum iteret, & per hoc ipsum ad instans Pentecostes festum se præparet? Si enim instemus precando, sequetur exauditio: sequetur larga Spiritus S. effusio.

Ut igitur sciamus, quę nostri sint officii, & quę omnibus Pentecosten celebraturis dignè tum facienda,

cienda, tum expectanda veniant, de tribus præcipuè ex textu Evangelii differemus.

Propositio.

1. De *notis fidelium.*
2. De *malis obvenientibus.*
3. De *malorum remediis & solatiis.*

Dux noster Christus Iesus emittat Spiritum veritatis, ut ipsi grata, nobis salutaria dicamus, Amen.

PARS I.

De notis fidelium.

HAut parum refert, nosse, num quis sit templum Spiritus sancti? Facit enim *partim* ad consolationem, *partim* ad perseverantiam in bono. Probet igitur seipsum homo, 1. *Corinth.* 11. *v.* 28. Tentate vosmetipsos, si estis in fide, omnia probate, 2. *Cor.* 13. *v.* 5. Quidam enim *Satanæ* organa, quidam *Dei* templa sunt. *Illi* vasa iræ, *hi* misericordiæ. *Illi* à principe tenebrarum, *hi* à Spiritu veritatis ducuntur & aguntur. De hoc Privilegio qui gloriari vult, priùs de gratiosa Spiritus S. inhabitatione certus sit oportet. Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, *Rom.* 8. *vers.* 10.

Homines sunt vasa vel Dei, vel Satanæ.

Exurget autem hinc quæstio, *Unde cognoscamus, Spiritum sanctum in cordibus nostris habitare?* Responsionis loco multa proferri possent indicia, ab exemplo Apostolorum desumta. His enim promittitur Spiritus S. *quem*, inquit Christus, *ego mittam vobis à Patre.* Si ergò Apostolos imitemur, cum illis procul dubio Spiritum S. consequemur.

Fuerunt autem Apostoli (1) *Fide illuminati,*

Quales fuerint Apostoli.

Matth. 16. vers. 17. Tu es Christus filius Dei vivi. (2) *Spe elevati*, Joh. 6. v. 68. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. (3) *Charitate accensi*, Rom. 5. v. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. (4) *Prudentiâ insigniti*, quæ illis commendata est, Matth. 10. v. 26. Estote prudentes, sicut serpentes. (5) *Iustitia ornati*. Rom. 5. v. 1. Justificati ex fide pacem habemus. (6) *Fortitudine roborati*, 1. Cor. 4. v. 12. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus. (7) *Temperantiâ præcincti*, 1. Tim. 6. v. 8. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. (8) *Humilitate clari*, 1. Cor. 4. v. 10. Nos stulti propter Christum, nos infirmi, nos ignobiles (9) *Omnium servi, omnesq; ædificantes*, Matth. 5. Vos estis sal terræ, v. 13. & lumen mundi, v. 14. *Sal terræ*, quantum ad exemplū, quod præbebant: *Lux mundi*, quantum ad Evangelium, quod prædicabant.

Hæ fuerunt præcipuæ Apostolorum virtutes, quas imitari debemus, si donum Spiritus adipisci volumus. Qui ergo istas exercet, iisq; verè delectatur, hic de κατοικήσει Spiritus dubitandi caussam non habet.

Tria indicia inhabitantis Sancti Spiritus.

Porrò autem præter isthæc generalia indicia, in Apostolis proposita, Christus tria tangit in specie, quæ ad concludendum sunt efficacissima.

1. Sensus consolationis.

I. Signum est Sensus Consolationis. Nam Spiritus S. nominatur à Christo παράκλητος, Advocatus vel Consolator. *Quum autem venerit Paracletus.* Ubi ergo sedem figet Christi Spiritus, ibi solamen efficax operatur. Est enim Spiritus adoptionis, *Rom. 8. v. 15.* qui testimonium reddit

Spiritui

Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei, v. 16. ſi autem filij, & hæredes ſumus, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, v. 17. unde viva conſolatio, & ſolidum in animis noſtris exoritur gaudiũ, quod non evaneſcit in malis, ſed potiùs accreſcit & intenditur.

Eſt enim Spiritus Sanctus vel maximè noſter Paracletus 1. *In tentationibus*, quando à Satana & conſcientia accuſamur. Tum enim ſuggerit nobis Chriſti meritum ut erigamur; tum affert auxilium, ut vincamus. Fidelis enim eſt, 1. *Cor. 10. v. 13.* nec patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus. *Spiritus S. eſt Paracletus* *In tentationibus.*

2. *In privatis calamitatibus*, ſive paupertas ſit, ſive morbus, ſive aliud infortunium. Nam pauperes ſolatur promiſſione regni cœleſtis, quod ipſorum eſt, *Luc. 6. v. 20.* ægrotis medetur, & ſanitati ipſos reſtituit, exemplo Jobi, *c. ult.* Tobiæ, *c. 11.* Hiskiæ, *Eſa. 38.* & aliorum. *In privatis calamitatibus.*

3. In *publicis perſecutionibus*, ubi nos animoſos reddit, ne fidem abnegemus, nec tormenta quicquam metuamus. Hinc Apoſtoli, quùm cæderentur, gaudentes ibant à conſpectu concilij, quòd digni fuerint habiti, pro nomine Jeſu contumeliam pati, *Actor. 5. v. 41.* Huc ſpectat exemplum Marci Arethuſani, qui nudus ſtimulis apum in ſublimi ſportâ expoſitus, carnifices infrà ridentes & ipſe irriſit, animosè dicens: *Ego quidem ſublimis pendeo, vos autem humi jacentes deſpicio.* *In publicis perſecutionibus.*

4. In *Agone mortis*, ſi maximè violentia ſit. Exemplum præbuit Protomartyr Stephanus, qui jam jam lapidandus, *In agone mortis.*

Ibat ovans animis & ſpe ſua damna levabat.

Actor. 7. Ignatius ad martyrium tàm paratus erat, ut ſcriberet ad Romanos: *Frumentum Dei ſum, & beſtiarum dentibus molor, ut purus panis Dei reperiar.* Polycarpo quùm proconſul minaretur beſtias, ignem & alia: *Quid tardas?* inquit ille, *infer quicquid lubet.* Blandina inter medios cruciatus ſubinde exclamavit! *Chriſtiana ſum, Chriſtiana ſum*, quâ voce ita ſe recreari teſtata eſt, ut nihil ferè de tormentis ſentiret. Baſilio præfectus Valentis minabatur bonorum proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem: Sed ille reſpondit intrepidè: *Si quid aliud habes, id nobis minitare: Horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit.* Babylas Antiochenus Epiſcopus, quùm ad capitis ſupplicium duceretur, magno animo ex Pſal. 116. v. 7. cecinit: *Convertere anima mea ad quietem tuã, Dominus enim reſpexit te.* Laurentius in craticulâ ſemiuſtus hilari animo adſtantes compellat, dicens: *Has epulas diu optavi.* Unde autem, *Chariſſimi*, tanta fortitudo? unde tantum animi robur? Non à carne oritur, non à ſanguine, quippe cui naturale eſt, mortem fugere. Solus Paracletus hæc operatur in nobis: Sancti Spiritus hæc eſt actio, qui in templis ſuis ſemper eſt efficax. Quisquis ergo murmurat, & ſub cruce prorſus eſt impatiens, hoc ipſo ſe prodit, quòd à Spiritu S. non agatur. Chriſtianorum Symbolum eſt: *Gaudemus in tribulatione*, Rom. 5. v. 1. Quocirca *omne gaudium exiſtimate, fratres mei, quùm in tentationes varias incideritis*, Jacob. 1. v. 2. Secus qui faciunt, templa Spiritus & vaſa gratiæ non ſunt.

2. Agnitio veritatis. II. Agnitio veritatis. Spiritus S. *veritatis Spiritus* nuncupatur, ideoque inprimis veritatem diligere

diligere illos oportet, qui de inhabitatione Spiritus sancti certi esse desiderant. Multa sunt aliàs Πνεύματος divini nomina. Vocatur (1.) *Sanctus*, quia nos sanctos efficit, & est ipsa sanctitas. (2.) *Rectus*, Psal. 51. v. 12. quia rectum facit hominem. (3.) *Bonus*, Psalm. 143. v. 10. quia ab ipso sunt omnia bona, ab ipso est gratia in præsenti, & gloria in futuro. (4.) *Spontaneus*, Psal. 50. v. 14. quia cor promtum atque ad obsequia expeditum reddit. (5.) Spiritus *Domini*, Esa. 61. v. 1. quia ipse à Patre & Filio procedit, omnium Dominus est, suósque Fideles facit reges & dominos in cœlo. Sed inter hæc nomina maximè proprium est, & præ reliquis excellit hoc, quòd *Spiritus veritatis* dicitur. Fit hoc 1. Ratione *Essentiæ*, quia est ipsa veritas. 2. Ratione *Prædicationis*, quia per ministros veritatem annunciari facit. 3. Ratione nostri *Assensus*, quem ipse operatur, ut verè fidem habeamus. 4. Ratione *Confutationis*, quia omnes hæreses arguit & refutat. 5. Ratione *Conservationis*, quia in veritate agnitâ nos servat, & confirmat. Qui ergo de Spiritus præsentia gloriari volunt, veritatem diligant illique soli adhæreant.

Spiritus S. elogia.

Cur dicatur Spiritus Veritatis.

Est autem duplex, 1. *Politica*, quæ consistit in sincero ingenuóque candore, de quo Pythagoras: *Nihil hominem magis proximum Deo reddit, quàm Veritas & Candor.* 2. *Theologica*, quæ consistit in vera fide, & mentis illuminatione. *Prior* illa, ut Deo semper placet, ita & à Deo est: ab hac tamen *Posteriori* præcipuè Spiritus S. πνεῦμα τῆς ἀληθείας nominatur. Nisi ergo veram fidem habuerimus, de Spiritus κατοικήσει gloriari non possumus.

Duplex Veritas.

Exeant

Exeant proinde è Babylone Romana, exeant è colluvie Calvinisticâ, exeant è consortio malignantium, qui Pentecosten dignè celebrare & effusionem Spiritus S. expectare voluerint. Hunc enim Spiritum non capit Judæus, umbris figurarum adhærens: non capit mundus, Spiritu vanitatis tumens: non capit hypocrita, sanctitatem mentiens: non capit hæreticus, à veritate devians. Nolite igitur doctrinis variis & peregrinis circumferri, *Heb. 13. v. 9.* sed probate Spiritus, an ex Deo sint, *1 Ioh. 4. v. 1.*

3. Constantia Confessionis.

III. Constantia Confessionis & Testimonij. Quia enim Spiritus S. de Christo testatur, & nos de illo testari convenit. Utrumq; breviter his verbis comprehensum est: *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Habuit alioquin Christus testimonia de omni loco, & ab omni creatura. De *cœlo* habuit testimonium Patris & Angelorum: de *mundo* Prophetarum, Apostolorum & discipulorum: de *inferno* ipsorum dæmonum, qui eum Dei filium esse publicè pronunciârunt, *Marc. 1. v. 23.* Sic testimonium habuit ab omni creaturâ. Cœli in nativitate aperti sunt, & *Angeli* descenderunt: *Stella nova* testata est de ejus nativitate: *Sol* obscuratus fuit in Passione: *Panes & Pisces* ad illius imperium multiplicati sunt: transitum præbuit mare: *infernus* exhorruit in descensu: *terra* tremuit in resurrectione, &c. Magna & multa sunt hæc testimonia, non tamen credidisset mundus, nisi Spiritus Sanctus confirmâsset.

Spiritus S. de Christo ...

Tribus hic vicibus solenniter testatus est de Chri-

Christo, 1. In *Baptismo*, sub specie columbæ, 2. In *Transfiguratione*, apparens in nube lucida, 3. In *Pentecoste*, sub forma ignis & linguarum flammantium descendens. Idem testandi officium peragit tùm *publicè* per ministros Evangelij, qui ob id martyres seu testes veritatis dicuntur, *Actor.* 1. *v.* 8. tum *privatim* in nostris cordibus, quòd simus filij Dei, *Rom.* 8. *v.* 16 *Gal.* 4. *v.* 6. qua de caussa & ipsi testari, verámque fidem publicè confiteri debemus. Hæc enim est nota fidelium, & gratiosæ inhabitationis, *de Christo vera testificari.* Credidi propter quod locutus sum, inquit David *Psal.* 116. *v.* 10. Ore fit Confessio ad salutem, *Rom.* 10. *v.* 16. Qui Christum negaverit, vicissim negabitur ab ipso, *Matth.* 2. *v.* 32. Simus ergo constantes testes, & confessores Christi, sicut etiam fuerunt Apostoli, quos Spiritus S. ad testificandum aptos reddidit. 1 *Mundando à peccatis*, ne exceptione repellerentur. 2. *Instruendo eos*, ne ignorantiâ confunderentur. 3. *Roborando illos*, ne prece vel precibus, timore vel odio à testificando resilirent. Idem à nobis requiritur, ut nempè in confidendo simus promti, in testando constantes, ideoque videamus, ne verorum testium requisita nobis desint, quorum 4. vulgò numerantur, 1. *Vita inculpata*, 2. *Causæ notitia*, 3. *Confessio ingenua*, & 4. *Constantia*. Ambulemus igitur dignè Evangelio, *Phil.* 1. *v.* 27. *Eph.* 4. *v.* 1. scrutemur scripturas, *Ioh.* 5. *vers.* 39. ut efficiamur certi; reddamus candidè rationem spei, quæ in nobis est, 1. *Pet.* 3. *v.* 15. & perseveremus usque ad finem. Ita faciemus officium nostrum, & certi esse poterimus de Spiritus S. præsentiâ, ejúsq; κατοικήσει gratiosâ.

testatus est tribus vicibus.

Requisita verorum testium.

PARS

PARS II.

De malis Christianorum.

QUi cognovit, se templum Spiritus S. esse, sciat simul, multas tribulationes sibi paratas. Has unà prædicit Christus, postquam de Spiritu solatij & veritatis verba fecit ad Apostolos. Duo autem sunt, quæ denunciat.

Christus denunciat 1. Persecutionem Ecclesiasticam.

I. Persecutionem Ecclesiasticam. Ait enim *absque Synagogis facient vos*, hoc est, excommunicabunt, & consortio sanctorum indignos judicabunt. Est autem excommunicatio duplex.

Excõmunicatio est vel Christiana.

1. *Christiana*, quùm peccator præfractus, post varias admonitiones frustrâ adhibitas, à corpore mystico, tanquam membrum putridum abscinditur, remissione peccatorum, communione verbi & Sacramentorum privatur, donec resipiscat. Hæc legitima est, à Christo instituta, *Matth. 18. v. 15.* & multis Ecclesiæ primitivæ exemplis nobilitata. Cavere & timere hanc debemus (1.) ob *periculum*, quia excommunicati in proximo ad æternam damnationem gradu sunt constituti. (2.) Ob *damnum*, quia privantur bonis & thesauris Ecclesiæ, (3.) Ob *infamiam*, quia major esse nequit, quàm si quis ejiciatur ex Ecclesia, ut canis, & fugiatur ut leprosus.

Vel AntiChristiana.

2. *AntiChristiana*, quùm in immeritos & sine gravi causa, ex mero odio & tyrannide fulmen istud vibratur. Hæc illegitima est, iniqua & prohibita, nihilominùs pij sæpissimè illi subjacent juxta prædictionem Christi. Sic Cainitæ excommunicârunt *Patriarchas*; Ismael, *Isaacum*: Esau *Iacobum*: Baalitæ *Prophetas Dei*: *Christum & Apostolos*

ſtolos Phariſæi, quod bsutum fulmen imprimis ſtringit Pontifex Romanus adverſus omnes eos, qui Cathedram peſtilentiæ non adorant. Sed bono ſimus animo, quia ſcriptum eſt Pſalm. 109. v. 28. *Maledicent illi & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur: ſervus autem tuus lætabitur.* Scimus enim tales excommunicationes eſſe injuſtas, 1. Ratione *Animi*, quia ex odio proficiſcuntur. 2. Ratione *Cauſæ*, quia ad veritatem ſupprimendam inſtituuntur. 3. Ratione *Proceſſus*, quia nec auditi, nec convicti condemnantur. Proinde ſolatij loco iſtud Tertulliani cogitemus: *Si damnamur à mundo, abſolvimur à Deo.*

II. Perſecutionem externam vel Politicam. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur, cultum ſe præſtare Deo.* Non contenti erunt hoſtes noſtri excommunicatione, ſed conjungent cum illa tyrannidem, & cædes varias. Neque in hoc videri volunt tyranni, ſed potiùs cultores Dei, cujus honorem putant eſſe cruorem fidelium. Notæ ſunt hiſtoriæ Teſtamenti Veteris, quomodo gentes ſævierint in Judæos, præſertim tempore Antiochi: Notæ ſunt perſecutiones in Teſtamento Novo, ſub decem Imperatoribus, ſub hæreticis, præcipuè ſub AntiChriſto Romano, qui inebriatus eſt ſanguine Sanctorum, *Apoc. 17. verſ. 6.* adeò ut rectè ſcripſerit Palingenius: *2. Perſecutionem externam.*

Pontifices nunc bella juvant, ſunt cætera nugæ.

Imitantur enim *Iulium II.* qui contra Gallos in pugnã profecturus, claves Petri auratas in Tyberim projecit, & coram omni populo evaginato gladio

dio in hæc verba erupit: *Quia Petri clavis nihil valet, valeat gladius Pauli*, recitante Osiandro *Cent. 16. lib. 1. cap. 8.* Ad has ergo & similes persecutiones nos qui templa Spiritus S. sumus, maturè præparemus. Semper enim istud Psalmi repetendum est: *Mortificamur totâ die, æstimati sumus, sicut oves occisionis*, Psal. 44. v. 22.

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

PARS III.

De malorum remediis.

Monstrantur quatuor malorum levamina.

UT maximè patiamur, non tamen omni solatio privabimur. Præterquam enim quòd Paracletum nobis assistentem habeamus, quatuor insuper malorum levamina in præsenti Evangelio tanguntur.

1. Christi præmonitio.

I. Christi præmonitio. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut non scandalizemini*, hoc est, ne offendamini aut turbemini. Scandalum enim passivum vel acceptum, non activum vel datum propriè intelligit. Facit autem isthæc prædictio ad scandali amotionem, quia tela prævisa minùs nocent, & malum quod eminùs quasi videmus, non adeò lædit aut consternatum reddit. Unde Seneca scribit: *Quæ alij diu patiendo levia faciunt, vir sapiens levia facit, diu cogitando.* Christus igitur dolori nostro mederi voluit, dum mala obventura prænunciavit.

2. Dei præcognitio.

II. Dei præcognitio. Quia enim Christus prædicit crucem, Ergò jam antè illa Deo est cognita. Quare non fortuitò, non ad mundi arbi-

trium contingit, sed ex Dei providentia. Omnes enim capilli nostri numerati sunt, *Matth. 10. v. 30.* Non igitur Satanæ totos tradet, sed persecutioni modum ponet. Jacobus rediturus in Patriam, post se habebat iniquum socerum, ante se iratum fratrem, sed castra Domini cingebant illum, & defendebant, *Gen. 32. v. 2.* Ita & Angelus fortis castra metabitur in circuitu nostro, *Psal. 34. v. 8.* quia nota sunt Deo pericula nostra, neque dormit, qui custodit Israel, *Psal. 121. v. 4.*

III. Ab impiis egressio. Dum enim per illos excommunicamur, simul ab illis liberamur. Magnum hoc est beneficium, quòd isto pacto abeamus è colluvie improborum, cum quibus qui non conversatur, beatus dicitur, *Ps. 1. v. 1.* Agnovit hoc *Lucinus*, de quo legitur in hist. Eccl. Quùm enim vidisset, Ptolomeum, hominem pium, per diem integrum cruciari, constantiâ ejus permotus, Christianis se associans carnifices increpavit. Mox & ipse abripitur, atque ad supplicium ducitur, quod cùm beneficij loco haberet, præfectum sic alloquitur: *Ego tibi gratias habeo, non tantùm quòd ab improbis dominis liberor, sed etiam quòd ad benignum patrem & principem proficiscor*, referente *Eusebio*, lib. 4. cap. 17. *3. Ab impiis egressio.*

IV. Divina approbatio. Ipsi æstimant quidem, se cultum Deo præstare: sed errant. Longè sunt aliæ cogitationes ipsorum & Dei. Habent nos pro infimâ fece hominum, sed Deo placemus. Illi putant supplicio nos dignos esse; sed aliter censet Deus. Hunc enim ignorant, aliàs in nos minimè sævirent. Nos autem per crucem *4. Divina approbatio.*

Deum agnoſcimus, & ad illum nos convertimus, ſicut Hagar elata, per tribulationem reverſa eſt ad ſuam dominam, *Gen. 16. v. 9.* Quocirca gaudeamus in perſecutione, quia per illam Deus ipſe petitur, qui compenſabit, quod patimur. *Beati eſtis*, ait Chriſtus Matth. 5. v. 11 *ſi homines vos perſecuti fuerint; gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Patiamur ergo fortiter, & expectemus mercedem à Deo conſtanter: quem veneramur ſupplices, ut nos omnes efficiat Spiritu ferventes, in malis patientes, & ſolatio abundantes, ad nominis divini gloriam, & ædificationem noſtram, Amen.

EVANGELIVM
DIE FESTO PENTECOSTES.

Ioh. 14. à v. 23. uſque ad finem.

De Spiritus Sancti miſſione, & ejus beneficiis.

V. 23. ΕΆν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ Πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν.	QUi diligit me, ſermonē meū ſervat, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, manſionémque apud eum faciemus.	WEr mich liebet der wird mein Wort halten / vnd mein Vatter wird jhn lieben / vnd wir werden zu jm kommen / vñ Wohnung bey jhm machen.
24. ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ	Is autem qui non diligit me, ſermo-	Wer aber mich nit liebet / der hält

τηρεῖ

τηρεῖ· καὶ ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με Πατρός.

nem meum non servat: & sermo ille quem auditis, meus non est, sed Patris qui misit me.

mein Wort nicht. Vnnd das Wort das jhr hőret / ist nit mein / sondern des Vatters / der mich gesand hat.

25. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων.

Hæc locutus sum vobiscum, quùm apud vos essem.

Solches hab ich zu euch geredt/weil ich bey euch gewesen bin.

26. ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ Πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν.

Ipse verò Consolator Spiritus ille sanctitatis, quem missurus est Pater meus in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis quæcunq; dico vobis.

Aber der Trőster der Heilige Geist/ welchē mein Vatter senden wird in meinem Namen/ derselbige wirds euch alles lehren/ vnd euch erjnnern alles des / das ich euch gesagt habe.

27. εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω.

Pacem relinquo vobis, pacē meam do vobis: non prout dat mundus, ego do vobis. Ne turbetur cor vestrum, neq; expavescat.

Den Friede lassē ich euch / meinen Fride geb ich euch. Nit gebe ich euch/ wie die Welt gibt. Ewer Hertz erschrecke nicht/ vn̄ fürchte sich nicht.

28. Ἠκούσατε ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Εἰ ἀγαπᾶτέ

Audistis me dixisse vobis, abeo, & redeo ad vos. Si di-

Jhr habt gehőrt/ das ich euch gesagt hab: Jch gehe hin/ vnd komme wider zu euch. Hettet jhr

με, ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον. Πορεύομαι πρὸς τὸν Πατέρα· ὅτι ὁ Πατήρ μου μείζων μού ἐστι.	ligeritis me, gauderitis me abire ad Patrem meũ, quia Pater meus major me est.	mich lieb / so würdet jr euch frewen / das ich gesagt habe: Ich gehe zum Vatter / denn der Vatter ist grösser denn ich.
29. καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν, πρὶν γενέσθαι. ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύσητε. οὐκέτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν. ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν.	Nunc autem ecce dixi vobis priusquam fiat, ut quùm factum fuerit, credatis. Amplius nõ loquor vobiscum multa: venit enim princeps hujus mũdi, & in me non habet quicquam.	Vnd nun habe ichs euch gesagt / eh denn es geschihet / auff das / wenn es nun geschehẽ wird / das jr glaubet. Ich werde fort mehr nicht viel mit euch reden / deñ es kommet der Fürst dieser Welt / vnnd hat nichts an mir.
30. ἀλλ' ἵνα γνῷ ὁ κόσμος ὅτι ἀγαπῶ τὸν Πατέρα, καὶ καθὼς ἐνετείλατό μοι ὁ Πατήρ, οὕτω ποιῶ. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν.	Sed ut sciat mundus me diligere Patrẽ meum, & prout præcepit mihi Pater meus, similiter facio. Surgite, abeamus hinc.	Aber auff das die Welt erkenne / das ich den Vatter liebe / vnd ich also thue / wie mir der Vatter gebotten hat. Stehet auff / vnd lasset vns von hinnen gehen.

Homilia.

Exhortatio ad Christianum gaudium.

QUùm in prima Aaronis immolatione ignis è cœlo descenderet, & holocaustum absumeret, omnes turbæ jubilârunt, procidentes in

facies suas, *Levit. 9. v. ult.* Jubilemus & nos, *Fratres charißimi*, quia dies illuxit ob majestatem maxima, ob donorum ubertatem celebratissima. Hodiè in Testamento Veteri Dominus super mõte Sinai descendit in igne, *Exod. 19. v. 19.* Hodiè in Testamento Novo beatos Apostolos Spiritus Sanctus tetigit, sub specie ignis, *Actor. 2. v. 3.* Hodiè, si festum devoti celebremus, idem Spiritus venit *ad* nos, venit *intra* nos, venit *propter* nos. *Ad nos*, per verbi prædicationem: *Intra nos*, per gratiæ effusionem: *Propter nos*, per Justitiæ obsignationem. Exurgite, *ô Amici*, jubilate & gloriamini de dignitate vestrâ. Nunc omnia habemus, quia omnia habentem possidemus. Versamur in tenebris? Spiritus Sanctus Illuminator est. Cruciamur horrore lethi? Vivificator est. Peccatorum mole premimur? Sanctificator est. Malorum nube cingimur? Consolator est. Si labaris, erigit: si patiaris, subvenit: si quid ignores, instruit: Reducit, si erres: conservat, si titubes: confirmat, si fluctues. In morte vita, in invio via, in errore veritas est. Intellectum docet, voluntatem movet, memoriam monet. Ad virtutes incitat, à vitiis arcet: prævenit, ut valeamus; & ad sancta Deóque placentia opera nos idoneos reddit; *Gaudete* igitur in Domino, Iterum dico, *Gaudete*, & ignem hunc cœlitùs descendentem devoti excipite.

Quod ut fiat, hodiernum Evangelium paulò diligentius adspiciemus; & licet multa ad festum præsens spectantia inde possimus deducere, attamen de duobus tantùm capitibus agemus.

1. De nostro officio. *Propositio.*

2. *De divinis beneficiis.*

Ibi docebimur, quomodo Pentecosten dignè celebrare possimus: *hîc* quem inde fructum expectare debeamus. *Illud* faciet πρὸς παιδείαν, *hoc* πρὸς παράκλησιν.

Veni autem ô *Spiritus sanctißime, Doctor & Consolator optime*, ut vera discamus, bona faciamus, tuísque donis perpetuo gaudeamus, Amen.

PARS I.

De nostro Officio.

QUùm Deus super montem Sinai descensurus, legémq; promulgaturus esset, Mosi præceptum hoc dedit, Exod. 19. v. 10. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodiè & cras, lavéntque vestimenta sua,* cujus mandati executio describitur. v. 14. & 15. Quòd si Israelitæ opus habuerunt sanctificatione, ad legem audiendam, in Pentecoste veteri: multò magis Christiani, in Pentecoste novâ sanctificare se debent, ut accipiant Spiritum, omnis sanctitatis autorem & datorem. Multa verò sunt requisita Christianæ sanctificationis omnibus Pentecosten dignè celebraturis necessaria: sed duo tantùm in principio Evangelij exprimuntur, quæ paucis declarabimus.

Duo requisita nostræ sanctificationis.

Primum est ardentissima Christi dilectio. *Si quis diligit me*, inquit Salvator, *ad eum veniemus.* Diligendus ergò est Christus, ut accipiatur Spiritus Sanctus. Hic enim mittitur, & ille mittit. Ames igitur mittentem, si vis habere mittendum. Super discipulos Christi effusus est Spiritus, *Act. 2. v. 1. & seqq.* Nemo autem Christi potest esse discipulus, qui charitate destitutus. Nam in hoc

1. Christi dilectio.

cogno-

cognoſcent omnes, quia diſcipuli ſumus, ſi dilectionem habuerimus, *Ioh. 13. v. 15.* Et cur non diligeremus tàm mitem Dominum, qui nos prior dilexit? Ipſe quùm adhuc peccatores eſſemus, pro nobis mortuus eſt, *Rom. 5. verſ. 8.* Ipſe noſtri causâ formam ſervi accepit, *Philip. 2. v. 7.* & factus eſt egenus, ut illius inopiâ divites eſſemus, *2. Cor. 8. verſ. 9.* Ipſe eſt Samaritanus ille, qui nos vulneratos curat, & ſanat, *Luc. 10. v. 33.* Ipſe ſuaviter nos alloquitur; & advocat verbis his blandis, juxta Auguſtinum: *Falli non vis? Veritas ſum. Mori non vis? Vita ſum. Errare non vis? Via ſum. Non eſt quò eas, niſi ad me: non eſt quà eas, niſi per me.* Quis igitur non diligat ex tote corde hunc dominum? qui ſalus noſter eſt, redemtio & ſanctificatio, *1. Cor. 1 v. ult.*

Diligamus autem 1. *ſuper omnia*, ne præferamus ipſi terreſtria. Nihil eſt ad illum, quicquid hic mundus habet. Punctulum eſt, vanitas eſt. In ſolo Chriſto poſſidemus omnia, cujus dilectio ſuperat omnem ſcientiam, *Eph. 3. v. 19.* Si quis verò diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, *1. Ioh. 2. v. 15.* Veteres dixêre: *Non poteris amare, niſi prius oderis*, nempè mundum & carnales delicias. *Amemus autem ſuper omnia;*

2. *Per omnia*, ut non duntaxat ipſum, ſed & membra ipſius, hoc eſt, proximum amemus. Si quis enim dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, *1. Iohan. 4. v. 20.* Nos autem ſcimus quòd tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, *1. Iohan. 3. v. 14.* *Per omnia*

Tandem 3. *Omni tempore.* Non in proſperis tantùm, ſed in adverſis quoque amemus Chriſtum. *Omni tempore.*

Non sufficit incepisse, sed pergendum est in dilectione, ut cum Jobo dicamus; *Etiamsi me occiderit Dominus, in ipso tamen sperabo*, cap. 13. vers. 15. Nam qui perseveraverit in fide, charitate & patientia, is salvus erit, *Matth. 10. v. 20.*

2. Verbi divini observatio. Secundum requisitum est, Verbi divini observatio. *Si quis diligit me*, ait Christus, *sermonem meum servabit*. Cohærent arctissimè, *Christi dilectio, & verbi observatio*. Nullo hæc pacto divelli possunt: Qui Christum diligit, verbum observat, & contrà. Qui verò non observat, is neque diligit.

Consistens in audiendo: Servamus autem verbum 1. *audiendo*. Christi enim oviculæ vocem ejus audiunt, *Ioh. 10. vers. 27.* Qui verò fugiunt templum, & filiis hujus seculi se adjungunt, de Christi dilectione gloriari nequeunt. Nam qui ex Deo est, verba Dei audit, *ut Ioh. 8. v. 47.*

Venerando. 2. *Venerando*. Neque enim verbum observat, qui postquam audiit, contemnit, & credere illi recusat. Ratio hîc obmutescat, nec illius arbitrio standum est, captivetur sub fidei obsequium, *2. Cor. 10. v. 5.* & heræ subjiciatur pedissequa.

Faciendo. 3. *Faciendo*, ut praxi exprimamus. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores justificabuntur, *Rom. 2. v. 13.* Estote igitur factores verbi, non auditores tantùm, *Iacob. 1. vers. 22.* Quid juvat macularum adspectus in speculo, si non abstergas? Ita quid proderit verbi auditus, si nulla sequatur vitæ correctio? Mandatum heri non servat famulus, si id quidem audit, sed contrarium facit: Sic irrisores sunt & empectæ, qui

qui verbum Dei audiunt, sed impiè vivunt. Quare si festum hoc dignè celebrare, & dona Spiritus accipere voluerimus, harum regularum simus memores, ut Christum diligamus, diligendo auscultemus, auscultando obediamus, & in obediendo constanter perseveremus.

PARS II.

De divinis beneficiis.

NIhil magis ad rectè agendum homines cõmovet, quàm *spes præmii*: Ut igitur charitas Christi, & observatio verbi, nobis hoc festo persuadeatur citius, aliquot beneficia Salvator commemorat, & sunt illorum *tria* potissimùm. *Tria beneficia Pentecostalia.*

I. AEterni Patris dilectio. Sic enim porrò dicitur: *Pater meus diliget eum.* Ut inter homines amor est reciprocus, sic inter Deum & fideles. Si Deum diligis, vicissim ab ipso diligeris. Sic enim inquit Sapientia, Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Quodnam verò majus esse potest beneficium, quàm si à Deo totius universi Monarchâ diligamur? Clementem Principem qui habet, quantoperè gloriatur! Et nos amorem Regis Regum tàm parvi æstimabimus? *1. Aeterni Patris dilectio.*

Inquis: *Nihil hîc Privilegii est, quia Deus amat universum mundum.* Fatemur; ideoque scies, amorem Dei esse geminum, (1) *Genalem*, qui ad omnes se extendit, *Ioh 3. vers. 16.* etiam impios, *Rom. 5. v. 6* notatque beneficam voluntatem Dei, quâ omnes temporaliter conservat, *Hebr. 1. v. 3.* & vult salvos fieri, *1. Tim 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9.* (2) *Specialem*, quum diligimur in dilecto, *Eph. 1. v. 6.* ex quo amore proficiscuntur varia dona & *Dei amor geminus, Generalis & Specialis.*

χαρίσματα, ut sunt prædestinatio, *Rom.8. vers. 29.* prædestinatorum justificatio, *Rom. 4. v. 2.* justificatorum conservatio, *Phil. 1. vers. 6.* & tandem conservatorum glorificatio, *Matth. 25. v 34.* Notat enim isthæc dilectio singulare beneplacitum Dei, quo nos ipsi accepti sumus, quo nostras actiones bonas adprobat, promovet, remunerat, nos erigit, tuetur & conservat. Est hic amor verè paternus, siquidem ut Pater filiorum, ita Deus miseretur nostri, *Psal. 103. v 13.* Si cor dicat: *Usq; quò Domine oblivisceris mei in finem?* Ps. 13. v 1. respondet Dominus: *Numquid oblivisci potest mulier infantis sui, ut non misereatur? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui,* Esa. 49. vers. 15. Hoc est illud singulare beneficium, cujus non nisi fideles & pii fiunt participes.

Gratiosa Trinitatis inhabitatio.

II. Gratiosa Trinitatis inhabitatio. Sic enim pergit Salvator: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Maximum hoc est beneficium, quòd ipsius Dei templa reddimur. Quum apud Abrahamum diverterent tres Angeli, quàm lætatus est? *Genes. 18. vers. 2.* Cor nostrum Dei fit habitaculum, quis non exultet? Elisabetha virginis Mariæ adventu sic exhilarata est, ut diceret Luc. 1. v. 43. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* sed quid Maria ad Deum? quid mater ad filium? Nos potiùs dicamus: *Unde hoc mihi, ut Dominus meus, ut Iehovah excelsus ad me veniat?* Centurio magnam nimis clementiam æstimavit, quòd Christus ad ipsum venire voluit. *Domine*, inquit, *non sum dignus, ut intres sub tectum meum,* Matth. 8 vers. 8. Quantò autem majus est, quòd non tectum modò, sed ipsum cor nostrum ingredi-

ingreditur? Deus quidem non procul eſt ab unoquoque noſtrum, *Act.17.v.17.* Non eſt Deus à longè, *Ierem. 23.v.23.* omnes inſulæ coram ipſo ſunt, quaſi pulviſculus, *Eſa.4.v.15.* Verùm de præſentia hac univerſali Chriſtus non loquitur, ſed gratioſam intelligit, quâ corda noſtra Spiritus S. fiunt domicilia, per quem purgantur, illuminantur, renovantur. Chriſtus enim in plurali loquitur: *Veniemus, manſionem faciemus.* Quare non ſe ſolùm intelligit, ſed totam ſacroſanctam *Trinitatem*, quæ apud fideles cum muneribus ſuis divertit. O quanta hæc eſt excellentia, habere Deum benedictum, in cordibus noſtris habitantem, & commorantem! Gaude fidelis anima, & gloriare. Omnia potes, quia omnia potentem compleċteris. Ecce ad te venit *Deus Pater*, ut in filium adoptet. Ad te venit *Filius*, ut ſatisfactionem ſuam imputet. Ad te venit *Spiritus ſanctus*, ut gratiam hanc obſignet, inque veritatem omnem perducat.

Deus olim in Sion ignem, in Ieruſalem caminum ſuum habuit, *Eſa.31.v.ult.* Tu illa Sion & Jeruſalem es: in te habitat Sacroſancta Trinitas: in te ignem & Caminum habet. Ezechiel vidit in Spiritu civitatem, cujus nomen *Domini ibi*, Ezech.48 v.ult. Tu illa civitas es, tuum hoc nomen eſt: Dominus ibi, Dominus hîc ſedem fixit, & ſua chariſmata effudit. Quis igitur contra nos erit, ſi Deus non tantùm pro nobis, ſed etiam in nobis eſt? certus ſum, *Fratres*, quòd jam nihil nos ſeparare poterit à charitate Dei, hoſpitis noſtri glorioſi, & ſemper benedicti, *Rom.8.v.38.*

III. Spiritus S. effuſio. Hunc enim Chriſtus *3. Spiritus S. effuſio.*

ſtus expreſsè promittit, verſ. 26. *Paracletus ille, qui eſt Spiritus S. quem mittet Pater nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ubi primariò quidem viſibilem effuſionem ſuper Apoſtolos factam intelligit: ſimul tamen ad beneficii hujus continuationem, omnibus piis faciendam reſpicit. Non quidem eâ formâ, nec tantâ plenitudine nobis donatur Spiritus S. ut olim Apoſtolis: interim inviſibili modo in corda noſtra emittitur, & ea operatur, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Quod beneficium, ut pleniùs cognoſcatur, doctrina de Spiritu S. hac occaſione breviter repetenda eſt. *Tria* verò inprimis in conſiderationem veniunt, 1. *Spiritus S. eſſentia,* 2. *Diſtinctio perſonalis,* 3. *Officium.*

De Eſſentia Spiritus S.

1. Quod Eſſentiam concernit, Spiritus S. non eſt creatura, ideoq; nec angelus, nec ventus, nec donum aliquod finitum, ſed creator & Deus æternus. *Spiritus Dei fecit,* ait Eliu, Jobi 33. v. 4. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & *ſpiritu oris ejus* omnis exercitus eorum, *Pſalm. 33. v. 6.* Hic eſt ille Spiritus, qui ferebatur ſuper aquas in principio creationis, *Geneſ. 1. v. 2.* ideoque creaturis ipſis annumerari nequit. Huc etiam facit, quòd Spiritus S. *Iehova* nuncupatur, quod eſſentiale Dei nomen eſt. Omnes enim Prophetæ referunt, Jehovæh verbum ad ſe factum eſſe. Aſt hoc Spiritus S. verbum fuit, à quo acti locuti ſunt ſancti homines, *2. Pet. 1. v. 21.* Hinc & τρισάγιον illud cœleſtium Seraphim, *Eſa. 6. v. 3.* non niſi vero Jehovæh competens, ad Spiritum S. unà refertur, *Actor. 28. v. 25.* Et Ananias ſpiritui ſancto mentiens, ipſi Deo mentitus eſſe dicitur, *Actor. 5 v. 3. 4.* quæ omnia divinitatis luculenta ſunt teſtimonia.

2. Non

2. Non sufficit scire, quòd Spiritus S. sit Deus, sed addendum, quòd tertia sit in Trinitate persona, à Patre filioq; distincta. Deus enim essentiâ quidem unus est, *Deut. 6. v. 4.* personis tamen trinus, Pater, Filius & Spiritus S. *Matth. 3. v. 56. cap. 28. v. 19. 1. Ioh 5. v. 7.* Quòd verò Spiritus à Patre Filioq; distinctus sit, apparet *partim* ex missione. Nam alius est mittens, alius missus. Jam verò Spiritum mittit Pater, *vers 26.* & Filius, *Ioh. 15. v. 26. cap. 16. v. 8.* Ergò ab his Spiritus est distinctus unde *alius* disertè vocatur, *Ioh. 14. v 16.* *partim* ex unctione Christi. Nam Pater ungit, *Psalm. 45. v. 8.* Filius est unctus, *Act. 10. v. 38.* Spiritus S. est unctio, *Esa. 61. v. 1. Ioh 3 vers. 34.* Jam verò ungens, unctus & oleum semper differunt, nec idem esse possunt: *partim* ex obumbratione S. Spiritus. Ex hujus enim virtute conceptus est Christus, *Luc. 1. v. 35.* imò & super Christum esse dicitur, *Esa. 61. v. 1.* Vicissim autem differunt is, qui adest, & is super quem adest. *De personali ejusdem distinctione.*

Duobus verò modis à Patre & Filio Spiritus S. distinguitur: 1. *Internè* per processionem, quia spiratur vel procedit à Patre, *Iohan. 15. v. 26.* & filio, quum ab illo mittatur, *Ioh. 16. v. 7.* & Spiritus oris ejus, *Psalm. 33. v. 6.* nuncupetur. 2. *Externè*, *tùm* per invisibilem missionem & effusionem soli Spiritui propriam: *tùm* per sanctificationem, quod opus distinctionis ergò Spiritui S. in Apostolorum Symbolo πρώτως adscribitur.

3. Officium & dona Spiritus quod attinet, multa eorum sunt, *quinque* tanguntur præsenti Evangelio. *De officio & donis.*

Nam

Est Consolator. Nam 1. *Noster Consolator est*: quam ob causam à Christo nuncupatur Paracletus ille, qui nempè jam diu promissus erat. Hic pressos adeò erigit, ut glorientur in tribulationibus, *Roman. 5. vers. 3.* Unde hoc? Quia tribulatio patientiam operatur, & tandem spem, quæ non confundit. Sed unde hoc? Quoniam charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Omnis igitur consolatio, & in cruce gloriatio principaliter à Spiritu sancto provenit, de quo in præcedenti Evangelio benè multa diximus.

Sanctificator. 2. *Noster Sanctificator est.* Omnes naturâ sumus polluti, immundo semine, *Iob. 14. v. 4.* adeò ut nec inter sanctos aliquis sit integer *cap. 15. v. 5.* Quòd si mundari volumus, Dei Spiritus superveniat necesse est. Hic enim *Sanctus* vocatur non tantùm essentialiter, sed etiam effectivè, quoniam nos mundat & sanctos efficit, *Tit. 3. v. 5.* Hinc sub specie ignis descendit, ad indicandam virtutem purgandi, quæ ignis propria.

Præceptor. 3. *Noster Præceptor est.* Ille enim vos *docebit omnia*, inquit Christus. Magna ruditas nobis annata est, adeò ut intellectus tenebris dicatur obscuratus, *Eph. 4. v. 18 & 5. vers 8.* Sed pellit illas Spiritus, qui per verbum nos instruit, unde nominatur Spiritus sapientiæ, *Esa. 1. vers 2. Eph. 1. v. 17.* à quo est nostra ἱκανότης, *2. Cor. 3. v. 5.* & prædicatio verbi appellatur ministerium Spiritus ac gratiæ, *Eph. 3. v. 2.*

Pacificator. 4. *Noster Pacificator est.* Pacem meam *dovobis*, pergit Salvator. Vinculum pacis est Spiritus sanctus. Ideoque quum pacem discipulis Chri-

ſtus optâſſet, *Iohan* 20. *v.* 19. tandem per afflatum confert iis Spiritum, *v.* 22. tanquam verum pacis autorem & conſervatorem. Ab hoc pax eſt inprimis interna vel conſcientiæ, in qua conſiſtit regnum Dei, *Rom.* 14. *v.* 17. Pax mundi & Politica, res quidem optima eſt, ſed tamen evanida, & dolore mixta: Pax Spiritus conſtans eſt & ſemper exhilarat. Tunc enim habemus Deum pacatum, conſcientiam quietam, proximum faventẽ, & hoſtes debellatos.

Tandem 5. *Noſter Obſignator eſt.* Quum enim cor ex infirmitate turbari incipit, gratiam Dei confirmat, & id obſignat, quod Chriſtus promiſit, dicens: *Vado & venio ad vos.* Hinc pignus & arrha Dei appellatur, 2. *Cor.* 1. *verſ.* 22. *cap.* 5. *v.* 5. quia teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, *Roman* 8. *verſ.* 16. Sed de his alibi plura: Nos hîc finimus, & cum Eccleſia devoto corde canimus: *Obſignator*

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto,
Nobisque mittat Filius,
Chariſma Sancti Spiritus,
Amen.



EVAN-

EVANGELIUM
FESTO TRINITATIS.

Ioh. 3. à verſ. 1. uſque ad 16.

De Colloquio Chriſti cum Nicodemo.

v. 1. ΗΝ δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων.

Erat autem ibi unus ex Periſchæis, cui nomen erat Nicodemous princeps Jihoudæorum.

Es war aber ein Menſch vnter den Phariſeern/ mit Namen Nicodemus / ein Oberſter vnter den Juden.

2. οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ῥαββὶ, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ.

Hic venit ad Jeſchua noctu, & dixit ei, Magiſter mi, ſcimus te à Deo miſſum fuiſſe doctorem: nemo enim poteſt hæc ſigna edere, quæ tu edis, niſi qui Deũ habeat ſecum.

Der kam zu Jeſu bey der Nacht/ vnd ſprach zu jhm: Meiſter / wir wiſſen/ das du biſt ein Lehrer von GOtt kommen/denn niemand kan die Zeichen thun / die du thuſt / es ſey denn Gott mit jhm.

3. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται

Reſpondit Jeſchua, & dixit ei, Amin, Amin dico tibi, Niſi quis genitus fuerit de-

JEſus antwortet / vnd ſprach zu jhm: warlich/warlich ich ſage dir: Es ſey denn dz jemand von newem gebo-

ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

nuò, non poteſt videre regnum Dei.

ren werde / kan er das Reich Gottes nicht ſehen.

4 λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος, πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν, καὶ γεννηθῆναι.

Dixit ei Nicodimous, Qui fieri poteſt ut naſcatur homo ſenex? nunquid poteſt iterum in uterum matris ſuæ duabus vicibus introire & gigni.

Nicodemus ſpricht zu jhm: Wie kan ein Menſch geborē werden / weñ er alt iſt? Kan er auch widerumb in ſeiner Muter Leib gehen / vnd geboren werden.

5. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

Reſpondit Jeſchua, & dixit ei, Amin Amin dico tibi, Niſi quis genitus fuerit ex Aqua & Spiritu, non poteſt ingredi regnum Dei.

Jeſus antwortet / vnd ſprach zu jhm: Warlich / warlich ich ſage dir: Es ſey denn das jemandt von newem geborē werde auß dē Waſſer vñ Geiſt / ſo kan er nicht in dz Reich Gottes kommen.

6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.

Was vom Fleiſch geboren wird / das iſt Fleiſch / vñ was vom Geiſt geboren wird / das iſt Geiſt.

7. μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι, δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.

Ne mireris quòd dixerim tibi, oportet vos naſci denuò.

Laß dichs nicht wundern / das ich dir geſagt habe / jhr müſſet von newem geboren werden.

8. τὸ πνεῦμα ὅπου

Spiritus quò loci

Der Wind bleſet

θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ᾽ οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει. οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat & quò vadat, ita eſt quiſquis genitus eſt ex Spiritu.

wo er will / vnd du höreſt ſein ſauſen wol / aber du weiſt nicht von wannē er kom̄et / vnd wohin er fehret. Alſo iſt ein jeglicher / der auß dem Geiſt geboren iſt.

9. ἀπεκρίθη Νικόδημος καὶ εἶπεν αὐτῷ, πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι;

Reſpondit Nicodemous & dixit ei, quomodo poſſunt hæc fieri?

Nicodemus antwortet / vnd ſprach zu jhm: Wie mag ſolches zugehen?

10. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις;

Reſpondit Jeſchua & dixit ei, Tu es Doctor in Iſroiel, & hæc neſcis?

JEſus antwortet / vnd ſprach zu jhm: Biſt du ein Meiſter in Jſrael / vnnd weiſſeſt das nicht?

11. Ἀμὴν, Ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε.

Amin, Amin dico tibi, Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, ſed teſtimonium noſtrum non recipitis.

Warlich / warlich ich ſage dir: wir reden das wir wiſſen / vnd zeugen das wir geſehen haben / vnd jhr nemet vnſer Zeugnis nicht an.

12. εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε;

Si terrena dixi vobis, neq; creditis, quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis mihi?

Glaubet jr nicht / wenn ich euch von jrrdiſchē dingen ſage / wie würdet jhr glauben / wenn ich euch von him̄liſchē dingē ſagē würde?

καὶ

13. καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανόν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.	Porrò nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui ipse est in cœlo.	Vnnd niemand fehret gen Himel/ denn der vom himmel ernieder kommen ist/ deß Menschen Sohn/ der im Himmel ist.
14. καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.	Et quemadmodum extulit Mousche serpentem in deserto, ita futurũ est ut extollatur Filius hominis.	Vnd wie Moses in der Wüsten eine Schlange erhöhet hat/ also muß deß Menschen Sohn erhöhet werden.
15. ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.	Ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.	Auff dz alle/ die an jn glauben/ nit verlohren werden/ sondern das ewige Leben haben.

Homilia.



MOSIS votum in deserto fuit, ut faciem Dei videret. His enim verbis compellat Dominum, Exod.33. v.13. *Si gratiam inveni in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Idem, *Fratres charißimi*, nostrum sit votum & desiderium. Nam in Dei cognitione salus nostra & æterna vita consistit, *Ioh.17 v.2* Semper igitur optemus Dei notitiam cum Mose, & oremus cum Augustino ex lib. Medit. cap. 1. *Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare.*

Deum debemus nosse.

Cui voto ut satisfieret quodammodo, festivi-

tas hodierna in honorem S. S. Trinitatis à majoribus instituta est. Sic enim occasio datur doctrinam de Deo explicandi, & gloriosam Trinitatem agnoscendi.

Hactenus festa celebravimus potissimùm in honorem singularum personarum. Vidimus misericordiam Dei Patris, emittentis filium, *Festo Incarnationis*. Vidimus potentiam Filii sepulchro prodeuntis, *Festo Resurrectionis*. Vidimus beneficia Spiritus S. nos regenerantis, præterito *Festo Pentecostes*. Nunc personas omnes junctim intuemur, & Deum in unitate trinum, in Trinitate unum veneramur. Nunc pandetur abyssus mysteriorum, quæ mirari magis, quàm rimari possumus. Nunc de S. S. Trinitate dicendum est, cujus essentia incomprehensibilis, majestas ineffabilis. *Quid est Deus?* quærit Bernhardus Tract. de Consident. ad Eugen. *Longitudo,* inquit, *Latitudo, Sublimitas, Profundum. Longitudo* propter æternitatem, *Latitudo* propter charitatem, *Sublimitas* propter majestatem, *Profundum* propter sapientiam. Hic est ille Deus, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia, *Rom. 11. vers. 36.* nempè Pater, Filius & Spiritus S. Alia est Persona Patris, alia Filii alia Spiritus S. Æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, & tamen non sunt tres æterni, sed unus æternus. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus: & tamen non sunt tres dii, sed unus Deus in secula benedictus.

Qui articulus est sublimissimus.

De hoc sublimi mysterio plura proponendi ansam suggerit hodiernum Evangelium, in quo quidem primariò *de regeneratione hominis* dissetitur;

ritur: nihilominus tamen Trinitatis arcanum simul innuitur. Ut ergò sermo noster sit de tempore, hoc unum thema tractabimus, *Quomodo ex præsenti Evangelio mysterium gloriosæ Trinitatis demonstrari & explicari posit.* *Propositio.*

Tu autem ô Domine & Deus noster illumines mentem: ut te per te videamus, & te semper in te gaudeamus, Amen.

THEMATIS EXPLICATIO.

PRæsens Evangelium continet colloquium inter duos eximios doctores habitum. *Alter* Collocutor est *Christus Iesus*, doctorum Doctor, cui Dominus dedit linguam eruditam, *Esa 50. v. 4.* qui solus Patrem novit, *Matth. 11 v. 27.* & ejus arcana enarravit, *Iohan. 1. v 18.* Alter est *Nicodemus*, Princeps Pharisæorum, Rector Synagogæ, & Philosophus celebris, cujus fides initiò parva, posteà cepit incrementa, uti constat ex *Iohan. 7. v. 12. & cap. 19. v. 39.* Hic enim videns Christi miracula, incipit dubitare de suo Pharisaismo, & Christum ut Prophetam magnum agnoscere. Accedit igitur ipsum, sed noctu 1. *quia* in tenebris adhuc vivit, nondum renatus. 2. *Quia* collegas suos metuit, qui Christum oderant. 3. *Quia* Magistrum Synagogæ non decere autumat, ab alio publicè quid addiscere, suamq; ignorantiam fateri. Quæstio autem Christo proposita, fuit de *verâ ratione adipiscendi salutem.* Pharisæi urgebant Legem & Opera, *Matth 5. v. 19. & seqq.* Sed in his justitiam non consistere, à Christo & Johanne sæpius audiverat Nicodemus. In verum

Duo doctores in hoc Evangelio colloquuntur.

Cur Nicodemus noctu venerit.

igitur modum jam inquirit, & benevolũ à Christo responsum accipit.

Nos autem quæstione istâ nonnihil depositâ, ad mysterium Trinitatis, de quo dicendum est hodiè, applicabimus omnia: & occurrunt aliquot argumenta, quibus Personarum distinctio in unitate essentiæ confirmari, adeoq; sublimis hic articulus illustrari potest. Sunt eorum 7. potissimùm, quæ recto nunc ordine proponemus.

Septem documenta Trinitatis.

1. A Christi missione.

Primum Argumentum petitum est à Christi missione, Sic enim fari Nicodemus incipit. *Rabbi, scimus, quòd à Deo veneris.* Omnis missio duas personas innuit. *Mittentem* & *Missam*. Hîc autem fit mentio alicujus missionis. Ergò duæ personæ innuuntur. *Altera* est Pater, qui mittit: *altera* est Filius, qui mittitur. Pater expresè vocatur Deus : Ejusdem verò essentiæ est filius, quippe qui non propter adoptionem , sed æternam generationem vocatur filius, *Psal. 2. v. 7.* unde Jehovah dicitur, *Ier. 23. v. 6.* & Deus, *Rom. 9. v. 5.* & Dominus exercituum, *Esa. 8. v. 14. Luc. 2. v. 24.* Rex Regum, *Apoc. 17. v. 14.* qui cum Patre unum est, *Ioh. 10. v. 30.* ejusq; imago substantialis, *Col. 1. v. 15. Heb. 1. v. 3.* qui est æternus, *Mich. 5. v. 1. Ioh. 1. v. 1.* immutabilis, *Heb. 1. v. 3.* omnipotens, *Apoc. 1. v. 8.* omniscius, *Ioh. 21. v. 17.* omnipræsens, *Matth. 28. v. 20. Apoc. 1. v. 8.* creator universi, *Psal. 33. vers. 6. Ioh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16.* Conservator, *Hebr. 1. v. 5.* Illuminator, *Ioh. 1. v. 9.* Judex vivorum & mortuorum, *Ioh. 1. v. 22. 27.* semper timendus, *1. Cor. 10. v. 9.* & religiosè adorandus, *Psal. 97. v. 7. Phil. 2. vers. 10. Apoc. 4. v. 8.* Habemus ergò duas personas quarũ utraque est Deus. Tertia verò nempè Spiritus S.

ſimul innuitur, *partim* quia filius miſſus, per ejus operationem conceptus, *Luc.* 1. *v.* 35. & ab illo unctus eſt, *Eſa.*11.*v.*2. *cap.*61.*v.*1. *Pſal.*45.*v.*8. *Ioh.*3. *v.*24. *partim* quia Antiquitatis Regula ſic habet: *Vbicunque Patris & Filii ſit mentio in Scriptura, ibi Spiritus S ſubintelligitur, qui per Scripturam loquitur*, Zach 7.v.12.& 2.Pet.1.v.21.

II. A Chriſti doctrina. Sic enim Nicodemus inquit: *Scimus, quòd à Deo veneris Magiſter.* Non verò gregarius quiſpiam Doctor aut vulgaris Propheta intelligitur, ſed magnus ille omnium gentium Doctor, *Deut* 18. *verſ.* 15. eruditâ linguâ præditus, *Eſa.* 50. *v.* 4. & præco juſtitiæ, *Ioel.* 2. *v.* 23. qui unctus eſt præ conſortibus, *Pſal.* 45. *v.* 8. in quo omnes theſauri ſcientiæ ſunt abſconditi, *Coloſſ.* 2. *v.* 3. per quem Deus locutus eſt nobis noviſſimis diebus, *Hebr.* 1. *v.* 2. Unde divinitas ipſius viciſſim luculenter adſtruitur. Nullus enim hominum, nulla creatura Patrem, & occulta ejus conſilia novit, *Matth.*11. *v.* 27. 1. *Cor.* 2. *v.* 11. Filius autem qui eſt in ſinu Patris, omnia enarravit, ideoq; ipſum non ψιλὸν ἄνθρωπον, vel meram creaturam, ſed æternum Deum eſſe conſequitur. Quò inſuper ſpectat ſingularis doctrinæ Chriſti ἐνέργεια. Eſt enim virtus ad ſalutem, *Rom* 1. *v.* 16. ſermo vivus & efficax, *Hebr.* 4. *v.* 12. quod audientes Emauntici, ardorem cordis ſenſerunt, *Luc.* 24 *v* 32. & Judæi compuncti ſunt, *Actor.* 2. *v.* 37. Jam cujus verbum tam potens & penetrans eſt, is utiq; non erit homo nudus, ſed potius Deus, qui ſolus potens, 1.*Tim.*6.*v.*15. Oſtenſâ verò Chriſti divinitate, ſtatim patet Trinitas: Filius enim præſupponit Patrem, & ab utroque

2. A Chriſti doctrina.

procedit Spiritus S. qui hæc divinitatis testimonia de Christo in Scripturis assignari fecit.

3. A Christi miraculis.

III. A Christi miraculis. Addit Nicodemus rationem, per quam cognoverit, Christum esse Magistrum, divinitùs missum. *Nemo enim potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Christi ergò miracula confirmant ejus *θεότητα*, quòd cum eo, & in eo sit Deus, non præsentiâ universali, non gratiosâ tantùm, sed singulari & personali, sic ut ipsa plenitudo divinitatis habitet in eo *σωματικῶς*, *Col.2.v.8.* Firmum hoc argumentum est, quod Christus discipulis Johannis proposuit, *Matth.11 v.7.* quo Pharisæos convicit, *Ioh.10.v.38.* ex quo multi agnoverunt ejus divinitatem, *Matth 14.v 33.* & officium, *Iohan 6. v.14.* Quamvis enim & alii sancti fecerint miracula, discrimen tamen magnum est. Nam Christus edidit, 1. longè plura, 2. majora, 3. virtute propriâ, 4. quando voluit, 5. non in alterius nomine, & 6. vim istam *θαυματουργικὴν* aliis communicavit, *Matth. 10 v. 8. Marc. 6. v. 7. Luc. 10. v. 19. Ioh. 14. v. 12.* Sancti autem ediderunt 1. non tot signa, 2. nec tanta, 3. virtute alienâ, 4. non quoties ipsis visum, 5. in Christi nomine, 6. nec aliis concedere vim illam potuerunt. Quare Christi miracula certum manent divinitatis testimonium. Isto enim modo solus Deus facit mirabilia, *Psalm.72. vers 18.19. Psal 136 v.3.4.* Et quoniam signa edidit non sola Christi divinitas, sed persona tota, atque sic unà humanitas, à Spiritu S. uncta, simul hujus divinitas indicatur. Spiritus enim est ille digitus Dei, per quem Christus ejecit dæmonia, *Luc. 11. v.10.* Vicissim ergò Trinitas hîc innuitur 1. *Pater,* qui

Discrimen inter miracula Christi & sanctorum.

qui fuit cum Filio; 2. *Filius*, qui miracula edidit; 3. *Spiritus S.* per cujus unctionem humanitas simul mirabilia fecit.

IV. A nostra regeneratione. Nicodemus procul dubio quæsivit de modo introeundi in regnum cœlorum: Nunc Christus respondet ei, v. 3. *Amen, Amen, dico tibi, Nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei.* Junctim habemus hîc *modum salutis*, qui consistit in regeneratione; & *testimoniũ Trinitatis*, in cujus nomine regeneramur. Fit hoc per *Baptismum*, qui est lavacrum *παλιγγενεσίας*, *Tit. 3. v. 5.* & administratur in nomine Patris, Filij & Spiritus S. *Matth. 3. v. 16. 17.* Sic omnes personæ etiamnum in nostro Baptismo concurrunt. Nam à Patre adoptamur in filios, *Gal. 4. v. 5. 6.* per Christi sanguinem purgamur à peccatis, *Eph. 5. v. 26. 1. Ioh. 1. v. 7.* à Spiritu S. renovamur & vivificamur, *Rom. 8. v. 11.* *4. A nostra regeneratione.*

Porrò, quia directus Evangelij scopus est nostra regeneratio, pauca de hac addenda sunt. Christus 5. commemorat, quæ ordine considerabimus. *Christus in Evangelio quinque docet de nostra regeneratione.*

I. *Regenerationis necessitatem.* Amen, Amen dico vobis. *Nisi quis ἄνωθεν natus fuerit, non potest videre regnum Dei.* Triplex est hominis salvandi nativitas 1. *Corporalis*, quando in hanc lucem edimur, 2. *Spiritualis*, quando Ecclesiæ inserimur. 3. *Gloriosa*, quando corpus resuscitatum unietur cum anima *ad* possessionem vitæ æternæ. Secunda nativitas vocatur *regeneratio*, quia præsupponit primam. Omnes enim nascimur in peccatis, *Psal. 51. v. 7.* iræ filij, *Ephes. 2. v. 3.* abalienati à Deo, *Esa. 59. v. 2.* Novâ igitur regeneratione *1. Necessitas. Triplex hominis nativitas.*

opus habemus, quæ fit per baptiſmum, cujus ſumma neceſſitas duplici juramento confirmatur à Chriſto. Eſt igitur impoſſibile ſalvari ſine baptiſmo, non quidem abſolutè, ſed vi 1. decreti, 2. ordinis divini. Per nullum enim medium aliud vult ordinariè infantes regenerare; Interim ſibi legem non tulit, ſed in caſu neceſſitatis fidelium infantes extraordinariè adoptare, & adultos per fidem ſalvare conſuevit, de quo alibi plura.

2. Organum.

2. *Organi regenerantis dignitatem.* Quùm Nicodemus craſsè philoſopharetur de modo regenerationis, Chriſtus rem paulò dilucidiùs proponit, & modum verum explicat, v. 5. *Amen, Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Hîc ratio παλιγγενεσίας oſtenditur, quòd fiat per baptiſmum, quippe per quem Chriſtum induimus, *Gal. 3. v. 23.* peccatorum veniam conſequimur, *Act. 2. v. 38.* & ſalvamur, *1. Pet 3. v. 21.* Simul autem partes babtiſmi eſſentiales nominantur, 1. *Aqua*, pars terreſtris, quæ cum nullo liquore alio eſt commutanda. 2. *Spiritus Sanctus*, pars cœleſtis, quo nominato, perſonæ reliquæ includuntur, quia tota Trinitas cum aqua Baptiſmi peculiari ratione copulatur, vi inſtitutionis, *Matth. 28. v. 29.* Hiſce duabus partibus Baptiſmus noſter abſolvitur, unde lavacrum aquæ in verbo *Eph. 5. v. 29.* nominatur.

3. Noſtra conditio ante Baptiſmum. Caro quot modis dicatur?

3. *Hominis ante Baptiſmum conditionem.* Quod ex carne natum eſt, *caro eſt*, inquit Chriſtus, *v. 6.* Carnis vox tripliciter in Scripturis ſumitur, 1. ἰδίως, vel pro parte tantùm carnosâ, vel pro integro corpore, 2. συνεκδοχικῶς, pro toto homine, 3. μεταφορικῶς, pro carnalibus affectibus & deſideriis.

riis. Et hunc sensum habet, quoties spiritui opponitur, quod quùm fiat præsenti textu, utique per carnem ipsa naturæ corruptio πρώτως intelligitur, ut sensus sit, *Ex peccatoribus peccatores nascuntur.* Quis enim dabit mundum ex immundo, *Iob.* 14. *v.* 4. Omnes declinaverunt. *Rom.* 3. *v.* 12. intellectum habent tenebris obscuratum, *Ephes.* 4. *v.* 18. & cor pravum à pueritia, *Genes.* 8. *v.* 21. Unde sumus filij iræ naturâ, *Ephes.* 2. *v.* 3. Caro igitur de qua Christus hîc verba facit, consistit 1. *In* στερήσει imaginis divinæ, 2. *In* θέσει corruptionis naturæ, 3. *In* reatu pœnæ & damnationis æternæ. Priora duo pertinent ad materiale, posterius ad formale peccati. Quia igitur omnes caro sumus ex carne nati, hinc regeneratione vel maximè indigemus.

4. *Baptismi efficaciam & virtutem.* Quod natum est ex Spiritu, *Spiritus est.* Non hîc notatur transformatio physica & substantiæ, sed hyperphysica & qualitatum. Spiritus efficimur in Baptismo, id est, *spirituales*, vel novi homines, *Eph.* 4. *v.* 24. *Col.* 3. *v.* 10. quæ novitas consistit in illuminatione mentis, *Eph.* 5. *v.* 8. in munditie cordis, *Psal.* 51. *v.* 12. & subactione carnis, *Rom.* 6. *v.* 2. *seqq.* quia reddimur templa Spiritus, 1. *Cor.* 6. *v.* 19. à quo agitamur, *Rom.* 8. *v.* 14. ut perficiamur fructus Spiritus, qui describuntur, *Gal.* 5. *v.* 22. Interim hæc renovatio est imperfecta, & cum reliquiis vetustatis conjuncta, quia omnis sanctus eget petitione veniæ, *Ps.* 32. *v.* 6. *Ps.* 143. *v.* 2. & Apostoli querelam ex *Rom.* 7. *v.* 6. ingeminare cogitur. *4. Efficacia Baptismi.*

5. *Rationis captivitatē.* *Ne mireris*, inquit Christus, *v.* 7. Non hæc carnaliter sunt dijudicanda. *5. Rationis captivatio*

Spiri-

Spiritus flatum audis, viam tamen nescis. Ita licet externo sensu hæc mysteria non percipias, sufficit tamen, quòd Spiritum in Baptismo sentias operantem. Sed Nicodemus nondum præbet assensum. *Quomodo*, inquit v. 9. *possunt hæc fieri?* Verùm reprehenditur à Christo, v. 10 *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Jactas sapientiam & erras tàm turpiter: Docere vis alios, & ignoras docenda. Monemur autem, ut rationem captivemus sub fidei obsequium, 2. *Cor.* 10. *v.* 5. nec scrupulosam modi quæstionem moveamus. Sciendum tamen, quòd duplex sit *Quomodo* (1.) *Docilitatis*, cujus *Luc.* 1. *v.* 34. exemplum habemus in Maria, (2.) *Infidelitatis*, cujus exemplum est Nicodemus, quando claro verbo non credimus, quia modum non percipimus. Abstinendum est ab hac infidelitate, quia mysteria sunt sublimia, ratio nostra cæcutit, Deus est verax, sapiens, potens, qui plura facere potest, quàm captus humanus capiat, *Ephes.* 3. *v* 24. *Zach.* 8. *v.* 6. *Ierem.* 32. *v.* 27. Ejiciamus igitur Phantasias rationis, & dicamus cum Romanis adulteram ejicientibus: *Exi, & res tuas tibi habeto.*

Duplex Quomodo.

5. Ab indivisâ testificatione.

V. Ab indivisâ testificatione. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur*, v. 11. Utitur Christus plurali: plures igitur intelligit. Nec enim est locutio honoraria sicut principes hujus mundi titulis luxuriant, quùm talis mundana ratio longè absit à Christo: sed respicit ad cæteras duas Trinitatis personas, Patrem ac Spiritum S. qui unà testimonium perhibent doctrinæ Christi. *Tres enim sunt, qui testimonium dant in cœlo, & hi tres unum sunt*, 1. Joh. 5. v. 7. Sicut ergò ex locutio

cutionibus pluralibus, *Gen. 1. v. 26. cap. 3. v. 22. c. 14. v. 7.* Orthodoxi Patres Trinitatem conclusere-runt, ita & rectè ex præsenti textu eam colligimus, simulq; monemur, quùm verbum Dei audimus, totam S. S. Trinitatem nos alloqui conjunctim. Deus enim loquitur in ministris suis, *Matt. 10. v. 20.* ideoq; magnâ devotione auscultare convenit.

VI. A Christi exultatione. Dixerat Christus de Spiritu terreno, & applicat ad regenerationem. Sed nondum illa capit Nicodemus. Quare sublimius mysterium narrare vult Dominus, ut rationem ille magis frenare discat. *Nemo*, ait v. 13. *ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Iterum hîc apertum Trinitatis argumentum habetur. Nam 1. *Filius* ascendit, 2. ad *Patrem*, Joh. 10. v. 17. & 3. *Spiritum Sanctum* mittit post ascensum, *Act. 2. v. 1. seqq.* Dona enim accepit pro hominibus, *Psal. 62 v. 19.* & ascendit ut omnia impleret, *Ephes. 4. v. 8.*

6. A Christi exultatione.

Duo verò hîc insuper notanda veniunt, 1. *Tria locutionum genera de Christo*, in quibus consistit verus hujus versiculi sensus. Nam *tres* habentur in eo enunciationes, ubi prædicatum quidem variat, sed subjectum manet idem, quod est Christus, ab humanitate denominatus, dum vocatur filius hominis. Nam 1. *quædam* dicuntur de Christo secundum humanitatem, ut *filius hominis adscendit in cœlum*, per quod exaltatio, non nisi humanæ Christi naturæ competens, notatur. 2. *Quædam* dicuntur de Christo secundum divinitatem, ut *filius hominis descendit de Cœlo*, quâ phrasi juxta nonnullos innuitur incarnatio λόγου, qui de thro-

Tria locutionum genera de Christo.

no majestatis descendit, & se demisit, in terram veniendo & carnem assumendo. Sunt tamen alij, qui per hunc descensum intelligunt exinanitionem humanitatis, quæ usum communicatæ gloriæ ad tempus intermisit, *Phil. 2. v. 7.* sed uterque conjungi potest, sicut & *Bernardus* hujus descensus tres gradus constituit, in Serm. parvis Sermo. 18. *In descendendo*, inquit, *primus quidem gradus est à summo Cœlo usque ad carnem, secundus usque ad crucem, tertius usque ad mortem. Ecce! quousque descendit?* Primus divinitati, duo reliqui humanitati conveniunt.

3. *Quædam* dicuntur de Christo secundum utramque naturam, ut *filius hominis loquens in terrâ simul est in cœlo*, quod de humanitate non minùs verum est, quàm de divinitate, propter τὸν ἀδιάστατον unionis personalis. Hæc enim facit, ut caro cum λόγῳ & in λόγῳ etiam in statu exinanitionis omnibus creaturis adfuerit nullibi exclusa: & sic omnipræsens fuit, quoad indistantiam, licèt non per potentiam, & universale plenumque dominium, quod in statu Exaltationis accessit.

Artificiũ captivandi rationem.

2. *Artificium captivandi rationem.* Fit hoc, si articulo difficili jungamus alium æquè vel etiam magis difficilem. Hunc enim si ratio animadvertat sancta fide credendum esse, nec illum temerè negare perget. Hinc Christus regenerationi junxit mysterium de *Persona Christi*, ut unius sublimitas, alterius possibilitatem ostenderet, vel *ut credibilior fieret fides, ex incredibilioribus creditis*, quemadmodum *Augustinus* loquitur lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 31. Ita si obstrepat ratio: *Quomodo* naturale Christi corpus in cœnâ & mundi

di

di œconomiâ præsens esse potest? Trinitatis mysterium & resurrectionis articulum, aliósq; similes oppone, qui quùm firmâ fide credantur, licèt omnem captum transcendant, ratio paulatim captivabitur, ut illi non attendas amplius, sed cum Prospero fatearis:

Quantò plùs graditur, tantò longinquiùs errat.

Tandem VII. A nostra redemptione, *Sicut Moses exaltavit serpentem, &c.* v. 14. 15. Historia desumta est ex *Num. 21. v. 6 7. 8.* Ubi serpens æneus in medicinam vulneratorum est erectus, qui gessit typum Christi. Nam 1. *Vt* ille veneno caruit, sic Christus dolo. 2. *Vt* Serpens furcæ, sic Christus cruci affixus est, instar vermiculi miserrimi. 3. *Vt* Serpens cupreus fuit & coloris rubri: Sic corpus Christi percussum est, ut largus inde sanguis efflueret. 4. *Vt* homines per intuitum serpentis ænei sanati sunt: ita nos salvamur per fidem in Christum.

7. A nostra redemtione.

Collatio Serpentis ænei & Christi.

Ultimum hoc est divinitatis Christi, & totius Trinitatis testimonium. Non enim serpens ille cupreus sanavit Israelitas, sed Jehovah, qui tentatus fuerat, *Num. 21. vers. 6.* hoc ipsum autem ad Christum accommodatur, *1. Cor 10. v. 9.* Non igitur nudus homo, sed simul verus Jehovah est. Sic in Christi exaltatione vel crucifixione omnes personæ manifestantur. Nam Filius crucifigitur; hoc ipso sedat iram Patris, & meretur nobis salutem, quam Spiritus Sanctus in credentibus velut pignus hæreditatis obsignat.

Et hæc fuerunt illa septem Trinitatis testimonia, quam devoto pectore invocamus, quòd salutarem hanc agnitionem in nobis confirmet atque augeat,

augeat, ut quem intuemur jam in ænigmate, olim videamus de facie, & reipsâ poſſideamus, quod nunc ſpe tenemus, ſemper adorantes benedictam Trinitatem, & canentes cum devotis Seraphim ex Eſa. 6. verſ. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, Alleluja.

EVANGELIUM

DOMINICA I. POST FESTVM TRINITATIS.

Luc. 16. à v. 19. uſque ad fin.

De damnato Epulone, & ſalvato mendicante Lazaro.

V. 19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς.	Porrò Vir quidam dives erat, & amiciebatur byſſo & purpura; & quotidiè ſeſe oblectabat magnificè.	Es war aber ein Reicher Mann / der kleidet ſich mit Purpur vnd köſtlichem Leinwad / vnd lebet alle Tag herrlich vnd in frewdē.
20. πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι Λάζαρος, ὃς ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκωμένος.	Et pauper quidam erat nomine Loozar, & projectus fuerat ad portam illius divitis, quùm eſſet affectus ulceribus.	Es war aber ein Armer mit Namen Lazarus / der lag für ſeiner Thür voller Schweren.
21. καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόν-	Et deſiderabat explere ventrē ſuum ex fragmentis quæ	Vnd begert ſich zu ſettigen von den Broſamē / die von

τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ.

cadebant à mensa divitis illius: sed & canes veniebant, lambentes ulcera ejus.

des Reichen Tische fielen. Doch kamen die Hunde/ vnnd leckten jhm seine Schweren.

22. ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν Ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ· ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη.

Factum est autem, ut moreretur pauper ille: & attulerunt eum Angeli in sinũ Abrohom: quin etiam dives ille mortuus est, ac sepultus.

Es begab sich aber/ das der Arme starb/ vnnd ward getragen von den Engeln in Abrahams Schoß/ der Reiche aber starb auch/ vnnd ward begraben.

23. καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ.

Quúmque torqueretur in infernis, elevavit oculos suos eminùs, vidítque Abrohom & Loozar in sinu ejus.

Als er nun in der Hölle vnnd in der Qual war/ hub er seine Augẽ auff/ vnd sahe Abraham von ferne/ vnnd Lazarum in seinem Schoß/

24. καὶ αὐτὸς φωνήσας εἶπε, Πάτερ Ἀβραάμ, ἐλέησόν με, καὶ πέμψον Λάζαρον, ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου· ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ.

Et clamavit altâ voce, aitque, Pater mi Abrohom, miserere mei, & mitte Loozar ut intingat extremum digitũ suum in aquam & humectet mihi linguam meam: ecce enim crucior in hac flamma.

Rieff/ vñ sprach: Vatter Abraham/ erbarm dich mein/ vnd sende Lazarum das er das äusserste seines Fingers ins Wasser tauche/ vnd kühle meine Zunge/ denn ich leide Pein in dieser Flammen.

25. εἶπε δὲ Ἀβραάμ, τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ Λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά· νῦν δὲ ὅδε παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι.

Dixit ei Abrohom, fili mi, recordare te recepisse dona tua in vita tua & Loozar mala sua: nunc autẽ ecce requiescit hic, tu verò cruciaris.

Abraham aber sprach: Gedencke Sohn/ dz du dein gutes empfangen hast in deinem Leben/ vnd Lazarus dagegen hat böses empfangen/ Nun aber wird er getröstet/ vnnd du wirst gepeiniget.

26. καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν πρὸς ὑμᾶς, μὴ δύνωνται· μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν.

Et cum his omnibus est ingens hiatus positus inter nos & vos, ut ij qui velint transire ad vos, nõ possunt, nec etiam illinc transire ad nos.

Vnd vber das alles ist zwischen vns vñ euch eine grosse Klufft befestiget/ das/ die da wolten von hinnen hinab fahren zu euch/ können nicht/ vnd auch nit von dannen zu vns herüber fahren.

27. εἶπε δὲ, ἐρωτῶ οὖν σε, Πάτερ ἵνα πέμψῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Πατρός μου.

Dixit ei, Ergò efflagito à te, Pater mi, ut eum mittas in domum patris mei:

Da sprach er: So bitte ich dich Vater/ das du jhn sendest in meines Vaters Hauß.

28. ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφούς, ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου.

Sunt enim mihi quinq; fratres: proficiscatur testificaturus eis, ne & ipsi veniant in hunc locum cruciatus.

Denn ich habe noch fünff Brüder das er jhnen bezeuge/ auff das sie nit auch komen an disen Ort der Qual.

29. λέγει αὐτῷ Ἀβραάμ· ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς Προφήτας, ἀκουσάτωσαν αὐτῶν.

Dixit ei Abrohom, habent Mousche & Prophetas: audiant eos.

Abraham sprach zu jhm: Sie haben Mosen vñ die Propheten / laß sie dieselbigen hören.

30. ὁ δὲ εἶπεν· οὐχί, Πάτερ Ἀβραάμ· ἀλλ' ἐάν τις ἀπὸ νεκρῶν πορευθῇ πρὸς αὐτούς, μετανοήσουσιν.

Ille verò dixit, Non Pater mi Abrohō, sed si quispiam ex mortuis proficiscatur ad eos, pœnitentiam acturi sunt.

Er aber sprach: Nein Vatter Abraham / sondern weñ einer von den Todten zu jhnen gienge / so würden sie Busse thun.

31. εἶπε δὲ αὐτῷ, εἰ Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, πεισθήσονται.

Dixit ei Abrohom, si Mousche & Prophetas non audiunt, nec si quispiam ex mortuis surrexerit, credituri sunt ei.

Er sprach zu jm: Hören sie Mosen vñ die Propheten nicht / so werden sie auch nicht glaubẽ / ob jemand von den Todten auffstünde.

Homilia.



DUo sunt genera hominum, in hoc mundo viventium: quidam *divites* sunt, & abundant: quidam *pauperes*, & egent. *Illi* lætantur, & vivunt splẽdidè; *hi* tristantur, & vivunt miserè. Paupertas plerunque comitatur *probos*: opulentia *perversos*. Unde dubium exoritur, quo multi offenduntur: *Cur bonis malè, malis benè sit?* Videtur enim hoc contrarium divinæ *tum* æquitati, secundum quam bonis erat benefaciendum: *tum* veritati, quæ impiis pœnas indicit, *Duo genera hominum.*

piis præmia promittit. Hoc ipſum eſt, quod tantoperè miratur tum Jobus, c. 21. v. 7. *Quare ergò impij vivunt, ſeneſcunt, & confortati ſunt divitiis?* tum Aſaph, Pſalm. 73. v. 12. *Ecce impij felices ſunt in ſeculo, obtinuerunt divitias. Et dixit: Ergo ſine cauſa mundavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas?* tum Jeremias, cap. 12. v. 1. *Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt?*

Summa Evangelij. Quæſtionis verò hujus enodatio proponitur in *hodierno Evangelio*, ubi παραδειγματικῶς oſtenditur, divites quidem hîc eſſe hilares, non tamen beatos: pauperes contrà non eſſe hilares, attamen beatos, juxta illud Luc. 6. v. 20. *Beati pauperes.* Audimus enim de *epulone divite*, quòd in vitâ quidem à multis ſit honoratus, ſed in morte abjectus; poſt mortem condemnatus, ut ita *benè* ipſi fuerit duntaxat quoad ſenſum, & ad tempus, ſed *malè* quoad rem ipſam & exitum, quia extrema gaudij luctus occupat, *Proverb.* 14. *v.* 13. Audimus inſuper de *Lazaro mendico*, quòd in vita ſpretus, ſed in morte honoratus, poſt mortem ſalvatus ſit, ut ita *malè* ipſi fuerit, juxta opinionem vulgi, ſed *bene reipsâ* & propter felicem Cataſtrophen. Qui enim ſeminant in lacrymis, cum exultatione metent, *Pſalm.* 126. *v.* 5.

Praxis Evangelij. Eſt igitur hoc Evangelium ex præcipuis unum, & diligenter conſiderandum. Per hoc enim admonentur divites, ne ſuperbiant; eriguntur pauperes, ne deſperent. Opulentia plerumque extollit, paupertas deprimit: unde divites modum excedunt in luxu, pauperes in luctu. Utrique vitio aptiſſimum hîc remedium paratur. Lurco enim

nim damnatus, timorem in divitibus: Lazarus vero salvatus, fiduciam in pauperibus accendit. Superbire noli, *ô homo*, ne demergaris cum divite in infernum: desperare noli, ut cum Lazaro porteris in sinum Abrahæ. Patiendum hîc aliquid est, quia per angusta ad augusta tenditur. Lazarus tamen non semper mendicus manet: post mortem solatio fruitur, quùm dives interim crucietur. Ut enim inæquales sunt ante mortem, sic & post mortem.

Quod ipsum Thema quùm principaliter tractetur in hodierno Evangelio, nos etiam istud paulò fusiùs explicabimus, dicturi de *præcipuo inter epulonem divitem, & Lazarum mendicum discrimine*; Quod ut cedat in correctionem divitibus, in solatium pauperibus, faxit Deus divitum Dominus, pauperum patronus, per Christum Jesum Salvatorem nostrum, Amen.

Thematis Evolutio.

TRia inprimis sunt, quę ad descriptionem hominis pertinent. 1 *Ratio vitæ*, 2. *Genus mortis*, 3. *Status post mortem*. In omnibus tribus magna occurrit differentia, quoad divitem epulonem & Lazarum mendicum, quam inæqualitatem paucis considerabimus. *Discrimen inter epulonem & Lazarum consistit*

Primum discrimen consistit in vitæ curriculo. Aliam enim vitam egit dives: aliam Lazarus. Utrumque videbimus seorsum. *1. In vita curriculo.*

In descriptione divitis 6. veniunt observanda. 1. Nominis proprij silentium. Vocatur enim in genere *homo quidam*, suppresso nomine proprio. Hæc piorum dignitas est, quòd ipsorum *Circa divitē notetur 1. Nominis proprij occultatio.*

 nomi-

nomina sunt scripta in cœlo, *Luc.10.v.20.* & libro vitæ, *Phil. 4. v. 3.* ideoque vocantur nominatim, *Ioh. 10. v. 3. Esa. 43. v. 3.* & agnoscuntur à Deo, *Psal. 1. v. ult. 2. Tim. 2. v. 19.* Sed impij cum justis non scribuntur, *Psal. 69. v. 29.* adeò ut Dominus ipsos se novisse perneget, *Matth. 7. v. 23. cap. 25. v. 41.* Gratiæ signum est, si princeps subditum suo vocet nomine: sed inclementiæ, si illud ne quidem audire velit. Ita lætentur pij, quòd sua nomina in libro Dei consignata sciunt. Spernant nos mali, rideat mundus: Gaudebimus tamen, quia nomina nostra in cœlo adscripta novimus.

2. Divitiæ.

2. Divitiæ. *Homo quidam erat dives.* Per se non damnant divitiæ, quia veniunt à benedictione Domini, *Prov.10.v.22.* ut nota sunt exempla Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Davidis, & aliorũ, opibus abundantium, qui nihilominus Deo placuerunt. Ut enim in omnibus, sic & quoad opes.

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

Utendum est divitiis 1. *ad* ministerij alimoniam, 2. *ad* Reipub. conservationem, 3. *ad* sui suorũmque sustentationem, & 4. *ad* pauperum sublevationem. Sunt autem divitiæ perniciosæ & damnabiles, si quis eas malè acquirat, retineat, expendat. *Ob* iniquam acquisitionem damnatur dives ut fur: *Ob* tenacem possessionem, ut avarus: *Ob* illegitimam usurpationem, ut prodigus: omnibus modis peccavit noster epulo. Fuit *iniquus*, si non ipse in acquirendo, sine dubio tamen extitit iniqui hæres. In possidendo fuit tenax erga pauperes. In usurpatione privatâ fuit prodigus, adeoq; ex illorum divitum numero, qui Deo nolunt obedire, *Ioh. 21. v. 14.* sed ventrem pro Deo habent,

Phil. 3. *v.* 19. quibus væ annunciatum est, *Luc.* 6. *v.* 24. Væ vobis divitibus, quia *habetis consolationem vestram.*

3. Amictus. *Induebatur purpurâ & bysso.* Vestes procul dubio fuerunt pretiosissimæ, & prorsus regiæ, de quo vide *Plinium*, qui describit purpuram *lib.* 9. *Nat. hist. cap* 36. & byssum *lib.* 9. *cap.* 1. Taxatur ergo in hoc divite inprimis superbia & luxus immodicus, quòd vestimentis usus sit statui suo minimè convenientibus: in quo ipso multos post se fratres passim reliquit. Non quidem culpatur elegantia vestitus, nec probatur superstitio Eremitarum ac Monachorum, sed tantùm moderatio quædam requiritur, nimirum ne vestes sint 1. *Nimis preciosæ*, & tantùm ad ostentationem comparatæ. Erubescant, qui de vestibus gloriantur: Signum sunt perditæ integritatis, & contractæ miseriæ. In statu enim felici parentes nostri incedebant nudi, *Genes.* 2. *vers. ult.* Nunc vestibus egemus in signum peccati, & probrosæ nuditatis; ideoque vestes jactare, est de reatu & miseriâ gloriari, quod stolidum: 2. *Ne sint nimis curiosæ*, hoc est, mirabiliter fenestratæ, fimbriatæ & segmentatæ, quia hoc levitatis est indicium. 3. *Ne sint nimis copiosæ*, ut subinde mutentur. Necessitati enim serviunt vestes, non luxui. Et turpe est cistas vestibus replere, Christum verò in pauperibus nudum relinquere, quò spectat istud Hieronymi: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessitatem sibi retinere comprobatur.* 4. *Ne sint prorsus indecentes*, sed respiciant ordinem & statum personæ. Non enim decet habitu militari incedere pastorem, non veste re-

3. Amictus.

Vestes non sint nimis preciosæ.

Curiosæ

Copiosæ.

Indecentes.

gali rusticum. Nisi autem observentur hi limites, in vestitu graviter peccatur, à quo vitio dehortari nos voluit Syracides, cap. 10. v. 10. *Quid superbit terra & cinis?* Nec non cap. 11. v. 4. *In vestitu tuo ne glorieris unquã, nec in die honoris tui extollaris.*

4. Victus.

4. Victus. *Epulabatur quotidiè splendidè.* Notantur omnis generis deliciæ, quas in cibo, potu, musica & similibus quæsivit. Fuit enim ex eorum numero, qui consurgunt manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad vesperam, *Esa. 5. v. 11.* Grande hoc peccatum est, quo ut nullum frequentius, ita vix aliud nocentius. Est enim diaboli *fovea* ad præcipitandum: *laqueus* ad capiendum: *hamus* ad decipiendum: *venenum* ad toxicandum: *gladius* ad occidendum. Homines bestiis reddit similes, dum recto rationis usu spoliãtur: Omnes honestas actiones impedit, judicio privat, cor aufert, *Ose. 4. v. 11.* omnes animæ potentias contaminat, corpus corrumpit, famam & existimationem lædit, bona fortunæ destruit, tandemq; dolorem concitat, & in abyssum damnationis præcipitat. Sunt voluptates medicorum pillulis non absimiles, quæ extrinsecùs auro & saccaro obductæ, intrinsecùs sunt amarissimæ. Hinc Gregorius rectè: *In voluptatibus pro unâ guttulâ dulcedinis, invenitur abundantia amaritudinis.* Paucitas est mellis, sed magna quantitas fellis. Momentaneum est, quod delectat, sed æternum, quod cruciat.

5. Immisericordia.

5. Immisericordia. Lazarum enim ante fores jacentem non respicit, clamantem non audit, petenti nîl erogat. *O infelicißime hominum,* exclamat

clamat Chryſoſtomus, *mortem corporis tui vides jacere ante januam, & non misereris?* Non multi, ſed unicus eleemoſynam flagitabat, qui non tantùm pauper, ſed inſuper ulceroſus, pergere ad alios non poterat, ob corporis ægritudinem, ideoq; *jacuiſſe* dicitur. Nec petebat multum, ſed duntaxat micas de menſa cadentes. Et erat hæc infelicitas tanta, ut etiam canes moveret ad lingendum ulcera. Neque tamen commovetur crudelis epulo. Irrationales canes porrigunt linguas; & ipſe micas ſuperfluas denegat? quâ immiſericordiâ vix major nominari poteſt. Nos autem iſtud Chriſti cogitemus, Luc. 6. v. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Invitare vos debet (1) *Mandati divini ſeveritas*, quod extat Eſa. 58. v. 7. Syrac. 11. v. 26. Tob. 4. verſ. 9. 17. Jacob. 2. v. 15. (2) *Naturæ conformitas.* Omnes enim unum Patrem habemus, in una mundi domo vivimus, ideoque alter alteri meritò ſuccurrat, juxta Eſa. 58. verſ. 7. *Carnem tuam ne deſpexeris.* (3) *Spiritualis unitas.* Omnes unus ſumus in Chriſto, *Epheſ. 4. verſ.* 4. & ejusdem corporis membra, *1. Cor. 10. v.* 17. Membrum autem membro compati oportet, ut *1. Cor. 12. v. 26.* innuitur. (4) *Propria neceſſitas.* Omnes indigemus miſericordiâ: Ergò & illi ſtudeamus, ne dicatur nobis ex Matth. 18. verſ. 32. *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogâſti me: Nonne ergò oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* (5) *Miſericordiæ divinæ immenſitas.* Deus illuſtri nobis exemplo præivit, ut ſequamur: noſtri miſertus eſt, ut viciſſim aliorum miſereamur. Qui ergò miſericordiam non exercet, Dei

Argumenta miſericordiam ſuadentia.

filius non eſt; quippe qui Pater miſericordiarum, *2. Cor. 1. v. 3.* dicitur. (6) *Miſericordiæ utilitas.* Nam quod proximo facimus, Deus ſibi fieri exiſtimat, *Matth. 10. v 40.* ideoq; largiter compenſat, *Proverb. 22. v. 9.* & in extremo die prædicabit, *Matth. 25. v 40.* Rectè igitur Auguſtinus: *Nemo dicat quòd pauperi aliquid præſtat: Sibi enim plus præſtat, quàm pauperi.*

6. Incredulitas. Tandem 6. Incredulitas. Quia enim cor apposuit divitiis, propterea Deum Deique verbum nîl curavit. Patet hoc ex colloquio cum Abrahamo. Hic enim quum Moſen & Prophetas audiri vellet, contemſit eos, & revelationes petiit. Impietatis hoc ſignum eſt, à verbo recedere, & nova media quærere, quum tamen alligati ſimus ad legem & teſtimonium, *Eſa. 8. v. 20.*

Ita igitur videmus, quæ & quanta in hoc divite peccata concurrant Fuit *ſuperbia* in amictu, *crapula* in victu, *immiſericordia* erga pauperes, *impietas* in Deum, & acceſſit tandem *impœnitentia*, inque peccatis his omnibus perſeverantia, quæ ſingula damnationem æternam merentur, nedum conjuncta.

Quoad Lazarũ quatuor ſunt conſideranda. 1. Nomen. Porrò autem quod Perſonam alteram concernit, quatuor obſervanda veniunt. 1. Expreſſum nomen. Vocatur enim *Lazarus*, quod ſignificat, *Dominus ferat tibi opem*, Gott helffe dir/ Gott berahte dich / ab עזר id eſt, adjuvit. Deſpectus quidem fuit apud homines, ſed acceptus Deo, qui proprio ipſum nomine appellare non dedignatur. Nam *Chriſtianus mundo inviſus, Deo eſt charus,* dixit Ignatius. Fuit ergò hic Lazarus

Ecclesiæ typus, quæ ſimiliter jacet ante fores divitum, ut *Pharaonis* in Ægypto, *NebucadNezaris* in Babylone, *Pontificis & Turcæ* noſtro tempore. Hinc ridetur, ſæpiusq; contemnitur, & licet multis indigeat, ab hominibus tamen auxilium non impetrat, interim Deum pro auditorio ſuo agnoſcit, unde verba Pſalm. 13. ex v. 6. hodiè decantat: *Ego in miſericordia tua ſperavi, exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino, quoniam bona tribuit mihi.*

II. Paupertas. Caruit enim divitiis, quia *mendicus* nominatur; caruit honoribus, quia jacuit ante fores divitis: caruit deliciis, quia tantùm micis ſaturari voluit. Ab omnibus erat deſertus: Non parentes, non conſanguinei, non alii ipſum adjuvabant; unde ſub dio jacebat in terra. Soli canes accedunt, ſuisque linguis ſubveniunt. Speculum h. e. miſeriæ humanæ. Nos enim omnes hujuſmodi ſumus Lazari naturâ. Olim eramus divites in Paradiſo: ſed nunc expulſi ſumus ob lapſum, facti pauperes, & exuti juſtitiâ originali. Hinc circumvagamur, nec fixa ſedes hîc datur. Sub cœlo jacemus: nondum cœlum poſſidemus. Interim ſi fores Dei precibus continuis pulſentur, tandem aperiet, & miſericordiæ faciem ſuper nos attollet, juxta promiſſiones, *Pſal. 103. v. 13. Matth. 7. v. 7. Luc. 18 v. 6 &c.* *2. Paupertas.*

III. Aegritudo corporis. Erat enim ulceribus plenus, ut omnia membra languerent. Manus, pedes, totũq; corp⁹ defecerat, ut abſq; dolore, nec ſtare, nec ſedere, nec jacere poſſet. Pertinet hoc quoq; ad miſeriã humanã. Nõ tãtũ *mendici* *3. Aegritudo.*

dici ſumus, ob privationem imaginis divinæ: ſed ſimul *ægri*, ob corruptionem totius naturæ. Accepimus ulcera & vulnera in omnibus potentiis, quorum Veteres 4. inprimis numerant 1. *Ignorantiam*, in mente, 2. *Malitiam*, in voluntate, 3. *Concupiſcentiam*, in appetitu ἐπιθυμητικῷ, 4. *Infirmitatem*, in θυμικῷ. Accedunt quoque mala corporis, varii morbi, & alia infortunia. Sed in his omnibus ſolatium habemus: ſi maximè deſeramur ab hominibus, non tamen deſeremur à Deo. Habet ille creaturas multas, quas, ut hominum loco nobis ſerviant, emittit, ut exemplo canum lingentium hîc patet. Sic Eliæ profugo corvi cibum attulerunt, 1. *Reg.* 17. Urſi duos & quadraginta pueros Eliſæo illudentes diſciderunt, 2. *Reg.* 2. Leones Danieli in foſsâ pepercerunt, *Dan.* 6. Balæna Jonam in ventrem ſuum, tanquam in aſylum recepit: *Ion.* 2. Piſcis ſtateram Petro attulit, *Matth.* 17. Feræ immanes in theatro productæ adverſus martyres, eos inoffenſos ſiverunt. Capreæ & cervi cognatis Baſilii in deſerta Cappadociæ ob perſecutiones fugientibus, & extremâ paupertate preſſis, ſeſe ultrò capiendos & mactandos obtulerunt. Sic res inanimatæ nonnunquam opem ferunt fidelibus: Mare viam aperuit Iſraelitis, & ſuffocavit Ægyptios: cœlum Manna pluit in deſerto: petra aquam effudit: venti coturnices congregârunt: Sonus tubarum muros Hierichunticos dejecit: Stellæ contra Siſeram dimicârunt: Maxilla Aſini aquam præbuit Samſoni. Ignis inimicos Eliæ ultus eſt, & ipſum in cœlum evexit: Venti Theodoſio bellum gerenti adfuerunt, & tanquam milites ſtrenui hoſtes in

Quatuor vulnera poſt lapsũ.

fugam conjecerunt. Ita nimirum Deus in mediis afflictionibus juvat fideles, ut solatium semper sentiant, ne sub onere crucis planè concidant.

Tandem IV. Virtutes. Quamvis enim caruerit divitiis, plenus tamen fuit virtutibus, quas tanquam speculum intueri, & velut exemplar imitari deberent omnes pauperes. Emicat ex ipso 1. *Vera Pietas*, quia Deum coluit, & in illo spem omnem collocavit, uti nomen idipsum innuit. 2. *Agnitio Christi*; qui & ipse pauper venit in mundum, ut nos ditaret 2. *Cor.* 8. *v.* 9. In hunc procul dubio constanter credidit, quia salvatus est, quod non fit, nisi fide; *Ioh.* 3. *v.* 18. *Marc.* 16. *v.* 19. *Hebr.* 11. *v.* 6. &c. 3. αὐτάρκεια, quia solis micis contentus esse vult, nec fercula opima postulat. 4. *Patientia*, quia non est invidus, non murmurat adversus Deum & proximum, non convitia spargit in divitem, sed æquè fert injurias, & expectat liberationem, possidens animam suam in patientia: quas virtutes singuli pauperes imitari & exercere debent. *4. Virtutes*

Atque hæc fuit illa dispar conditio & vita tum divitis Epulonis, tum mendici Lazari, quam etiam insecutus est diversus exitus.

Secundum autem discrimen consistit in mortis periculo, cui quidem uterque subjectus fuit, sed diversimodè. Nam pauper in meliorem, dives in deteriorem statum pervenit. In morte 1. *Pauper præponitur*, quum antè dives fuerit primùm descriptus. 2. *Portatur animula ejus ab Angelis*, & particeps fit æternæ beatitudinis, quum contrà divitis anima à diabolis præcipitetur in infernum. *2. In mortis periculo.*

Unde

Unde oritur diſcrimen tertium, quod conſiſtit in alterius vitæ habitaculo. Nam dives cruciatur in inferno, pauper exultat in Paradiſo, qui vocatur *ſinus*, ob requiem; ſinus *Abrahæ*, ob promiſſionem ipſi datam, & quia Pater eſt omnium credentium, *Rom.4.v.12* De his verò alio tempore dicetur fuſiùs. Nos finem facturi, Deum rogamus, ut pauperibus tribuat patientiam, divitibus miſericordiam, nobis omnibus animum Lazari, non Epulonis, ut ex hoc mundo infideli per fidem conſtantem transferamur olim in Abrahæ ſinum, & æternâ beatitudine læti perfruamur, Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA II. POST FESTUM TRINITATIS.

Luc. 14. à v. 16. uſque ad 25.

De Cœnâ Magnâ.

v.16. Ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον μέγα, καὶ ἐκάλεσε πολλούς.

Vir quidam fecit cœnā magnam, & convocavit multos.

Es war ein Menſch / der machte ein groß Abendmal / vnnd lud viel dazu

17. καὶ ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις, ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα.

Miſitque ſervum ſuum tempore cœnæ, ut diceret iis qui convocati erant, Ecce omnia parata ſunt vobis; venite.

Vnd ſandte ſeine Knecht auß zur ſtunde deß Abendmals / zu ſagen den geladenen / kommet / denn es iſt alles bereitet.

καὶ

18. καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες. ὁ πρῶτος εἶπεν αὐτῷ, ἀγρὸν ἠγόρασα, καὶ ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν καὶ ἰδεῖν αὐτόν, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.

Et cœperunt ab uno omnes ſe excuſare. Dixit ei primus, villam emi, & conſtringor exire eam viſurus: peto à te, concede mihi ut ſim excuſatus.

Vnd ſie fiengen an alle nacheinander ſich zu entſchuldigen. Der erſte ſprach zu jhm: Jch habe einē Acker gekaufft/vn muß hinauß gehen / vñ jhn beſehen / Jch bitte dich entſchuldige mich.

19. καὶ ἕτερος εἶπε, ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε, καὶ πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά. ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.

Alter dixit, quinque juga boum emi, & vado probatum eos. Peto à te, concede mihi ut ſim excuſatus.

Vnd der ander ſprach: Jch habe fünff Joch Ochſen gekaufft/ vñ ich gehe jetzt hin ſie zu beſehen/ ich bitte dich entſchuldige mich.

20. καὶ ἕτερος εἶπε, γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖν.

Alius dixit, uxorem duxi, & proptereà non poſſum venire.

Vnd der dritte ſprach: Jch habe ein Weib genommen / darumb kan ich nicht kommen.

21. καὶ παραγενόμενος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἀπήγγειλε τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ταῦτα. τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης εἶπε τῷ δούλῳ αὐτοῦ, ἔξελθε ταχέως εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως. καὶ τοὺς πτωχούς, καὶ ἀναπήρους, καὶ

Venit itaq; ſervus ille, & hæc renũciavit Domino ſuo. Tunc excanduit Dominus domus, dixitq; ſervo ſuo, exi citò in plateas & vicos urbis, hucq; introducito pauperes & dolore

Vnd der Knecht kam/vnd ſaget das ſeinem Herren wider. Da ward der Haußherr zornig/ vnd ſprach zu ſeinem Knechte: Gehe auß bald auff die Straſſen vñ Gaſſen der Statt/vnd

χωλούς,

χωλοὺς, καὶ τυφλοὺς εἰσάγαγε ὧδε.	affectos, claudosq; & cœcos.	führe die Armen vnd Krüppel vnd Lahmen vnd Blinden herein.
22. καὶ εἶπεν ὁ δοῦλος, κύριε γέγονεν ὡς ἐπέταξας, καὶ ἔτι τόπος ἐστί.	Et ait servus, Domine mi, factũ est ut præcepisti; & adhuc est locus.	Vnd der Knecht sprach: Herr/ es ist geschehen / was du befohlen hast / Es ist aber noch raum da.
23. καὶ εἶπεν ὁ κύριος πρὸς τὸν δοῦλον, ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμοὺς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἰκός μου.	Et dixit Dominus servo suo, Exi in vias & sepes, & coge intrare, ut impleatur domus mea.	Vnnd der Herr sprach zu dem Knechte: Gehe auß auff die Landstrassen/vnd an die zeune / vnd nötige sie herein zu kommen/ auff dz mein hauß voll werde.
24. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῶν κεκλημένων γεύσεταί μου τοῦ δείπνου.	Dico enim vobis, ne unũ quidem ex iis hominibus qui vocati fuerant, gustaturum ex cœnâ meâ.	Ich sage euch aber : Das der Männer keiner/die geladen sind/ mein Abendmal schmecken wird.

Homilia.



Onitatem DEI, quum consideraret Psaltes, exclamavit Psal. 34. v. 9. *Gustate & videte, quàm suavis est Dominus!* Verè suavis est, quia fecit nobis magna, *Lucæ* 1. *vers* 48. & tot exhibuit beneficia, ut meritò cum Augustino dicamus:

mus: *Dei misericordia major est quàm omnium hominum miseria.* Hæc verò bonitas ut gustari à nobis possit, Deus eam testatam fecit (1.) *Verbis suavißimis*, qualia leguntur, Exod. 34. vers. 6. 2. Paral. 30. vers. 9. Psalm. 107. vers. 1. Prov. 8. v. 38. Esa. 49. vers. 14. 15. Jerem. 31. vers. 20. Oseæ. 11. v. 8. (2) *Operibus variis*, cujusmodi sunt creatio, redemtio, sanctificatio, & quæ illis annexa. (3) *Notabilibus exemplis* Nam misericordiam Dei experti sunt parentes primi, *Genes. 3. vers. 15.* Israelitæ in deserto, *Exod. 32. vers. 14.* David adulter, 2. *Samuel. 12 vers. 3.* Petrus abnegator, *Matth. 26 v ult.* Paulus persecutor, *Act 9. v. 1. & seqq.* latro in cruce, *Luc. 23 v 42.* Magdalena meretrix, *Luc. 7. v ult* Publicani, *Luc. 15. v.* 1. & alii. (4) *Similitudinibus pulcris*, Se enim comparat Pastori, *Psal 23. v 1. Ioh. 10 v 11.* Sponso, *Ierem 3 vers. 4. Ose. 2 v. 19.* Patri, *Psal. 103 v. 13 Matth. 23. v 9.* Matri. *Esa. 66 v. 13.* Medico, *Exod 15. v 20* muro igneo, *Zach. 2. v. 5.* Tandem (5) *jucundis parabolis*, quales leguntur de cura naviculæ *Matth. 8. v 26.* de agricultura spirituali, *Matth 13. v. 24.* de gratuita debiti remissione, *Matth 18 v. 24.* de vinea *Matth. 20. v. 1.* de muliere drachmam quærente *Luc 15 v. 8.* de patre filium prodigum recipiente, *v. 12. &c.*

Inter omnes verò excellit præsens Parabola; quâ Dei bonitas luculenter spectanda, imò gustanda proponitur. Hospiti enim cœnam magnam paranti comparatur, in qua suavissima fercula apponuntur, & ad quam omnes vocantur. Emittit ministros suos, blandéque universos ac singulos invitat, siquidem omnes audiunt suavissimam vocantis vocem: *Venite quia jam jam* *Summa Evangelij.*

parata sunt omnia. Jure igitur cum Psalte hic exclamamus: *Gustate & videte, quàm suavis est Dominus?*

Sed quales se præbent homines ad tantam tanti hospitis clementiam: Dedecus est referre. Non enim veniunt, gustare nolunt, cœnam Domini contemnunt, seque argumentis planè frivolis excusant. O ingratos propriæque salutis immemores! Quibus ne annumeremur, præsens Evangeliũ studiosè considerabimus: Quumque ejus summa contineatur Imperativó unicó *Venite*, præceptum hoc inprimis urgebimus, dicturi de *caußis, quæ ad veniendum cœnamque Domini gustandam quemvis extimulare possunt & debent*. Deus qui paravit cœnam, præparet quoque corda nostra, ut attentè audiamus, & cœnam ejus avidè gustemus, Amen.

Propositio.

TRACTATIO.

Cur Deus Pater nominetur homo.

PRima hujus Parabolæ verba sunt, *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Per hominem istum non nisi Deus Pater intelligitur, qui homo nominatur, non ratione essentiæ, sed 1. παραβολικῶς, 2. *quia* hominem ad suam imaginem creavit, ideoque nomen ejus assumit, 3. *quia* Spiritum sanctum immittit cordibus nostris, per quẽ inserimur divinitati, ut Deus sit in nobis, & nos in Deo, 4. *quia* humanum & paternum planè animum erga nos gerit. Hæc ipsa igitur appellatio statim indicat misericordiam DEI, quæ nostræ naturæ nomen sibi attribuit, qui nos ita diligit, ac si eandem cum ipso essentiam haberemus, qui filium misit, ut esset Deus & homo in

in una persona. Si ergò DEUS in nobis, quis contra nos? DEUS homo est: Et nos homines sumus, quis nocere queat? quid est cur trepidemus? caro nostra & sanguis noster in cœlo residet: patrem habemus, hominis titulo gaudentem, & humaniter erga homines affectum. Huic ergò si fidamus, non confundemur in æternum.

Porrò hic homo *Cœnam magnam* fecisse dicitur, quæ non est vulgaris sed cœlestis: non mundana, sed mystica & quidem gemina, ut Patres exponunt. (1) *Cœna gratiæ*, quæ celebratur in terris, & notatur concio Evangelii, de gratuitâ peccatorum veniâ, & beneficiis Christi tàm positivis quàm privativis, Matth. 22. v. 1. comparatur *convivio nuptiali*, à quo indignus quidam ejectus est, unde patet, ad Ecclesiam in terris militantem respici, à qua multi deficiunt. Evangelium verò *cœna* dicitur, *tum* ob animarum refectionem, *tum* ob serotinam revelationem. Ut enim cœna instituitur vesperi, sic Evangelium prædicatum est circa finem mundi, 1. *Cor.* 10. *v.* 11. *Ioh.* 2. *v.* 18. *&c.* (2) *Cœna gloriæ*, quæ celebrabitur in cœlis, & notatur æterna beatitudo, fidelibus promissa, de qua *Apoc.* 19. *v.* 7. 9.

Cœna Dei duplex: Gratiæ.

Et gloriæ.

Hanc gloriæ cœnam Christus inprimis intelligit, uti docet occasio hujus Parabolæ, per Pharisæum quendam data, qui de pane in regno Dei manducando sermonem facit, *v.* 15. Hinc Tertullianus inquit: *Cœnæ paratura vitæ æternæ saturitatem figurat.* Hæc enim nominatur cœna 1. *quia* in fine omnium dierum instituetur, 2. *quia* lautissima fercula proponentur, 3. *quia* post eâ nulla

amplius mensa struetur. Qui ergò semel neglèxerit, æternum esurire cogetur. Et hanc ob caussam quotidiè servos emittit Deus, ut maturè omnes vocentur, & ad veniendum se præparent. Quia verò cor humanum ex innatâ malitiâ terrestres voluptates plus amat, quàm cœnam cœlestem, argumenta proferenda & caussæ allegandæ sunt, quæ ad veniendum nos instigent, & à curis secularibus abducant. Multæ illarum afferri possent, sed paucis pro tempore contenti erimus. Nos ergò excitet

Causæ cur veniendũ & properãdũ ad cœnam Dei.

1. Hospitis invitantis bonitas.

I. Hospitis invitantis bonitas. Austerum difficulter, sed clementem lubenter accedimus. Deus verò clementissimus & summè bonus, imò ipsa bonitas est, *Matth. 9. v. 17.* Quis igitur ad ipsum non properaret? Indicat hanc bonitatem suam,

Quæ claret

Ex nominis humani assumtione.

1. *Per nominis humani assumtionem.* Hominem se vocat, ut nos homines lubentius veniamus. Si Satanas objiciat? *Miser & abjectus homo es:* Responde, In cœlis alium scio hominem esse, qui homines amat, & pro hominibus cœnam parat. Quia igitur & ego sum homo, utique & me amat vocatq;. Veniam ergò, ut reficiat & æterno gaudio fruar.

Cœnæ præparatione.

2. *Per gratuitam cœnæ præparationem.* Nos peccatis sumus corrupti, ut cœnam adeò preciosam, nec parare, nec mereri, nec emere valeamus. Solus Deus est, qui ex gratia nobis mensam præparat, *Psal. 23. v. 5.* & convivium pinguium, *Esa. 25. v. 6.* In papatu venia & cœlum promittitur, sed per interveniens precium. Unde olim de Cu-

ria

ria Romana dictum, *Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.*

Sed longè aliter Deus ergà nos animatus est. Non requirit precium vel meritum: Gratis offert, & nil nisi Adventum desiderat. Gratiâ enim salvamur per fidem, & hoc non ex nobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, *Eph. 2.v.8.9.* Venite igitur omnes sitientes, venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: Venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum & lac, *Esa.55. v.1. & seqq.*

3. *Per blandam invitationem.* Non enim absoluto decreto quosdam rejicit, sed omnes vocat, & venire vult, cujus vocationis tria tempora insinuantur 1. *Ante Christum*, quod notatur vocula ἐποίησε *paravit.* In V. enim Testamento nil nisi apparatus fuit & παρασκευή, per varios typos ad futuram incarnationem Christi. Hinc dicitur: *Vocavit multos.* Non enim ex omni populo collecta fuit Ecclesia ordinariè, sed ex Judæis, qui per illos multos intelliguntur. 2. *Sub Christo:* Et misit *servum suum.* Non inquit, *Servos* in plurali, sed δοῦλον αὐτοῦ in singulari, notans *Messiam*, quē solum audire debemus, *Matth.17.v.5.* Hinc missus est ipsâ cœnæ horâ, hoc est, postremo mundi tempore, *Hebr.1.v.2.* Hic universos vocavit, quum dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,* Matth.11.v.28. Tandem 3. Tempus *post Christum*, ubi in plateas, & vicos emissi sunt ministri, & vocati gentiles per Apostolos & doctores varios, quos etiamnum Deus ablegat, ut nos invitent, & ad cœnam manuducant. Tam blandè igitur, &

Et blanda invitatione.

Ante Christum.

Sub Christo.

Post Christum.

tàm amicè vocanti Deo quis non obtemperet? Ecce, expectat ipse, ut nostri misereatur, *Esa. 30. v. 18.* expandit manus suas totâ die, *Esa. 65. v. 2.* extollit vocem & hortatur ad pœnitentiam, *Esa. 1. vers. 19. Ierem. 3. v. 12. Ezech. 18. v. 30.* Quis tàm demens & ingratus esset, ut emanere vellet? Haman gloriatur coram domesticis, quòd solus cum Rege ad mensam reginæ vocatus esset, *Esth. 5. v. 12.* Sed quid Esthera ad Deum, qui est Dominus dominantium, coram quo multa millia millium stant & ministrant? Quare nos magis gloriemur, quòd ad mensam tanti, & tàm mitis Domini vocemur, ad quam venire felicitas, quam spernere, summa miseria est.

2. Cœnæ amplitudo & dignitas.

II. Cœnæ amplitudo & dignitas. Appellatur enim *cœna magna*, cui nulla comparari potest alia. Pomposum fuit convivium Absalonis, 2. *Sam. 13. vers. 24.* Ahasveri, *Esth. 1. vers. 3.* Belsazeris, *Dan. 5. v. 1.* Sed nihil sunt, si cum hac cœna conferantur.

Nam magna est.

Ob hospitis majestatem.

Magna ea est 1. *Ob hospitis majestatem.* Hic ipse Deus est, cujus potentia infinita, cujus opulentia inexhausta, cujus majestas æterna. Quàm lautam igitur & splendidam cœnam parabit hic Dominus? Quis non accederet vel ad solam hospitis majestatem spectandam? Regina Sabæ venit ad Salomonis sapientiam audiendam, & beatos prædicavit servos, coram ipso stantes, 1. *Reg. 10. vers. 1. 8.* Sed, ecce! hîc plus est quàm Salomon: Eò igitur libentius veniamus. David exultabat, quum templum Domini esset ingressurus, *Ps. 122. v. 1.* Quantò magis lætemur, quòd in cœleste palatium ad cœnam invitemur; Petrus in monte

Thabor

Thabor videns aliquam gloriæ cœlestis ideam, mox exclamat: *Domine bonum est hîc esse: Faciamus tria tabernacula*, Matth. 17. v. 4. Si tantum fuit Petri gaudium in monte, visâ majestatis divinæ particulâ; quantum erit nostrum in cœlo, ubi cum Deo copulabimur, & de facie ad faciem ipsum intuebimur? O amici mei, venite, venite inquam, properemus ipsi in occursum, ne tantâ lætitiâ & gloriâ privemur.

2. *Ob loci nobilitatem.* Non in terrâ celebrabitur hæc cœna, sed in cœlo, quod domicilium est & capacissimum & splendidissimum. Aspice creatos cœlos. Terra vix instar punctuli est ad ipsos, quippe quam solum corpus solare magnitudine superat aliquoties. Si tantum est cœlum stellatum, quantum erit beatorum? Miramur insuper pulcritudinem cœli, & stellas formosissimas. Verùm hæc nihil sunt ad sedem beatorum. Tanta hujus est majestas, ut efferri nequeat, 1. *Cor.* 2. *v.* 9. Adumbratur solummodò *Apoc.* 21. & tamen ita movemur istâ descriptione, ut quivis cum matre Augustini optet, dicatq; : *Evolemus hinc.* Refert *Plinius* 7. mirabilia mundi: 1. Muros Babylonis. 2. Dianæ Ephesinæ templum. 3. Jovis Olympici simulacrum. 4. Pyramides Ægyptias. 5. Solis Colossum in Rhodo, 6. Mausoli sepulcrum. 7. Syri domum regiam: quæ omnia, quis est, qui non lubenter aspexisset? Sed meræ vanitates sunt, si cum cœlo compares, in quo cœna nobis præparatur. Augustini votum inter alia fuit, *Romam videre in flore*: Nostrùm votum sit, cœlum videre; quod fiet, si promto animo ad magnam Domini cœnam properemus.

Ob loci nobilitatem.

Ob convivarum excellentiam

3. *Ob Convivarum excellentiam.* Si Romanus Imp. cum Electoribus accumbat, quivis pompam istam duntaxat aspectare desiderat, & multi ex peregrinis oris ad spectaculum hoc advolant. Quanta igitur erit majestas in cœlo, quum magna isthæc cœna celebrabitur? Assidebit ibi summus cœli terræque Imperator, Deus noster essentiâ unus, personis trinus. Aderunt cœlestes Cherubin & Seraphin, omnesque Dei exercitus. Accumbent sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli. Associabimur beatis omnibus, qui sunt Principes, Reges, *Apoc.* 1. *v.* 6. qui fulgent quasi splendor firmamenti. *Daniel.* 12 *v.* 3. *Matth.* 13. *v.* 43 & sunt ἰσάγγελοι, *Matth.* 2.. *v.* 30. O beatum & exoptatum consortium, cui interesse quis non optaret? Vitas Patriarcharum & sanctorum quum legimus, singulari desiderio ipsos videndi abripimur. Si vobis hic est animus, *Auditores*, venite ad cœnam Dei nostri, & videbitis Adamum, parentem primum, videbitis Noachum, in Arca mirabiliter conservatum: Videbitis Abrahamū, patrem fidelium: Isaacum, in quo benedictæ sunt gentes; Jacobum Dei victorem: Mosen Israelitarum ducem: Josuam invictum principem: Videbitis omnes Prophetas, Apostolos, Martyres, Majores, & omnes qui in verâ fide hinc decesserunt.

Ob ferculorum suavitatem.

4. *Ob ferculorum suavitatem.* Fercula hujus cœnæ sunt præmia vitæ æternæ, quæ tam magna, ut mensurari; tàm multa, ut numerari nequeant. Dantur & in mundo quædam deliciæ honestæ, dum nonnulli Musicâ, alii hortis, alii picturis, alii aliis rebus delectantur, & recreantur.

Quòd

Quòd si terrena nos adeò reficiunt, quantò magis cœlestia? *O Deus, si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio?* inquit Augustinus.

Quintuplex autem sive ferculum, sive præmium habebimus in cœnâ sempiternâ. *Primum* erit mentis sapientia, quâ ipsas mysteriorum profunditates intelligimus. *Secundum,* cordis justitia & sanctitas, cum summâ conscientiæ lætitiâ & tranquillitate. *Tertium,* perfectio omnium sensuum, dum aures suavissimas melodias audient, oculi splendorem cœli videbunt, manus carnem Salvatoris nostri tangent, &c. *Quartum,* corporis gloria, quæ consistit in agilate, claritate, subtilitate & impassibilitate. *Quintum* operationum excellentia, quia cum Angelis conservabimur, Deum videbimus, visum amabimus, amatum laudabimus, & ex laudibus voluptatem perpetuam capiemus.

Quorum quinque recensentur.

Hæc, hæc erunt illa fercula splendidissima, quæ semper delectant, nec nauseam gignunt. Rectè enim Gregorius: *Spirituales deliciæ quùm non habentur, in fastidio sunt, quùm habentur, in desiderio.* Venite igitur, nec quicquam vos retardare patiamini. Operarij per totam diem laborant strenuè, quia sciunt restare cœnam, quâ reficiantur. Et nos in hoc mundo operarij sumus, feramus æstum æquo animo. Veniet tempus, veniet beata dies, quâ cœlestibus ferculis abundantissimè recreabimur.

5. *Ob perpetuam durationem.* Mundi cœnæ breves, caducæ sunt: imò haut cœnæ, sed vix prandia, quorum extrema luctus occupat, *Prov. 4 v.* 13. Dei autem cœna, in cœlo parata, continuabi-

Ob perpetuam durationem.

tur in æternum, quia regni Christi non erit finis, *Luc. 1. v. 33.* Hîc mensæ non semper accumbitur, quia tandem fastidium sequitur: Ibi autem tanta erit dulcedo cœnæ, ut quò plus manducaturi, eò plus desideraturi simus. Nam *sitientes satiabimur, & satiati sitiemus,* ait Gregorius. O cœnam optatissimam, ô beatum illum, qui manducabit panem hunc in regno Dei! Venite igitur, & ad mēsam Domini accedite. Filios hujus seculi intuemini. Si caro, si mundus, si diabolus vocet ad delicias, mox veniunt: & nos Deo ad cœnam suam vocanti non obtemperabimus?

3. Præparationis universalitas.

III. Præparationis universalitas. Invitati ab amicis moramur paulisper, quia cœnam nondum paratam esse arbitramur. Sed nulla hîc cunctatione opus. Omnia parata sunt, quæ ad salutem necessaria. Parata est Patris dilectio, *Ioh. 3. v. 16.* filij satisfactio, *Ioh. 2. v. 2.* Verbi prædicatio, unde fides, *Rom. 10. v. 17.* Baptismus, qui lavacrum regenerationis, *Tit. 3. v. 5.* absolutio, *Matt. 18. vers. 18. Iohan. 20. vers. 23.* Viaticum salutare, nimirum communicatio corporis & sanguinis Christi, *1. Cor. 10. v. 16.* pignus & arrha salutis, nempè Spiritus Sanctus, qui conservat fidem contra hæreticos, charitatem contra seductores, spē & patientiam in tribulationibus. Ecce ut omnia sint parata, nec quicquam desit! Venite igitur, *Fratres charissimi,* nec mundo nimiùm adhærete. Cœnam & ille promittit, sed decipit, Vocat ad divitias, sed parandas: ad honores, sed inconstantes: ad gaudia, sed dolore mixta. Dei verò cœna jam parata & perfecta est. Nihil deest, quàm ut veniamus, & illâ fruamur. Sic ergò vivite, ut

quùm

quùm parata ſint omnia, & vos parati ſitis, ne cum virginibus fatuis excludamini è nuptiis, *Matth.* 25 *v.* 1. *ſeqq.*

Poſſet addi cauſa quarta, Excuſationum vanitas, quas prætendunt homines quò minùs venire queant, dum alius villam, alius boves, alius uxorem cœnæ cœleſti præfert: Sed quùm plura addere tempus non permittat, hîc concludimus, Deo agentes gratias, quòd cœnam nobis paraverit, & orantes, ut nos guſtare illam efficiat, quod fiet, ſi probè memores fueritis præcepti Domini, quod colophonis loco iterum inculco & altè infixum volo: *Venite, quia jam parata ſunt omnia, Venite*, Amen. *Excuſationum vanitas.*

EVANGELIUM DOMINICA III. POST FESTVM TRINITATIS.

Luc. 15. *à v.* 1. *uſque ad* 11.

De Ove & Drachma perdita.

V. 1. Ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἀκούειν αὐτοῦ.

2. καὶ διεγόγγυζον οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς, λέγοντες, ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς.

Accedebant autem ad eum Publicani & Peccatores, ut ipſum audirent.

Et Scribæ ac Periſchæi murmurabant, & dicebant, Iſte Peccatores ſuſcipit, & cum eis eſitat.

Es naheten ſich zu jhm allerley Zöllner vnd Sünder/ daß ſie jhn höreten.

Vnd die Phariſeer vñ Schrifftgelehrten murreten/ vñ ſprachen: Diſer nim̃t die Sünder an/ vñ iſſt mit jnen.

3. Er

3. εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην, λέγων:

Et dixit eis Jeschua hanc Parabolam.

Er saget aber zu jhnen diß Gleichniß/vnd sprach:

4. τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐ καταλείπει τὰ ἐννενηκονταεννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρῃ αὐτό;

Quis est vir ex vobis habens centum oves, & perdiderit unam ex illis, qui non relinquat nonaginta novem in deserto, & proficiscatur, quæsiturus eam quæ perit, usque dum invenerit eam?

Welcher Mensch ist vnter euch/der hundert Schaffe hat/ vnnd so er der eines verleuret/der nicht lasse die neun vñ neuntzig in der Wüsten/vnnd hin gehe nach dem verlornen/biß das ers finde?

5. καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἑαυτοῦ χαίρων.

Quúmque invenit eam, lætatur, & bajulat eam super humeros suos.

Vnd wenn ers funden hat/ so legt ers auff seine Achseln mit frewden.

6. καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς, συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὸν πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός.

Venítq; domum suam, & convocat amicos suos & vicinos suos, & ait illis, Gaudete mecũ, quippe qui invenerim ovem meam, quæ perierat.

Vnnd wenn er heim kompt/ ruffet er seinen Freunden vnd Nachbarn/vñ spricht zu jhnen: Frewet euch mit mir/denn ich habe mein Schaff funden/ das verloren war.

7. λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ

Dico vobis ita fore gaudiũ in cœlo super uno peccatore qui pœniteat,

Jch sage euch: Also wird auch Frewde im Himel sein / vber einen Sünder der Busse

ἐννενή-

ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας.	majus quàm super nonaginta novem justis, qui non egent pœnitentiâ.	thut/für neun vnd neunzig Gerechtē/ die der Busse nicht bedürffen.
8. ἤ τίς γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα, ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, οὐχὶ ἅπτει λύχνον, καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, καὶ ζητεῖ ἐπιμελῶς, ἕως ὅτου εὕρῃ;	Aut quænam est mulier habens decē zuzim, (*drachmas*) & perdiderit unam ex illis, non accendat lucernā, & scopet domum, quærátq; sibi accuratissime, usq; quo invenerit eam?	Oder/welch Weib ist/ die zehen Groschen hat/ so sie der einen verleuret/die nicht ein Liecht anzünde/vñ kehre das Hauß/ vnnd suche mit fleiß / biß daß sie jhn finde?
9. καὶ εὑροῦσα συγκαλεῖται τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας: λέγουσα, συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν ἣν ἀπόλεσα.	At quùm invenit eam, convocat amicas & vicinas suas, & ait illis, Lætamini mecū, quippe quæ invenerim drachmam meam, quę perdita fuerat.	Vnd wenn sie jhn funden hat/ ruffet sie jhren Freundinnen vnd Nachbarinnen/ vñ spricht: Frewet euch mit mir/ denn ich habe meinen Groschen funden / den ich verloren hatte.
10. οὕτω, λέγω ὑμῖν, χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.	Dico vobis, ita fore gaudium coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitente.	Also auch / sage ich euch/wird freude sein für den Engeln Gottes/ vber einen Sünder/der Busse thut.

Homi-

Homilia.



Uùm David Saulem fugiens, in desertum & speluncam Odollam pervenisset, ipsi se associârunt omnes in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, *1. Sam. 22. v. 2.* Simile contingit in hodierno Evangelio. Filius Dei verus & cœlestis David, in hujus mundi eremũ venit: sed persequebantur ipsum sine causâ Pharisæi. Ne tamen absq; omni famulatu & comitatu esset; *Ecce* appropinquantes Publicanos & Peccatores! Erant & hi amaro animo, & oppressi peccatorum pondere. Ad Christum igitur confugiunt, eúmq; ut ducem & defensoré suum eligunt. Ipse verò licèt esset unigenitus Patris *Ioh. 1. v. 8.* & Rex gloriæ, *Psal. 24. v. 8.* Publicanos tamen in clientelam suam recipere non erubuit. Imò ne vel Pharisæi ampliùs murmurandi, vel peccatores dubitandi causam haberent, prolixâ concione se ad hoc ipsum venisse indicat, ut lapsos vocaret ad pœnitentiam, *Marc. 2. v. 17.* & quæreret quod perierat, *Matth. 18. v. 11.*

Summa Evangelij.

Hunc autem missionis suæ finem *triplici Parabolâ* declarat, quarum *prima* est de Ove errante, sed iterum reducta: *secunda*, de drachma amissa, sed tandem inventa: *tertia* de filio prodigo, sed post ad patrem revertente, & gratiam inveniente. Sub his Parabolis res maximæ latent, quippe quùm *partim* statum hominis miserum depingant, *partim* remedium salutísq; modum ostendant. Nos enim sumus oves illæ errantes, *Esa. 53. v. 6.* primùm à Deo in Paradisum introductæ, sed

per

per lapsum in avia & dumeta hujus seculi devolutæ. Nos sumus drachma amissa, quia nobis, ut monetæ preciosæ imago Dei primùm impressa, pòst per peccatum fuit iterum obliterata. Nos omnes sumus filij prodigi, qui bona divinitùs in creatione concessa perdidimus, & in extremam paupertatem conjecti sumus. *Ecce!* quot & quantis malis naturâ simus immersi, ut rectè dixerit Augustinus: *Tota hominum vita pœna est, quia tota peccatis plena est.*

Nemo tamen ob id desperet; inventum huic malo est remedium. *Ecce!* tres curam nostri suscipiunt, Pastor, Mulier, Pater. *Pastor* est DEI filius, qui nos errantes humeris suis portat, & reducit. *Mulier* est Ecclesia, quæ per scopas comminationum legalium, & lucernam promissionum Evangelicarum nos quærit & invenit. *Pater* est Deus ipse, qui nos revertentes recipit, & in filios adoptat.

Sic igitur totum Evangelium nihil est aliud, quàm *concio pœnitentiæ*, quâ quùm omnes vel maximè indigeamus, eò etiam ἐξήγησιν nostram dirigemus, acturi cumprimis De *Modo redeundi*, si quis instar oviculæ circumerret, quò maturè redeat, nec conversionem de die in diem differat. *Propositio.*

Faxit DEVS, ut sermo hic cedat in errantium reversionem, & quæsitorum inventionem, Amen.

TRACTATIO.

PEccatorum errantium tria genera inveniuntur: 1. *Quidam* sunt Epicuræi, homines prorsus *Tria genera peccatorum errantium.*

ſus ſecuri, qui redire nolunt ex malitia. 2. *Quidam* ſunt Phariſæi, ſanctitatis opinione turgidi, qui ſe jamdudum rediiſſe ſimulant ex hypocriſi. 3. *Quidam* ſunt conſternati ſenſu peccatorum & pœnarum, qui redire volunt, ſi modò veram redeundi rationem perſpectam habeant. Hi omniũ ſunt optimi, qui cum Davide orant ex Pſalm. 119. verſ. ult. *Erro ſicut ovis quæ periit; Domine quære ſervum tuum.* Ut enim David Própheta graviter erravit: Sic prolapſus apud renatos etiam eſt facilis. Errant *Theologi* per falſas opiniones; errant *Magiſtratus* per juſtitiæ denegationem, vim & pauperum ſuppreſſiones: Errant *alij* per ſuperbiam, *alij* per avaritiam, *alij* per voluptates & delicias mundi. Hi omnes ſunt oves perditæ, ſunt drachmæ amiſſæ, ſunt filij prodigi. Redeant ergò & ſeparent ſeſe *tum* à ſecuris, qui redire nolunt, *tum* ab hypocritis, qui reditum ſimulant; ſéque Publicanis aſſocient, qui ſerio redeundi deſiderio tanguntur. Ne quis autem in modo reditus erret, ſequentia quatuor requiſita præſcribimus, & probè obſervari volumus.

Quatuor requiſita veræ converſionis.

1. Peccatorum agnitio.

I. Peccatorum agnitio & confeſſio. Hoc omnium primum ſit oportet, ſi quis in viam rectam reduci velit. Ut enim ægrotus non ſanatur, niſi morbum confiteatur: ſic nemo impetrabit veniam, niſi prius agnoſcat culpam. *Notitia enim peccati eſt initium ſalutis*, juxta Auguſtinum.

Exemplo nobis præeunt *Publicani*, quos *Cicero* quidem *florem nobilitatis Romanæ* nominat; ſed graviſſimis ſceleribus dediti erant. Jus enim vectigalia imponendi & exigendi emebant à Romano

mano ſenatu, & illa poſtmodum pro lubitu auge-
bant, pecuniam pauperum fraudibus & impoſtu-
ris corradentes. Hi ergo pœnitentiam acturi, ſe
Publicanos, multíſque ſceleribus pollutos eſſe a-
gnoſcunt, quod & cæteri peccatores Chriſto ap-
propinquantes fecerunt, qui mortalibus, craſſis-
que vitiis ſe indulſiſſe hactenus confeſſi ſunt.

Exemplum hoc imitari nos convenit, ſi ſanari volumus. Licèt enim publicani non ſimus, omni tamen peccato haut caremus. Quis enim dabit mundum de immundo ſemine? *Iob*.14.v.4. Omnes in peccatis concepti ſumus, *Pſal*. 51. v. 17. & caro de carne nati, *Ioh*. 3. v. 6. ut & ſancti petitione veniæ opus habeant, *Pſalm*. 32. v. 6. & cum Paulo dicere cogantur ex Rom. 7. v. 18. *Scio quod in me, hoc eſt, in carne meâ non habitet bonum.* Hanc igitur corruptionem & pravitatem noſtram non extenuemus cum hypocritis, ſed fateamur cum Publicanis. *Si dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: ſi verè confiteamur peccata, fidelis eſt Deus, ut remittat illa,* 1. Johan. 1. v. 8. 9. *Qui abſconderit ſcelera ſua, non diligetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit, miſericordiam conſequetur,* Proverb. 28. v. 13. David, quum tacuiſſet, inveteraverunt oſſa ejus, *Pſal*. 32. v. 3. ſed quum confiteretur, remiſit Deus impietatem, v. 5. Auguſtinus pulcrè: *Si homo celat, Deus revelat: ſi homo tegit, Deus detegit: Si homo agnoſcit, Deus ignoſcit.* Viator errans, ſi errare ſe perneget, in viam non redibit: Sic peccator ſcelera diſſimulans, ad Deum minimè convertetur. Ananias ſcelus ſuum tegebat, & ſubitò voce Petri extinguitur, *Act*. 5. verſ. 5. Daniel humiliter fatetur

tum sua, tum populi delicta, & veniam consequitur: *Dan. 9. v. 5.* David quùm Nathani confiteretur: *Ah peccavi Domino,* 2. Sam. 12. v. 13. mox absolutionem audit: *Ergo & Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Filius prodigus quùm *Peccavi suum* ingeminaret, Patris animum statim flectebat ad misericordiam, *Luc. 15. v. 21. 22.* Hæc igitur exempla imitemur, dicentes cum Davide: *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. 130. v. 3. *Quare non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens,* Psalm. 143. v. 2.

2. Ad Medicum adpropinquatio.

II. Ad Medicum appropinquatio. Quùm enim tota natura nostra sit corrupta, utiq; nos ipsos sanare haut poterimus. Quare Medico egemus, quem quærere, cui appropinquare debemus. Hic verò nullus est alius quàm *Christus Jesus,* Dei & Mariæ filius, quippe qui venit quærere & salvare quod perierat, *Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10.* quò & alia dicta referantur, *ut Esa. 63. v. 1. Jer. 31. v. 19. Actor. 4. v. 12. cap. 10. v. 43. 1. Cor. 3. v. 11. 1. Tim. 1. v. 15. cap. 2. v. 5.* Noverant hoc Publicani, ideoq; auxilium quærebant apud Christum. Imitemur, & Christo pariter verâ cordis humilitate appropinquemus. Hinc rectè Ambrosius: *Oves sumus, pascua quæramus: filij sumus, patrem quæramus; moneta sumus, valorem habeamus.* Mitis est Redemtor noster, qui peccatores non abigit. Si quæsieris Deum, invenies, 1. *Par. 28. v. 29.* Gabaonitæ quùm laceratis vestibus Josuam accederent, gratiam consecuti sunt, *Jos. 9. v. 4. seqq.* Ita si cœlestem Josuam sequamur contrito corde, veniam certò impetrabimus.

Con-

Consistit autem istæc appropinquatio; 1. *In devotis precibus.* Nostræ potestatis non est ad Christum accedere, *Matth. 7. v. 18. 1. Cor. 2. vers. 14. 2. Cor. 3. v. 5. Ioh. 6. v. 44. 56.* Solus Deus nos regenerat, *Ezech. 36. v 26. Ierem 32. v. 39.* Ipsum igitur invocemus, ut nos convertat, *Psal. 75. v. 1. Ierem. 31. v. 18. Oseæ 6. v. 1.* quia propè est se invocantibus, *Psal. 145. v. 18.* *Quæ consistit* *In devotis precibus.*

2. *In verbi auditu*, Publicani enim Christo appropinquabant, ut verbum ejus audirent. Est hoc verbum vitæ, *Ioh. 6. v. 69.* potentia ad salutem, *Roman. 1. v. 16.* per quod fides gignitur *Rom. 17 vers. 17.* & lucerna semitis nostris, *Psal. 119. vers. 105. 2. Pet. 4. v. 19.* Jam quis est, qui in aviis & tenebris non observet diligenter, ut vel vocem audiat, vel lumen videat? Nos erramus, nos in tenebris constituti sumus. Ecce vocem DEI in Ecclesia sonantem! Ecce lucernam in loco caliginoso lucentem! cur igitur multi nec audire, nec sequi cogitant? *In verbi auditu.*

3. *In fideli obsequio.* Non sufficit auditus, nisi accedat vitæ correctio & obedientia. Non enim auditores, sed factores justificantur, *Rom. 2. v. 13.* Quare non reddamur similes auditoribus Esaiæ, vel Ezechielis, qui Prophetis illudebant, *Esa. 28. v. 10. Ezech. 33. v 32.* nec Amaziæ, qui plagas minabatur, *2. Par. 25. v. 26.* sed omni reverentiâ verbum suscipiamus, & illi humiliter obtemperemus. Si Dominus clamat, *Exite de Babylone*, Esa. 48. v. 20. exeamus. Quando Christus ait, *Venite*, Matth. 11. v. 28, veniamus. Quum Psaltes monet, *Ne obduretis corda vestra*, Ps. 95. v. 8. non obduremus: & sic consequenter. Hoc si fecerimus, cum *In fideli obsequio.*

Publicanis Christo proximi erimus, & requiem animarum certissimam inveniemus.

3. Scandalorum aversatio.

III. Scandalorum aversatio. Pharisæi quùm Christum viderent conversantem cum Publicanis, murmurabant; quod murmur prorsus iniquum fuit & impium, *tum* ex parte ipsorum, quia legis periti erant, qui peccatores in viam reducere, nec indignari redeuntibus debebant: *tum* ex parte Christi, quem calumniis immeritò affiiciebant, quùm pro tanta clementia gratias agere decuisset: *tum* ex parte publicanorum, quos contemnebant, & quibus cœlum invidebant, *Matth. 23. vers. 3.* Ita nimirum fit, ut quàm primùm Christo appropinquamus, nobis se mundus opponat, risu & calumniis excipiat. Nos autem minimè offendamur, neque ob murmur impiorum ad vomitum redeamus. Idem enim *Christo* ipsi evenit, quem nominabant potatorem vini, *Matth. 11. v. 19. & Apostolis*, quorum doctrinam bonis operibus inimicam esse falsi doctores jactitabant, *Roman. 3. v. 7.* Sic irrisus est ab amicis Jobus, *cap. 2. v. 49.* & Tobias, *cap. 2. v. 15.* neque tamen ob id à Deo defecerunt. Ita licèt Pontificij, licèt totus mundus murmuret, pergamus tamen in pietate, nec respiciamus cum Lothi uxore, nec ollas Ægyptias repetamus cum Judæis. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei, *Luc. 9. v. ult.* Simul autem omni studio annitamur, ne cum Pharisæis vel Christi operibus detrahamus, vel pœnitenti proximo invideamus. Utrumque vitium longè maximum est, quo Dei honor violatur, & proximi amor negligitur. In Veteri Lege aves prædæ assuetæ & carnivoræ

nivoræ rejiciebantur, ut immundæ, *Lev. 11. v. 13.* quo notatum est, hominem alios mordentem, coram Deo immundum censeri. Neque enim maledici, nec rapaces regnum Dei possidebunt, *1. Cor. 6 v. 10.* Non igitur appelleris susurro in vita tua, *Syr 5. vers 16.* Nam serpens & detractor æquales sunt: *Quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris sui virus in fratrem effundit*, ait *Hieronymus* in Ecclesiastem. Remove igitur à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te, *Prov. 4 v 24.*

IV. Mediorum applicatio. Ægrotus non sanatur, si spernat pharmaca sic Peccator non salvatur, si contemnat media. Horum tria innuuntur in Parabolis Evangelij.

4. Mediorum applicatio.

Quæ sunt

Primum est *Pastoris inquisitio.* Christus enim se comparat Pastori ovem errantem quærenti, quod maximæ bonitatis signum est. Arcam Vet. Testamenti soli Pontifici videre & accedere licebat: sed Christus Novi Testamenti Arca, omnes ultrò accedit, & errantes reducere gestit. Sequamur ergò hunc Pastorem, ut in rectam viam revertamur, & salvemur. Quùm diluvij aquæ inundarent, bestiæ omnes ad Arcam Nohæ, velut ad asylum confugerunt: Ita si furoris divini undæ nos involvant, ad Christum, veram salutis arcam, nos recipiamus. *Omnis anima accedat ad Christum, quia Christus nobis est omnia*, inquit Ambrosius. Si vulnere carere desideras, Medicus est: si febribus æstuas, fons est: Si iniquitate gravaris, justitia est: Si auxilio indiges, virtus est: Si mortem times, vita est: Si cœlum desideras, via est: Si tenebras fugis, lux est: Si cibum quæris, alimentum est.

Inquisitio Pastoris.

Uti verò ipſe eſt ἀρχιποιμὴν, ſic alios Paſtores in omnibus ſtatibus ordinavit, quibus ſimiliter nos obedire convenit. Dantur Paſtores (1.) *Eccleſiaſtici*, quibus verbi prædicatio & animarum cura commiſſa eſt, *Eſa. 58. v. 1. Ezech. 33. v. 2.* (2.) *Politici*, qui ſunt cuſtodes ſecundæ tabulæ, & conſervatores bonæ diſciplinæ, quales fuerunt David, Joſaphat, Joſias, Hiskias. (3.) *Oeconomici*, videlicet parentes, qui liberos educare debent in correctione DOMINI, *Epheſ. 6. verſ. 4.* Hos igitur Paſtores omnes audiamus, & quoties vel miniſtri vocem, vel magiſtratus legem, vel parentum monita percipimus, toties nos à DEO quæri æſtimemus.

Accenſio lucernæ.

2. *Lucernæ accenſio.* Facit huc ſecunda Parabola de muliere drachmam amiſſam quærente. Per illam intelligitur Eccleſia, in qua multæ ſunt drachmæ amiſſæ, hoc eſt, peccatores impœnitentes. Sed illa lucernam accendit, dum verbum Dei lucidum annunciat, cujus efficacia multi viciſſim inveniuntur. Hanc Eccleſiam Deus in illuſtri loco conſtituit, & lucernam verbi non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſuit, ut lucem præbeat univerſis, *Matth. 5. v. 15.* Per hanc lucernam illuminati ſunt Publicani: latro in cruce, *Luc. 23. v. 42.* præfectus Reginæ Candaces, *Act. 8. v. 27.* Paulus, *Act. 9. v. 1.* & gentiles plurimi. Non igitur claudamus oculos ad illam, ne in perpetuis tenebris hæreamus. Conclave non illuminatur, ſi feneſtræ linteaminibus obvelentur; Ita lux verbi non penetrabit, ſi cordis tui conclave per infidelitatem & impietatem occluſeris.

Adhibitio ſcoparum.

3. *Scoparum adhibitio.* Ut enim mulier domum

verrit,

verrit, quò drachmam ſuam inveniat: Sic Chriſtus ſcopas habet, quibus peccatores colligit, & intrare compellit.

Dantur enim 1. *Scopæ Legalium comminationum*, quando peccata exprobrantur, & pœnæ exaggerantur. Tali verriculo quæſitus & inventus eſt David, 1. *Sam.* 12. *v.* 15. Paulus, *Act.* 9. *v.* 4. Ninivitæ, *Ion.* 3. *v.* 4. Judæi, *Act* 2. *v.* 36. *Legales comminationes.*

2. Dantur *Scopæ tribulationum*. Quùm enim admonitiones Dei negligimus, plagas immittit, peſte, fame, & bello nos caſtigat, quò deſertum mundi deſeramus, & ad ipſum confugiamus. Filius prodigus nunquam rediiſſet, niſi ventrem ſiliquis implere coactus fuiſſet. Sic Regulus & Centurio Chriſtum nõ audiiſſet, niſi alter filium, *Ioh.* 4. *v.* 46. alter ſervum decumbentem habuiſſet, *Matth.* 8. *v.* 5. Ita igitur Deus ſæpè facit opus peregrinum caſtigando, ut ſuum exerceat miſerendo. *Et tribulationes carnis.*

Et hæ ſunt ſcopæ iſtæ duplices, quas quùm ſentimus, non indignemur, ſed Deo potiùs ita quærenti gratias agamus, & cum Pſalte dicamus, ex Pſalm. 119. v. 71. *Bonum eſt mihi Domine, quòd humiliâſti me, ut diſcerem juſtificationes tuas.*

Atque hæc ſufficiant de 4. illis reverſionis myſticæ requiſitis, quibus ut ſemper ſtudeamus, faxit Altiſſimus. Ipſe *Paſtor eſt*, quærat nos oviculas errantes. Ipſe *Pater eſt*, recipiat nos filios prodigos, Ipſe *lucernam accendit*, illuminet, ut videamus lumen & è tenebris erepti in æternam lucem transferamur, per Chriſtum Jeſum, qui eſt lux, via, veritas & vita ſemper benedicta, Amen.

EVANGELIVM DOMINICA IV. POST FESTVM TRINITATIS.

Luc. 6. à v. 36. usque ad 43.

De Operibus charitatis.

V. 36. Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ Πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί.	Estote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.	Darumb ſeydt Barmhertzig/ wie auch ewer Vatter barmhertzig iſt.
37. καὶ μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε· μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε· ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε.	Ne judicate, & non judicabimini: ne condemnate, & non condemnabimini; abſolvite, & abſolvemini.	Richtet nicht/ ſo werdet jhr auch nit gerichtet. Verdammet nicht/ ſo werdet jhr nicht verdammet/ Vergebet/ ſo wird euch vergeben.
38. δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον, δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν· τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.	Date & dabitur vobis: menſuram bonam & expanſam profuſamque injicient in ſinum veſtrum. Eadem enim menſurâ quâ metimini, remenſum fiet vobis.	Gebet/ ſo wird euch gegeben. Ein voll getruckt/ gerüttelt vnnd vberflüſſig Maß wird man in eweren Schoß geben Denn eben mit dem Maß da jhr mit meſſet/ wird man euch wider meſſen.

39. εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς, μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται;

Porrò dicebat eis parabolam, nũ poteſt cœcus cœcum ducere? nonne ambo in foveam cadent.

Vnd er ſaget jhnen ein Gleichnis: mag auch ein blinder einem Blindẽ den Weg weiſen? werden ſie nicht alle beyde in die gruben fallen?

40. οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.

Non eſt diſcipulus præſtãtior Magiſtro, Verũ enim verò, quisquis eſt perfectus, erit inſtar magiſtri ſui.

Der Jünger iſt nicht vber ſeinen Meiſter / wenn der Jünger iſt wie ſein Meiſter / ſo iſt er vollkommen.

41. τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου; τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;

Quid enim intueris feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui, trabs autem, quæ in oculo tuò eſt, non apparet tibi?

Was ſiheſt du aber einen Splitter in deines Bruders Auge/ vñ deß Balcken in deinẽ Auge wirſt du nicht gewahr?

42. ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου, ἀδελφὲ, ἄφες ἐκβαλῶ τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου; αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; ὑποκριτὰ, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου. καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρ-

Vel quomodo potes dicere fratri tuo, Frater mi, ſine ejiciam feſtucam ex oculo tuo, quũ ecce trabs, quæ eſt in oculo tui ipſius, non appareat tibi? Acceptor vultus, (*Perſonate*) educito primùm trabem ex oculo tuo,

Oder / wie kanſt du ſagen zu deinem Bruder / halt ſtille Bruder: Jch will den Splitter auß deinem Auge zihẽ/ vnd du ſiheſt ſelbſt nicht den Balckẽ in deinem Auge/ Du Heuchler/ zeuch zuvor den Balcken auß deinem Auge/

φθ τὸν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου. | & tunc erit tibi visus ad educendum festucam ex oculo fratris tui. | vnd besihe denn/daß du den Splitter auß deines Bruders Auge ziheſt.

Homilia.

Cohærent pœnitētia & noᵛa obedientia



Rctiſſimo inter ſe vinculo cohęrent *hominis pœnitentia, & nova obedientia.* Fides enim, quæ anima converſionis, per charitatem ſemper eſt efficax, *Galat. 5. v. 6.* Ut radii Solares quodcunq; tangunt, calefaciunt: Sic fides juſtificans, ubicunque micat, ardorem bonorum operum excitat. Ut è formis proprietates ebulliunt, & ex arbore bona, boni fructus naſcuntur: Ita fidem ſalvificam bona opera comitantur. Philoſophi dicunt *duo naturæ momenta* eſſe; *Prima*, quæ ſint rerum formæ, & *Secunda*, quæ ſint formarum propria; quorum uno poſito, ſtatim ponendum alterum. Sic duo noſtri Chriſtianiſmi momenta ſunt præcipua, *Primum* eſt inſtar formæ, nimirum fides juſtificans, *Alterum* conſequitur formam, quod eſt ſtudium ſanctitatis. Et duo hæc adeò ſunt connexa, ut alterum absque altero non exiſtat, Fides enim absque operibus mortua eſt *Iac. 2 v 17.* ideoq; per bona opera oſtendi debet, *v 18* Licèt igitur neminem iſta ſalvificent neceſſariò tamen facienda ſunt (1) propter *Deum*, qui requirit *1. Theſſ. 4. v. 3.* (2) Propter *Angelos*, qui pietate noſtrâ gaudent, *Matth. 18. v. 10 Luc 15 v 10* (3) Ob *proximum*, ut exhilaretur, ſi pius, extimuletur, ſi impius eſt, *1 Cor. 9. v. 10. 2. Cor. 6. v. 3. 1. Petr. 2. v. 22.* (4) Ob *diabolū*, ne

Duo momenta Naturæ & Chriſtianiſmi.

Cauſæ ob quas facienda bona opera.

ne in illius nassam incidamus. (5) Ob *nos ipsos*, ut fidem ostendamus, *Iac. 2. v 15.* eandem alamus, *2. Tim. 1. v. 6.* pœnas vitemus, *Rom. 6. v. 3. Coloss. 3. v. 6.* & præmia consequamur, *Lev. 26. v. 3. Esa. 1. v. 19. 1. Tim. 4. v. 8.*

Quamvis autem multæ sint bonorum operum caussæ, languescit tamen eorum studium in cordibus hominum. Unde officii sui creberrimè admoneri debent. Quum igitur ante octiduum aliquid dictum sit de *pœnitentia*, meritò nunc instituitur concio de *nova obedientia*.

Prolixè autem tractatur Thema hoc præsenti Evangelio, quod totum nil aliud est, quàm exhortatio ad bona opera: quorum multa quidem innuuntur, sed nos priora tantùm hac vice considerabimus, tribus præceptis Christi comprehensa, quæ *partim* facienda, *partim* fugienda inculcant. *Deus* sancto nobis Spiritu adsit, ut de bonis operibus benè dicamus, & vitam optimè corrigamus, Amen.

ἘΞΉΓΗΣΙΣ.

CHristianus benè operans, juxta Lutherum considerari potest ratione duplici vel fori, vel hemisphærii, in quo constituitur. Vel enim in *superiori* versatur coram Deo; ubi opera nihil conducunt ad peccatorum remissionem, quia justificamur ex gratia, *Rom. 11. v. 6.* sine operibus, *cap 3. v. 28.* per donum DEI, *Eph. 2. v. 8.* Vel in *inferiori* agit coram hominibus, ubi Lutherus unicum opus bonum terram & cœlũ superare asserit. Bona enim opera sunt fidei signa, charitatis vincula, & Christianæ societatis nervi, ad- *Bona opera dupliciter considerantur.*

eò,

eò, ut eorum exercitium esse debeat continuum & perpetuum.

Duplex dilectio. Norma verò operum *Lex* est, cujus perfectio & finis nominatur *dilectio*, quæ duplex: altera fertur in *Deum*, & tabulâ primâ; altera in *proximum*, & tabulâ secundâ præcipitur.

Utramq; requirit & conjungit Christus, *Matt. 22. v. 37. & seqq.* Deum enim non diligit, qui fratrem odit, & contrà, *1. Ioh. 4. v 20.* Hoc igitur mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, *v. ult.* De hac fratris proximive dilectione disserit Salvator præsenti Evãgelio, dum præcipua ejus opera breviter refert, & commendat. Tria illorum tanguntur in principio, quæ paucis explicabimus.

Tria Christianæ charitatis opera inculcãtur in hoc Evangelio

1. Fraterna commiseratio. Primum charitatis Christianæ opus est Fraterna commiseratio. *Estote*, inquit Christus, *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Duo hîc habentur, *Adhortatio* & ejusdem *Ratio*. Adhortatur nos Christus ad misericordiam, quæ consistit. 1. In *affectu* compassionis. 2. In *affatu* miti & dolorem leniente. 3. In *affectu* & opere, quum proximo succurrimus, & necessitatibus sanctorum communicamus, quod requiritur, *Rom. 12. v. 13.* Hanc virtutem Stoici, quorum mentio fit, *Act. 17. v. 18.* non adeò curarunt. Rati enim sunt, virum fortem non debere commoveri malis vel propriis, vel alienis, ideoq; omnem dolorem & mœrorem voluerunt explosum. Sed non creati sumus stipites, vel lapides. Affectus cordi nostro divinitùs sunt inditi, ut lætari, tristari, dolere vel condolere valeamus. Hinc *misericordiam*

In quibus consistat misericordia.

ricordiam requirit Christus, *quæ* affectus est cordis compatientis ob alienam miseriam.

Quid sit misericordia.

Eximia hæc virtus est, eamq; ob caussam primo loco recensetur. Augustinus vocat *coronam virtutum, & reginam regni cœlorum.* Hæc enim sola Deum adducit ad hominem, & hominem ad Deum. Hæc illa est catena, quâ cœlum & terra invicem convinciuntur. Hanc Christus Pharisæis inculcat, *Matth.9.v.13 ex Ose.6.v.6.*

Ut verò hæc adhortatio sit penetrantior, ratio statim additur, *Sicut & Pater vester misericors est.* Si vos nec præceptum meum, nec propria indigentia, nec naturæ conformitas movet ad miserendum, saltem moveat Patris vestri exemplum, qui quum summè sit misericors, annon & vos aliorum misereri convenit? Tria igitur verbis istis innuuntur, 1. Dei *Misericordia,* 2. Misericordiæ hujus *Imitatio,* 3. Imitationis *Modus.*

Misericordia Dei quæ. qualis, quanta

Misericordia DEI planè immensa & infinita est. Universæ enim viæ Domini sunt, misericordia & veritas, *Psalm. 25. v. 10.* Hâc terra plena est, *Psalm 33. v. 5.* Hæc ab æterno usque in æternum manet, *Psalm 103. v. 17.* hæc super omnem carnẽ extenditur, *Syr. 18 v. 12.* Ut magnus ille Paradisi fluvius in quatuor flumina dividebatur, *Gen. 2. v. 10* Ita vastus ille misericordiæ divinæ oceanus in quatuor sinus ac maria, quæ cœlum terramq; irrigent, distinguitur. Primum est *Creationis:* Secundum *Conservationis & Gubernationis:* Tertium *Redemtionis:* Quartum *Glorificationis.* Omnia hæc è profunda misericordiæ abysso trahunt originẽ. Misericors est Deus (1) peccatorem renovando, *Esa. 1. v. 16. Ierem. 3. v. 12.* (2) Redire nolentem

expe-

expectando, *Esa. 30. v. 8. Rom. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v 9.* (3) Contra Satanæ molitiones defendendo, *Thren. 3. v. 22.* (4) Opportunitatem peccandi subtrahendo, *Ose. 2. v. 6.* (5) Vocationem continuando, *Esa. 65. v. 2. Apoc. 3. v. 20.* (6) Revertendi gratiam tribuendo, *Ps. 59. v. 11. Ier. 31. v 19.* (7) Pœnitentes benignè suscipiendo, *Ioel 2. v. 13. Esa. 54. v. 7. Luc. 15. v. 20.* (8) Miseros consolando, *2. Cor. 1. v. 3. Psal. 94. v. 19.* (9) Tentatos conservando, *Phil. 1. v. 6. cap. 2. v. 10.* (10) Fideles glorificando, *Matth. 25. v. 34. Rom 8. v. 30.* Ecce quàm misericors est Pater noster cœlestis! Quid nobis ergò agendum aliud, quàm ut imitemur; Boni enim filii bonum patrem imitantur, illiq; assimilantur. Ad Dei imaginem conditi sumus: quæ licet amissa sit per lapsum, restituitur tamen per Christum. Videamus igitur, ut Deo misericordi conformes reddamur, ejusq, imago in nobis restituatur. Pium hoc est, quia *Religionis summa est, imitari quē colis,* Aug. lib. 8. de Civ. Dei, cap. 17. Æquum hoc est, quia filios decet Patri conformes fieri. Estote igitur imitatores Dei, sicut filii charissimi. *Epist 5. v. 1.* Tres filios Deus habuit, *Luciferum, Adamum, Christum:* Sed Lucifer cœlo, Adamus Paradiso ejectus est, quia obedire noluerunt. Solus Christus Patri obediens factus, & in misericordiâ conformis est, hinc de ipso dicitur, Matth. 3. v. ult. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Vultis & vos diligi à Patre? Misericordes estote, ut ipse misericors est. Non enim à Deo amabitur, qui proximo nunquam compatitur. Crudelitas Satanæ propria est, ideoque Deum non imitatur, qui crudelitate delectatur.

Sed

Quomodo divinam miſericordiam imitari poſſimus.

Sed inquis? *Deum quî poſſim imitari, cùm miſericordia ejus ſit infinita?* Reſpondeo, Adverbium *ſicut* non æqualitatis, ſed ſimilitudinis nota eſt. Si Deum imitari non poſſumus in totum, imitemur tamen in tantum, ut ſicut ejus, ita & noſtra miſericordia ſit, (1) ſincera, nec fucata, *Coloſſ. 3. v. 12.* (2) absque reſpectu perſonarum, quia & Deus inimicos diligit, *Matth. 5. v. 44.* (3) conſtans, nec interrupta, veluti Deus perſeveranter nos diligit. Quod ſi fecerimus, miſericordiam viciſſim conſequemur, juxta illud Matth. 5. v. 7. *Beati miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur.*

2. Iudicij temerarij intermiſſio.

Secundum dilectionis opus eſt Iudicii temerarii intermiſſio. Nihil enim magis impedit miſericordiam, quàm ſiniſtrum de proximo judicium. Hoc igitur ante omnia remotum vult Salvator, dicens: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Verba hæc Apoſtata Julianus arripuit, & judicia Chriſtianis permittere noluit. Anabaptiſtæ ex iiſdem verbis forum civile abrogandum eſſe aſſerunt. Verùm longè alia eſt Chriſti ſententia, quæ ut explicetur, ſciendum, quòd duplex ſit judicium.

Duplex judicium.

1. Rectum.

Aliud eſt *rectum* & divinitùs inſtitutum, quod maximè neceſſarium, & minimè culpandum. Hoc viciſſim eſt partim *Eccleſiaſticum*, quo judicantur hæreſes, *Tit. 1 v. 9.* & peccata, *Eſa. 58. v. 1. Matth 18 v 18.* partim *Politicum*, quo bonis præmia, malis ſupplicia decernuntur, *2 Paral. 29 v. 6. Rom. 13 v. 1.* partim *Oeconomicum*, quo domeſtici judicantur, & diſciplina ſtabilitur, *Proverb 22. verſ. 13.*

verſ. 13. cap. 23. verſ. 12. 13. Epheſ. 6. verſ. 4. quæ judicia omnia ſunt licita, & minimè prohibentur à Chriſto,

2. Illicitū. 2. Aliud eſt *Illicitum*, & à Satana introductū, de quo ſolo hîc verba fiunt. Eſt hoc viciſſim geminum.

Quod oritur. 1. Aliud enim ex *Imprudentia* oritur, & rectè *præjudicium* dicitur, quando Perſonæ, quibus dijudicatio cauſſæ ordinariè commiſſa eſt, ex incogitantia ſententiam ferunt iniquam. Fit hoc (1) ſi circumſtantiæ minùs rectè conſiderantur. Tale fuit judicium Iſraelitarum, *Ioſ. 22. v. 12.* Heli, 1. *Sam. 1. v. 13.* Nabalis, *1. Sam. 25. v. 20.* Judæorum, *Ierem. 37. v. 15.* Melitenſium, *Act. 28. v. 4.* (2) Si ex uno facto colligatur habitus, & quis ob iſtud ſtatim proclametur ſceleroſus, ut ſi ebrioſum dicas, qui ſemel inebriatus eſt. Tale præjudicium fuit, quum Phariſæi Chriſtum vocarent voracem & potatorem vini, *Matth. 11. verſ. 19.* quum tamen nullum exceſſum commiſerit. (3) Si in aliis illud culpetur, quod judex vel ipſe facit, vel in aliis commendat. Hoc enim eſt perſonas reſpicere, & judicium corrumpere, quod prohibetur, *Prov. 17. v. 15. cap. 18. v. 5.* Sic Phariſæi Chriſtum violati Sabbati accuſabant, cujus tamen ſceleris ipſi rei erant. *Luc. 14. v. 5.*

Et levitate. Aliud oritur ex *levitate*, ideoque judicium *temerarium* rectè vocatur, quum judicare præſumunt, quibus hoc non incumbit, ut ſi auditores de paſtoribus, ſubditi de Magiſtratu judicant, qui tamen ipſi vel iiſdem, vel gravioribus vitiis ſint contaminati. Talia judicia noſtro tempore ſunt familiariſſima. Singuli de aliorum dictis factisq; judicant;

judicant, & calumniari gestiunt: Propria negligunt, aliena inspiciunt: omittunt ἔργα & sectantur πάρεργα: festucam aliorum vident, trabem propriam intueri & agnoscere nolunt. Horum mores describit Bernardus lib. de Anima, cap. 1. *Multi*, ait, *multa sciunt, & seipsos nesciunt: alios inspiciunt, & seipsos deserunt.* Qui nihil habent domi quod agant, per plateas vagantur, & omnia intuentur: sic aliorum vitia inquirunt, cordis sui penetrale non inspiciunt. Hoc est ante tempus judicare, quod prohibetur 1. *Cor. 4. v. 5.* Dedecus est alios censere, & vitam propriam non corrigere. Qui sordes totius urbis convehunt, pro vilissimis hominibus habentur: sic qui duntaxat aliorum vitia notant & exaggerant, quam inde laudem merebuntur; Rectè Gregorius M. in Moralibus: *Stulti tantò intensiùs de alieno judicant, quantò sua profundiùs ignorant.*

Neque verò impune abeunt, sed vicissim judicantur, *partim* ab hominibus aliis, *partim* à Deo, qui temeritatem odit & punit. Non igitur te extollas in cogitatione animæ tuæ, *Syr. 9. vers. 2.* nec de aliis sinistrè judices, quia quivis stat & cadit suo Domino, *Rom. 14. v. 4.* qui manifestabit consilia cordium, *1. Cor. 4. v. 5.*

Quod ipsum ut fiat faciliùs, 1. *Teipsum inspicias.* Satis enim habebis, quod corrigas, ut de aliis solicitum te esse non oporteat. Hoc medio Christus Pharisæorum ora obturavit, *Ioh. 8. v. 7.* Hoc Bernhardus inculcat. cap. 65. Medit. *Relinque cætera & teipsum discute: per te curre & in te consiste.* *Tres Regulæ contra temerariũ judicium.*

2. *Delatoribus ne credas.* Nihil enim novi

est, ut alter de altero mentiatur. Quare istud Syracidis monitum probè observandum est, ex cap. 16. v. 16. *Non omni verbo credas, &c.* Levitis præceptum erat, ut septimo demum die post lepræ inspectionem, pronunciarent aliquem leprosum. *Lev. 13. vers. 27.* Eadem circumspectio requiritur, si de lepra animorum, hoc est, de vitiis aliorum ferri debeat judicium.

3. *Facti rationem ponderes.* Multa enim sunt dubia & quasi media, ut jam in bonam, jam in malam partem queant accipi. Lapsus igitur proclivis est, si quis temerè judicaverit. Facilè potest fieri, ut bonum dicatur malum, adeoque incurras væ istud prædictum, *Esa. 5. vers. 20.* Quod ne fiat, rem omnem probè consideres, nec tam temerè sententiam feras.

3. Fuga privata cōdemnationis

Tertium est fuga privatæ cōdemnationis. *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Gravius delictum est, aliquem damnare quàm judicare. Per hoc facta vituperantur, per istud personæ ipsæ in totum devoventur. Non autem omnis damnatio est illegitima. Datur enim *Ecclesiastica*, per quam damnatur doctrina falsa, *Gal. 1. v. 8.* & vita impia, 1. *Cor. 16. vers. 22.* datur *Politica*, quum facinorosis pœna debita annunciatur, qualis damnatio concessa & imperata est. Sed aliam Christus hîc intelligit, nempè *temerariam & iniquam*, nullique fundamento solido superstructā, quum proximus præter meritum & sine mandato condemnatur, exemplo Simei, *2. Sam. 16. v. 7.* Peccatum hoc multa alia secum trahit. Concurrit ἐπιχαιρεκακία, cujus exemplum sunt Edomitæ,

Non omnis damnatio est illegitima.

tæ,

tæ, *Pſ.137.v.7.* Calumnia de qua *Syr.3.v.17.* invidia, de qua *Prov.14.v.30.* odium perſonæ, quam tamē eripere potius, quàm odiſſe debemus, juxta illud Auguſtini: *Vitium oderis, non vitioſum; peccatum, non peccatorem; morbum, non morboſum.* Tot igitur peccata quum confluant, à condemnationibus temerariis meritò abſtineamus. Secus qui fecerint, ſciant, & ſibi paratam eſſe damnationem in inferno apud diabolum, qui Pater eſt omnium calumniantium, unde & διάβολος nominatur. Veriſſima enim eſt ſententia, Jer.50. v.15.29. *Reddite ei ſecundùm opus ſuum, ſicut fecit, ita facite ei.* Deus autem prohibeat, ne ſimile quid experiamur, ſed nos omnes efficiat charitate ferventes, & miſericordiâ certantes, ne judicemus improvidè nec condemnemus temerè, ſed imitantes Patrem cœleſtem in beata regione ipſi aſſociemur, & divitiis miſericordiæ ejus æternùm fruamur, per Chriſtum Jeſum, miſericordiæ fontem inexhauſtum, Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA V. POST
TRINITATIS,

Luc. 5. à verſ. 1. uſque ad 12.

De Piſcatura Petri.

v.1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ,

FActum eſt autem cum coacta eſſet ad eum turba ad audien-

ES begab ſich aber / da ſich das volck zu jm drang / zu hören das Wort

αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην Γεννησαρέθ.

dum sermonem Dei, ut ipse staret juxta littus maris Genesar.

GOttes / Vnd er stund am See Genezaret.

2. καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν, ἀπέπλυναν τὰ δίκτυα.

Et vidit duas naves stantes super crepedinem maris, & piscatores qui descenderant ex iis, eluebantq; retia sua.

Vnd sahe zwey Schiff am See stehen/die fischer aber waren außgetrettẽ/ vnd wüschen jhre Netze.

3. ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τοῦ Σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον. καὶ καθίσας ἐδίδασκεν ἐκ τοῦ πλοίου τοὺς ὄχλους.

Una autem earum erat Schemeoun Kipho, quumque descendisset Jeschua, sedit in ea, & dixit ut proveherent eam paululum ab arida in aquas: sedebatque ac docebat turbam è navi.

Trat er in der schiff eins / welchs Simonis war / vñ bat jhn / dz ers ein wenig vom Lande führet. Vñ er satzte sich vnd lehret das Volck auß dem Schiff.

4. ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα, ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν.

Quumq; cessasset loqui, dixit ipsi Schemeoun, ducite in profundum, & projicite retia vestra ad piscandum.

Vnd als er hatte auffgehört zu redẽ/ sprach Er zu Simon: Fahre auff die höhe/vnd werffet ewer Netze auß/ das jhr einen Zug thut.

5. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων εἶπεν αὐτῷ, ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς

Respondit Schemeoun, & dixit ei, Rabbi, tota nocte

Vnd Simon antwortet / vnd sprach zu jhm: Meister/

νυκτὸς κοπιάσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον.

fatigati sumus, nihilque cepimus, tamen juxta sermonem tuum projicio rete.

wir habẽ die gantze Nacht gearbeitet/ vnd nichts gefangen/ Aber auff dein Wort will ich das Netz außwerffen.

6. καὶ τοῦτο ποιήσαντες, συνέκλεισαν πλῆθος ἰχθύων πολύ· διεῤῥήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν.

Et quum hoc fecissent, cõcluserũt multos admodum pisces, ita ut disrũperetur rete eorũ.

Vnd da sie das theten / beschlossen sie eine grosse menge Fische / vnd jhr Netz zureiß.

7. καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις τοῖς ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς. καὶ ἦλθον, καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά.

Et innuerunt sociis suis qui erant in alia navicula, ut venirent sibi opẽ laturi, quumq; venissent, impleverunt ambas illas naviculas, ita ut propè mergerentur.

Vnd sie winckẽtẽ jhren Gesellen / die im andern Schiff waren / das sie kämen / vnd hülffen jhnen zihen. Vnd sie kamen/ vnd fülleten beyde Schiff voll / also das sie suncken.

8. ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος, προσέπεσε τοῖς γόνασι Ἰησοῦ, λέγων, ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, Κύριε.

Quum autẽ hoc videret Schemeoũ Kipho, procidit ãte pedes ipsius Jeschua, & dixit ei, peto à te mi Domine, ut discedas à me, quippe qui homo peccator sim.

Da das Simon Petrus sahe / fiel er Jesu zu den Kniẽ/ vnd sprach: HErr/ gehe von mir hinauß / Ich bin ein sündiger Mensch.

9. θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ,

Etenim pavor invaserat eũ, omnesque qui cum eo e-

Denn es war jhn ein Schrecken ankomen/ vnd alle die

ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων, ᾗ συνέλαβον.	rant, propter capturam illam piscium, quam comprehenderant.	mit jhm warē/vber diesem Fischzug/dē sie miteinander gethan hatten.
10. ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, ὑιὲς Ζεβεδαίε, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι. καὶ εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ Ἰησῦς, μὴ φοβῦ, ἀπὸ τῦ νῦν ἀνθρώπυς ἔσῃ ζωγρῶν.	Itidem autem & Jaakoub & Jouchanon filios Zabdai, qui erant socii Schemeoun. Dixit autem Jeschua, Ne timeas, posthac piscaturus es homines ad vitam.	Desselbigen gleichen auch Jacobū vnd Johannē/die söhne Zebedei/Simonis gesellē. Vñ JEsus sprach zu Simon: Förchte dich nicht/ denn võ nun an wirst du Menschen fahen.
11. καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες ἅπαντα, ἠκολέθησαν ἀυτῷ.	Et impulerunt illas naves ad terrā, omniaq; reliquerunt, ac post eum abiêre.	Vnd sie führeten die Schiffe zu Lande/ vñ verliessen alles / vnd folgeten jhm nach.

Homilia.

Hoc Evangelium cōtinet picturam Ecclesiæ.



Odiernum Evangelium ob miraculi dignitatem & doctrinarum ubertatem sedulâ consideratione dignū est. Inter cætera picturam geminam comprehendit, quarum altera est *Ecclesiæ*, altera *Ministerii*.

1. Ecclesia per naviculam depingitur, in quā Christus ascendit. Ut enim navis hinc inde fluctuat in Oceano; sic Ecclesia circumagitatur in mundo. Uti per ventum movetur navicula, sic per flatum cœlestem Ecclesia. Nemo in magi vitam conservat, nisi in navicula permane-

at: Ita salutem sperare nequit, qui Ecclesiam deserit. Extra hanc enim nulla est salus, sicut extra Arcam Noæh nemo servabatur in diluvio. Hinc Nazianzenus eleganter dixit:

Ζητῶ Νῶε κέβωτον, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.

Quæro ratem Noæ, quò mortis flumina vitem.

2. Ministerium per piscaturam Petri præfiguratur, imò Petrus *Piscator hominum* haut obscurè nominatur. Sunt autem quatuor inprimis circa piscaturam observanda, 1. *Piscator*, 2. *Pisces*, 3. *Fluvius*, 4. *Retia*. Omnia hæc in ministerio occurrunt suo modo. Præcones verbi sunt piscatores, *Ezech.47.v.10*. Homines sunt pisces, *Hab.1.v.3* qui partim boni, partim mali, *Matth.13.v.47*. Fluvius, è quo extrahuntur, mundus est, in maligno positus, *1.Ioh.5 v.19*. & mari comparatus, *Esa.57. v.20*. Retia nîl sunt nisi Sacræ Scripturæ, quibus homines capiuntur, & ad regnum cœlorum promoventur. Pontifex quidem nassam geminam habet, quæ est lis & vis, fraudulentia & tyrannis, sed arma nostra non sunt carnalia, *2.Cor.10.v.4*; nec conscientiæ coguntur, sed per verbum Dei suaviter trahuntur. *Et ministerii.*

De his & similibus doctrinis occasione hujus Evangelii dici posset; quia tamen veneranda antiquitas ideò inprimis hoc messis tempore illud explicari voluit, ut homines admonerentur de benedictione laborum, & œconomia rectè instituenda: nos consilium istud secuti, hoc ipsum Thema tractabimus, dicturi *de laborib. vocationis ritè suscipiendis*, quò larga tandẽ benedictio & copiosa captura subsequatur. *Deus*, cujus jussu et- *Propositio.*

 iamnum

iamnum rete sacrum laxamus, nobis undiquaq; benedicat, *Amen.*

Ἐξήγησις.

CORpus nostrum post lapsum ψυχικὸν vel animale dicitur, 1. *Cor. 15. v. 44.* inter cætera, quia cibo potúque indiget. Hæc autem non dantur ἀμέσως, neque per ventum, sed per certa media. Horum alia sunt *illicita*, & ab hominibus assumta: Deinde alia sunt *licita*, & divinitùs ordinata.

Illicita ditescendi media. Illicitis mediis victum quærunt 1. *Mendicantes robusti*, qui labores subterfugiunt, & ab aliis necessaria extorquere satagunt, contra quos Syracides *cap. 40. vers. 20. & seqq.* sermonem instituit.

2. *Fures aperti*, qui aliena bona insciis & invitis dominis auferre gestiunt, & præceptum septimum palàm violant.

3. *Negotiatores subdoli*, qui proximum in cõmerciis defraudant, vel aliis rationibus pauperum bona absumunt.

4. *Alchymistæ vani*, qui Deum imitari & naturas rerum immutare tentant, ideoque successu prospero carent.

Hæc sunt illicita media, in verbo Dei prohibita, pietati & bonis moribus contraria.

Longè alia suo nobis exemplo Petrus cõmendat, cujus piscaturam si diligentiùs consideremus, vera χρηματιστική, velut in speculo visenda nobis exhibetur. Ut autem omnis ars suis canonibus Regulisq; cõstat, sic etiã sacra hęc Chrematistica

Quinq; Regula pro comparandis veris opibus.

tistica ex Petri piscaturâ emicans, sequentibus præceptis includi commodè potest.

1. Dei verbum diligenter audias.

I. DEI verbum diligenter audias. Refertur enim de turbâ, quòd Christo studiosè appropinquârit. In Græco est ἐπικεῖσθαι, quod significat proximè accedere, & velut alteri incumbere, ut ita summum audiendi studium denotetur.

Primum hoc est, & primarium in sacra Chrematistica. Si enim bona debent adjici, primùm quærendum est regnum Dei, *Matth. 6. v. 33.* Nihil capitur, quùm auditus verbi negligitur, si maximè per totam noctem laboretur. Nos ergò fervor hujus populi excitet, ut ante omnia Christo appropinquemur. Dei verbum thesaurus maximus est, quo nihil utilius, nihil præstantius. Mira operatur in cordibus nostris, & varios effectus gignit. Mentem illuminat, unde lucerna dicitur, *Psal. 119. v. 10.* cor amore cœlestium inflammat, hinc ignito carboni comparatur, *Esa. 6. v. 6.* animam pascit, *Matth. 4. v. 4.* sanat, *Sap. 16. vers. 12.* sanctificat, *Ioh. 17. v. 17.* vivificat, *Ioh. 6. v. 69.* & beatum reddit, *Luc. 11. v. 28.* Quis igitur ad thesaurum hunc capiendum non properet? Quis cum turba ad audiendum verbum non conveniat? Sed *proh dolor!* languescit hoc studium, & fervor omnis paulatim exstinguitur. Quot sunt, qui Christo imminent? Quot sunt, qui ad audiendum conveniunt? Dedecus est, salutis suæ adeò immemorem esse, ut verbum, unicum istud vitæ ὄργανον, vel prorsus negligatur, vel certè oscitanter audiatur. Hæc *Amici*, hæc illa causa est, quòd multi laborant, sed successus nullos sentiunt. Suo id Pe-

trus exemplo confirmat, qui ante Christi concionem nihil cepit, quamvis per totam noctem laboraverit. Sic multis denegatur benedictio, quia fordet ipsis verbi prædicatio. Hinc quærelæ istæ Petrinæ; *Laboravimus*: sed nihil cepimus. Prius igitur CHRISTUM concionantem audias; tum rectè procedet opus, nec labor tuus erit frustraneus.

2. Peculiarē navim habeas.

II. Peculiarem navim habeas. De Petro enim refertur, quòd naviculam certam possederit, quam Salvator postmodum est ingressus. Ita quisque suam navim habeat, hoc est, certo vitæ statui se addicat, & in legitimâ vocatione ambulet.

Duplex vocatio.

In Scholis dicitur. Vocationem esse geminam 1. *Communem*, quâ per vocem Evangelij evocamur è mundo, ut simus Christiani, de qua *2. Tim. 1. v. 9.* Sed illam hoc loco præsupponimus. 2. *Personalem*, quæ est legitima functio, certæ personæ propria, & hæc inprimis intelligitur, estque triplex, Deus enim tres status, quasi tres naviculas habet in hac mundi œconomia, unde oritur vocatio triplex, 1. Ad *Chorum*, seu Ecclesiastica. 2. Ad *forum*, seu Politica. 3. Ad *torum*, seu Oeconomica, quò spectat agricultura, mercatura, & omnes artes manuariæ. Ex his certum aliquod vitæ genus quivis sibi eligat, adeoque suam cum Petro peculiarem navim habeat. Qui enim otio indulget, vagabundi instar, nunc hæc, nunc illa tractare incipit; vel nihil vel parum capiet. Parentes igitur liberos suos curent, & rectè educent, quò cum tempore sibi suisq; honestè prospicere possint. Hoc DEUS ipse præcipit, natura suadet,

det, publica Reipubl. & privata liberorum ſalus efflagitat.

III. Rete tuum ejicias. Petro dicebat Chriſtus; *Duc in altum, & laxate retia veſtra.* Sic cuilibet noſtrûm dicitur etiamnum: *Duc in altum,* hoc eſt, labora & munere mandato diligenter perfungere. Ad labores enim conditi ſumus, *Gen. 2. v. 15. cap. 3. v. 19. Iob. 5. v. 7.* Nefas igitur eſſet tempus omne otio inſumere. Petrus quùm mandatum Chriſti audiviſſet, mox rete ſuum ejicit: Idem & nos audimus; ſed cur pigreſcimus? Deus ipſe operatur continuè, nec ulla eſt creatura, quæ otietur, ſed omnes vocationis ſuæ munia religiosè obſervant. Quàm ergo pudendum foret, in communi iſto & publico cœli terræq; labore nos, qui primi opus aggredi debemus, ſedere ſemper otioſos ſpectatores? Ad formicam nos ablegat Salomon, ut ejus exemplo invitemur ad diligentiam, *Proverb. 6. v. 6.* Labor canalis myſticus eſt, per quem varia bona ad nos dimanant. Qui autē non laborat, non manducet, *2. Theſſ. 3. v. 10.* Laborare qui negligit, maledictionem incurret. Scriptum enim eſt Jerem. 48. v. 10. *Maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter.* *3. Rete tuū ejicias.*

Videamus autem ut exemplo Petri retia laxemus & laboremus *in Chriſti nomine*, quod fit 1. *ſi auxilium Chriſti imploremus.* Nullius enim conatus absque Deo eſt ſalutaris, *Retia in nomine Chriſti laxāda ſunt, quod fit diverſimodè.*

Θεοῦ ᾿κ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος,

Non adjuvante, nîl valet labor, Deo.

Niſi Dominus ædificaverit domum, fruſtrà laborat, qui ædificat, *Pſal. 127. v. 1.* Sola Domini benedictio divites facit, *Prov. 10. v. 22.* Oremus ergò,

ut

ut naviculam noſtram unà adſcendat, & proſperos ſucceſſus impertiat.

2. *Si Chriſto promittenti confidamus.* Quia enim ſpem benedictionis fecit, plenâ fiduciâ laboremus. Ita Petrus ad ipſius verbum, adeoq; confidenter laxavit retia. Pari modo, ſi noſtra piſcatura nitatur verbo, non erit fruſtranea. Cogitet ergo miniſter verbi: *O Domine*, vocâſti me ad ſacram naviculam, & concredidiſti rete Evangelij, laxo hoc in nomine tuo, & nixus verbo, quod legitur Eſa. 55. v. 10. *Quomodo deſcendit imber, ſic erit verbum meum.* Cogitet Magiſtratus: *Mihi* commiſſum eſt rete politicum, laxabo iſtud vi verbi, Prov. 8. v. 10. *Per me Reges regnant.* Cogitet paterfamiliâs: *Rete* œconomicum habeo, ejiciam hoc in nomine Chriſti, qui ſpem fecit, Pſalm. 128. v. 2. *Labores manuum tuarum manducabis.*

3. *Si in legitima vocatione maneamus.* Non enim in Chriſti nomine laborat, qui ſtationem ſuam deſerit, & novum vitæ genus incipit. Qui manum ſemel aratro admovit, reſpicere non debet, *Luc. 9. v. ult.* Maneat Paſtor in Eccleſia, Magiſtratus in curia, nec miſceantur diſtincta officia, *Syr. 3. v. 22. cap. 11. v. 23.*

4. *Si eventum Deo committamus.* Faciebat hoc Petrus, & benè cedebat totum opus. Curis inanibus nil proficitur: Super Dominum illas jactemus, ipſe faciet, *Pſal. 55. v. 23.*

5. *Si ad Dei gloriam, & proximi ſalutem omnia dirigamus.* Hoc enim eſt in Chriſti nomine laxare retia, ſi ad Chriſtum referamus omnia. Hoc eſt militare bonam militiam, ſi retineamus fidem & bonam conſcientiam, *1. Tim. 1. v. 18. Illud* Deum,

huc

hoc proximum inprimis respicit. In omnibus ergo quæramus Dei honorem, *1.Cor.10.v.13.* & proximi utilitatem, *1.Thess.4. v.10.* Secus si fiat, nullus ex labore fructus sequetur, juxta comminationes, *Ierem.* 12.*v.* 13. *Oseæ* 8.*v.*7. *Mich.*6.*v.*15. *Hagg.* 1.*vers.*6.

IV. Socios ad juvandum advoces. Sæpè indigemus aliorum auxilio. Eos igitur advocemus, & isti succurrant. Petrus quùm annueret sociis, mox aderant: Ita mutuas semper jungamus operas. Nihil enim magis ædificat quàm concordia, & laborum conjunctio. Bonum est, fratres habitare in unum, *Psalm.133. v.1.* Ubi viget altercatio, ibi locum non habet divina benedictio. Lapis Tyrrhenus integer natat, fractus mergitur: sic Christiani quamdiu concordes manent, vincunt, divisi vincuntur. Si florere debet Resp. requiruntur mutua auxilia. Non deserat Pastorem Magistratus, non uxorem maritus, sed imitentur socios Petri, ut unà laborent, qui eandem benedictionem expectant. Secus si fiat, rumpentur retia in quovis statu, nec ulla felicis capturæ spes amplius esse potest reliqua. *4. Socios ad juvandum advoces.*

V. Gratias pro beneficiis agas. Petrus enim miraculum istud videns, ex verâ humilitate cordis procedit in genua. Ita non nobis, sed Deo tribuamus gloriam, *Psal.115.v.1.* Quid enim habemus, quod non accepimus? *1. Cor.4.v.7.* Minores sumus cunctis miserationibus Domini, *Genes.32. v.10.* Procidamus igitur & nos in genua & grates meritas agamus, quia *gratiarum actio est ad plus dandum invitatio*, dicente Chrysostomo. *5. Gratias pro beneficiis agas.*

Fit

Quo pacto gratias possimus agere?

Fit hoc 1. *Propriam imbecillitatem agnoscendo,* ne superbiamus, si quid laudabile gesserimus, sed Hugonis istud ingeminemus: *Mala mea purè mala sunt, & mea sunt, bona verò mea nec purè bona sunt nec mea sunt.*

2. *Deum verbis celebrando.* Bonum enim est confiteri Domino, *Psal. 92. v. 1.* & ipsum glorificare post auxilium, quod *Psal 50. v. 15.* requiritur.

3. *Egentibus benefaciendo.* Petrus non sibi soli servabat pisces captos, sed dividebat cum sociis: Ita & fontes nostri deriventur foràs, quia beatus est, qui dispergit pauperibus, *Psalm. 122. vers. 9.* nec gratius DEO præstatur officium, quàm si egenti proximo de bonis nostris subveniamus.

4. *Christum sequendo.* Ut Petrus cum sociis Christum secutus est, relictis omnibus: Ita & nos ipsi obtemperemus. Maxima enim laudis pars cõsistit in fidei obsequio. Uti Petrum, sic quemvis etiamnum Christus alloquitur. *Sequere me.* Absit igitur, ut fugiamus, vel nostras naviculas pluris faciamus. Si necessitas postulet, relinquamus omnia, modò Christum retineamus. Hic enim reddet centuplum *Marc. 10. vers. 30* & præsentiâ ejus hac mundi vespera inprimis indigemus. Dicamus ergo cum Emaunticis ex Luc. 24. v. 29.

Vespera jam venit nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

Hæc fuerunt illa *quinque Præcepta sacræ Chrematistica,* quæ si praxi ipsâ expresserimus, amplissimam cum Petro capturam faciemus, quod ut fiat, Deus bonorum omnium dator efficiat. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostra*

nostrarum dirigat, ad ipsius gloriam, Ecclesiæ commodum & nostram salutem, per Christum Iesum semper benedictum, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Matth. 5 à v. 20. usque ad 27.

De Iustitiâ Pharisaicâ.

V. 20. Ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Nisi abundaverit Justitia vestra plusquam Scribarū & Perischæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Es sey denn ewre Gerechtigkeit besser / denn der Schrifftgelehrten vnd Phariseer / so werdet jhr nicht in das Himmelreich kommen.

21. ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐ φονεύσεις, ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει.

Audistis dictum fuisse antiquis, non occides: & quisquis occiderit, reus erit judicij.

Ihr habt gehöret / das zu den Alten gesagt ist: Du solt nicht tödten / Wer aber tödtet / der sol des Gerichts schuldig sein.

22. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει· ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, Ρακὰ, ἔνοχος

Ego verò dico vobis: Quicunque irascetur fratri suo temerè, reus est judicij, & quicunque dixerit fratri suo Raka, reus est con-

Ich aber sage euch: Wer mit seinē Bruder zürnet / der ist des Gerichts schuldig. Wer aber zu seinē Bruder saget: Racha / der ist

ἔσαι

ἔσαι τῷ συνεδρίῳ· ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ μωρὲ, ἔνοχος ἔσαι τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

fessus: & quisquis dixerit fatue, reus erit gehennę ignis.

deß Raths schuldig: Wer aber sagt du Narr/ der ist deß Höllischen Fewers schuldig.

23. ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, κἀκεῖ μνησθῇς ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τὶ κατά σου.

Igitur si obtuleris munus tuum super altare, & illic recordatus fueris fratrem tuum retinere contra te inimicitiam aliquam:

Darumb/ wenn du deine Gab auff den Altar opfferst/ vnd wirst alda eindencken/ das dein Bruder etwas wider dich habe.

24. ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν πρόσφερε τὸ δῶρόν σου.

Dimitte illic oblationem tuam super altare, & abi: primùm redi in gratiam cum fratre tuo, & tum veni, offer oblationem tuam.

So laß alda für dem Altar deine Gabe/ vnnd gehe zuvorhin/ vnd versühne dich mit deinem Bruder/ vnd alsdann komme/ vnnd opffere deine Gabe.

25. ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ᾽ αὐτοῦ, μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπη-

Esto desiderabilis cum adversario tuo citò, dum adhuc cum illo es in via; ne fortè adversarius tuus tradat te Judici, & Judex tradat te ex-

Sey willfertig deinem Widersacher balde/ dieweil du noch bey jhm auff dem Wege bist/ auff das dich der Wiedersacher nicht dermal eins vberantworte dem Richter/ vnnd der Richter vberantworte dich dem

ρέτῃ,

ρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.

26. ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

actori, & incidas in domum vinctorum.

Amin enim ego dico tibi, te illinc non egressurum, donec reddideris octavum numulũ ultimum.

Diener/vnnd werdest in den Kercker geworffen.

Ich sage dir warlich: Du wirst nit von dañen herauß kommen / biß du auch den letzten Heller bezahlest.

Homilia.



MOSI præceptum dedit Dominus, ut super arcam propitiatorij collocaret duos Cherubim, vultibus se invicem respicientes, *Exod.* 25. *v.* 18. Notârunt hi inter cætera duo Testamenta, Vetus & Novum, quæ inter mutuus similiter respectus datur. Vetus enim est occultatio Novi, Novum est manifestatio Veteris. Latet in Veteri Novum, patet in Novo Vetus. *Duo Testamenta.*

Uti verò duo Testamenta, sic & duæ præcipuæ partes sunt doctrinæ Christianæ: Altera *Lex*, altera *Evangelium* nominatur. Lege *Vetus* Testamentum, Evangelio *Novum* est confirmatum. *Lex* terret, *Evangelium* solatur. *Lex* opera, *Evangelium* fidem postulat. *Ista* urget ἀκριβοδίκαιον, *hoc* monstrat ἐπιείκειαν. *Ista* dicit, τοῦτο ποίει, *Luc.* 10. *v.* 29. *hoc*, μόνον πίστευε, *Marc.* 5. *v.* 36. *Ista* præceptiones, *hoc* promissiones continet. *Ista* παιδολογίαν; *hoc* φαρμακουδικὴν, indicat. Per *istam* terrentur præfracti, per *hoc* eriguntur timidi. *Duæ partes doctrinæ Christianæ, Lex & Evangelium.*

Quamvis autem utraq; doctrina in se sit distinctissima, in Praxi tamen mutuas sibi tradunt ope-

ras, & instar Cherubinorum se invicem respiciunt, quia *Lex* contritionem, *Evangelium* fidem operatur, atque sic *utrumque* ad excitandam pœnitentiam concurrit. Hinc doctoris est, utramq; doctrinam proponere, atque sic de thesauro suo vetera & nova proferre, *Matth. 13. v. 52.* Fecit hoc Johannes Baptista, peccatores arguendo per Legem, *Matth. 3. v. 7.* pòst agnum Dei monstrando per Evangelium, *Iohan. 1. vers. 29.* Sic Petrus *Act. 2.* Judæos primùm increpat, *v. 32.* pòst salutis modum indicat, *v. 38.* Idem observat Esaias *cap. 1. v. 2. & 18.* & Paulus in Epistolis ad *Romanos & Ephesios.*

Vtraque doctrina conjungendæ in Praxi.

Exemplo Christi.

Hoc ipsum pensi habuit Christus Jesus, scriba & doctor absolutissimus, qui licet ad Evangelium prædicandum inprimis venerit, non tamen Legis explicationem intermisit. Nulla enim vel gravior vel prolixior de Lege concio fuit à Christo habita, quàin monte coram discipulis, quæ descripta extat apud *Matth. cap. 5. 6. 7.*

Ex illa est desumta pericope hodierni Evangelij, cujus duæ sunt Partes.

Summa Evangelij.

1. Continet *brevem de Iustitia admonitionem, vers. 20.*

2. *Solidam quinti præcepti explanationem, vers. 21. seqq.*

Propositio.

Nos primam consideraturi, dicemus *de Iustitia in genere, ejúsque speciebus singulis.* Licet enim Christus Pharisaicam tantùm hîc taxet, nos tamen & cæteras justitiæ species adjungemus, & quæ vera, quæ falsa sit, breviter ostendemus.

Iehovah, Pater justitiæ, nos regat, ut justa dicamus & faciamus, Amen.

ἘΞΉΓΗΣΙΣ.

JUstus est Dominus, *Psal.* 119. *v.* 137. & omnes viæ ejus judicia, *Deut.* 32. *vers.* 4. nec delectatur ullâ iniquitate, *Psal.* 5. *v* 5. Deum igitur præsentem & propitium habere si velimus, veram justitiam ante omnia inquiramus. Non enim cohabitat cum injustis, nec introibit malevolam animam, *Sap.* 1. *v.* 4.

Huc spectant prima Christi verba in Evangelio dicentis: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non poteritis ingredi regnum cœlorum.* Hic geminæ tantùm justitiæ, quæ est inter Deum & hominem (de Politica enim vel Ethica inter hominem & hominem justitia hîc non agimus) mentionem facit Salvator, 1. *Pharisaicæ* 2. *Veræ*; quàm abundantiorem vel meliorem indigitat. Quia enim solos Pharisæos tum refutare in animo habebat, cæteras justitiæ species silentio involvit. Nos illas addituri, *quintuplicem* dari inprimis justitiam hominis, secundum distinctos status considerati asserimus, & singulas species paucis exponemus. *Quinque species justitiæ.*

Prima est Iustitia concreata, quæ alio nomine justitia *Originalis* dicitur, & nihil fuit aliud, quàm ipsa Dei imago, cujus ratione homo in justitia & sanctitate pronunciatur conditus, *Eph.* 4. *v.* 24. Homo enim in primo post creationem statu excellentem habuit cum Deo πρωτοτύπῳ conformitatem, quæ in Scholis *gemina* statuitur, secundaria & primaria. *1. Concreata.*

Secundaria fuit sita in conditione corporis, quod ad immortalitatem conditum, *Gen.* 2. *v.* 17. *Sap.* 2. *v.* 23. *Rom.* 5. *v.* 12. *c.* 6. *v.* 23. & dominio super *Status primi hominis explicatur*

animantia, quod describitur, *Gen. 1. v. 26. Syr. 17. v. 3. 4.* Sed hæc ad ipsam justitiæ concreatæ rationem non pertinent: In *primaria* conformitate illa posita est, quæ triplex.

1. Intellectus Deo conformis extitit, quoad *sapientiam*, uti probant tum Scripturæ dicta, *Gen. 1. v. ult. Eccles. 7. v. 30. Syr. 17. v. 5. Coloss. 3. v. 10.* tum Adami facta, ut nominum impositio, *Gen. 2. v. 19.* & Evæ agnitio, *v. 23.*

2. Voluntas conformitatem habuit cum Dei *Sanctitate & Justitia*, sic ut propenderit ad bonum, & facilè illud exequi potuerit, *Eph. 4. vers. 24. Syr. 17. v. 3.* Unde *Damascenus* lib. 2. de Orth. fid. cap. 14. scribit: Adamum non tantùm conditum esse ἄκακον vel justum, sed etiam ἐνάρετον καὶ εὐθῆ virtuosum rectúmque, & omnibus bonis ornatum.

3. Appetitus conformis fuit Deo quoad *castitatem, puritatem & integritatem.* Nec enim in Adamo regnavit ulla ἐπιθυμία vitiosa, ideoque nudus non erubescebat, *Genes. 2. v. 5.* Nulli aderant affectus inordinati, nulla libido vel intemperantia, sed rectæ rationis arbitrio omnes motus appetitus erant subjecti, *tum* quoad excitationem, *tum* quoad durationem, & gradus, ut justo nec essent intensiores, nec remissiores. Uno verbo, summa fuit integritas, rectitudo & harmonia in omnibus potentiis sine difficultate, sine omni luctâ & rebellione.

Atque hæ tres conformitates vel excellentiæ uno nomine dicuntur *Justitia Originalis*, quæ abundans satis fuit, ab illa tamen differt, cujus mentio fit in hodierno Evangelio. Per

hanc

hanc enim regnum cœlorum ingredimur, per *illam* non item.

Papicolæ quidem autumant, Adamum in ſtatu innocentiæ per bona opera mereri potuiſſe ſalutem, ſed falsò, Nam 1. Adamus erat ad vitam conditus, ut primùm illam mereri neceſſe non habuerit. 2. Bona opera jam antè erant debita, quippe quæ creator in ſignum gratitudinis exigebat. 3. Et illa juſtitia pars fuit vitæ beatæ, regniq; cœlorum, *Rom.* 14. *v.* 18. Ergò non potuit eſſe cauſa ſalutis meritoria.

An Adamus in ſtatu innocentiæ ſalutem mereri potuerit.

Verùm non diu illam retinuit homo, ſed poſt creationem ſtatim amiſit. Libero enim arbitrio præditus fuit, ut cultum Deo exhiberet ſpontaneum, quare poteſtatem habuit tum perſiſtendi, tum deficiendi, *Syr.* 15. *v.* 14. per Satanæ autem ſuggeſtiones, Dei mandatum violavit, adeoque juſtitiam concreatam *proh dolor!* amiſit, cui protinùs ſucceſſit in mente ignorantia, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. *Eph.* 4. *v.* 18. in voluntate malitia, *Gen.* 6. *v.* 5. *cap.* 8. *v.* 22. *Pſal.* 14. *v.* 23. *Rom.* 3. *v.* 9. in appetitu contumacia, *Rom.* 7. *v.* 23. *Gal.* 5. *v.* 17. in omnibus potentiis rebellio & ἀταξία, *Iob.* 14. *v.* 4. Quùm igitur: Originali juſtitiâ privatus ſit homo per lapſum, de cæteris porrò ſpeciebus dicendum ſupereſt.

Secunda igitur eſt Phariſaica, quùm ex operibus Legis juſtificatio præſumitur. *Phariſæi* Judæorum Theologi erant, ſed hæreticiſſimi. Ut enim nihil dicam de erroribus ipſorum circa perſonam, officium, & regnum Meſſiæ, inprimis doctrinam de Juſtitia fœdiſſimè corruperunt. Fuit enim illorum hypotheſis: *Iuſtitiam & vitam æter-*

2. Phariſaica.

Phariſæorum opinio

de justitia hominis.

æternam consistere in legis impletione. Viderunt autem omnia, etiam minutissima, servari non posse ob impetum concupiscentiæ & vitiosos motus interiores. Finxerunt igitur talem distinctionem, quædam mandata Legis esse *minima*, quædam *magna*. Minima internam rectitudinem postulare, magna externam obedientiam. Si quis minimis non satisfacit, sufficere, si observet magna & foris benè operetur. Hoc ipso enim justũ constitui coram Deo, quod patet ex oratione thrasonica istius Pharisæi, *Luc 18. v. 11.* Hæc opinio, quia cum ratione convenit, suadente, ut leges ferantur πρὸς τὸ δυνατὸν, concinna visa fuit, & Pharisæos ita inflavit, ut opera sua judicio Dei opponere non dubitârint.

Quinque hypotheses Pharisaicæ.

Ex quibus patet, opinionem Pharisaicam de justitia; in *quinque Hypothesibus* consistere, 1. Salutem dari ex operibus Legis. 2. Hanc igitur esse implendam. 3. Quod quùm plenè fieri nequeat, esse discrimen faciendum inter præcepta magna & minima. 4 Satis esse si observentur magna, & abstineatur à peccatis crassioribus. 5. Hanc externam sanctitatis larvam esse veram & coram Deo valentem justitiam.

Eam verò Salvator expresè rejicit, ut vanam pudidámque, & longè abundantiorem seu pleniorem suis discipulis inculcat. Duo igitur facit præsenti Evangelio.

Sex defectus justitiæ Pharisaicæ.

1. *Imperfectionis arguit justitiam Pharisaicam*, Nisi abundaverit, &c. Multos enim defectus habuit, quos veteres ita recensuerunt, quòd fuerit, 1 Justitia *externa*, non interna, unde comparantur sepulcris dealbatis, *Matth. 23. vers. 23.* quia foris

foris mundi apparebant, intùs rapinâ pleni erant, v. 25. putantes legem cohibere manus, non animum: prohibere homicidium, non odium. 2. Justitia *mercenaria*, non ex fide & charitate Dei profecta. Ideò enim benè agebant exteriùs, ut salutem Deo quasi extorquerent, & suis meritis triumpharent. 3. Justitia *cum elatione conjuncta & humilitate vacua*. Omnia enim fecerunt, ut viderentur ab hominibus & laudarentur, *Matth.* 13. v. 5. Huc spectant crebra jejunia, eleemosynæ largæ, orationes publicæ, quæ omnia, *Matth.* 6. prolixè describuntur. 4. Justitia *austera quoad alios, remissa in factis propriis*. Dixerunt enim sed non fecerunt, *Matth.* 23. v. 3. Alligârunt onera gravia imponentes super humeros hominum, sed movere noluerunt, v. 4. deglutientes camelum in propriis, culicem colantes in factis alienis, v. 24. 5. Justitia *humana* non divina. Varias enim ἐθελοθρησκίας excogitârunt, & seniorum ἐντάλματα urserunt, de præceptis Dei & eorum observatione non ita soliciti. Unde Christus, *Matth.* 15. v. 3. accusat ipsos, quòd Dei mandata ob traditiones transgrediantur. 6. Justitia *incipiens*, ad finem non perveniens. Aliquid fecerunt, sed præcipuum omiserunt. Finis Legis Christus est, ad quem adeò non pervenerunt, ut omnibus modis oderint & cruci affixerint. Hinc verâ fide in Messiam caruerunt, & per consequens nulla ipsorum opera Deo placere potuerunt, *Rom.* 14 *v. ult. Heb.* 11. *v.* 6. Quùm igitur tot & tanta Pharisæorum Justitiæ desint, rectè pronunciatum est, *Nisi abundaverit Justitia vestra, non intrabitis regnum cœlorum.*

II. *Veram Legis sententiam tradit*, per exemplum quinti præcepti. Glossa Pharisaica erat jam à multis annis recepta, tantùm prohiberi malitiosa homicidia per legem hanc, *Non occides*. Christus igitur verum sensum traditurus inquit: *At ego dico vobis*, quæ verba non legi Mosaicæ (quippe quam minimè solvit, *Matth. 5. v. 17.* & quæ interna odia non minùs prohibet, *Levit. 19. v. 17. 18. Psal. 112. v. ult.*) sed glossæ Pharisaicæ opponit, & deinde quot modis lex illa violetur, innuit. Nam proximus occiditur 1. *Manu*, vel palam vel clanculum. 2. *Corde* per iram, ubi non intelligitur zelus ex officio debitus, sed privatum vindictæ studium. 3. *Gestu*, si quis dixerit *Racha*, sub qua voce omnia signa & gestus malevoli iratiq; animi comprehenduntur. 4. *Linguâ*, per detractionem, mendacia, & famæ proximi arrosionem. Tot nempè & tàm varia peccatorum genera quinto præcepto sunt prohibita, quibus distincti etiam pœnarum gradus destinantur vocabulis ex foro Judaico desumtis, & æternam pœnam, distinctim tamen, significantibus, quæ omnia fusè & eruditè exponit *Chemnitius*, in Harm. Evang. *cap. 51.* Eò autem tendit prolixa isthæc Christi concio, Legem non superficialem & externam, sed perfectissimam requirere obedientiam & rectitudinem in factis, dictis, cogitatis, siquidem offendens in uno, factus est omnium reus, *Iac. 2. v. 10.* & maledictus dicitur, qui non permanet in omnibus, *Deut. 29. v. ult. Gal. 3. v. 10.* minimusque vocatur in regno Dei, hoc est, nullus, qui unum de mandatis minimis solverit, *Matth. 5. vers. 19.* Quùm verò impossibilis sit in hac carnis infirmitate

mitate tanta perfectio & omnimoda Legis impletio, hinc concluditur, justitiam Pharisaicam esse vanam, & neminem posse ex operibus Legis justificari, *Rom. 3. v. 20. Gal. 2. v. 16. Esth. 2. v. 8.* Cessent igitur Monachi jactare suas opellas, cessent hypocritæ in operibus spem ponere. Imperfecta sunt omnia, & in judicio Dei consistere nequeunt. Quare alia quærenda est justitia, melior & abundantior, quæ peculiarem nobis speciem constituet.

Tertia proinde species est Iustitia imputata, vel Evangelica, quæ non est quærenda in nobis, ob naturæ depravationem, & impossibilem Legis impletionem; sed extra nos, non quidem apud homines alios, quum frater fratrem non redimat, *Psalm. 29. v. 8.* nec apud Angelos, quorum opera jam antè sunt debita, nec infinito precio pollent, verùm unicè apud Christum Jesum, Mundi redemtorem. Hic enim solus nostra est justitia, *Ierem. 23. v. 6.* Factus à Deo nostra redemtio, 1. *Cor. 1. v. 30.* quia prius factus est pro nobis maledictum, *Gal. 3. v. 12.* Hic profitetur se venisse ad Legem non destruendam, sed implendã, *Matth. 5. v. 17.* Satisfecit autem Legi duobus modis (1) *Agendo*, dum omnia, quæcunque lex à nobis requirit, pro nobis præstitit, & reipsâ implevit, quæ obedientia in Scholis vocatur activa, de qua *Rom. 5. v. 8. & seqq.* (2) *Patiendo*, dum maledictionem Legis in se recepit, & pœnas omnes nostri loco sustinuit, quæ obedientia nominatur passiva, de qua *Esa. 35. vers. 4. 2. Cor. 5. v. ult. Heb. 9. v. 13.*

3. Imputata.

Christus satisfecit

Agendo.

Et Patiendo.

Atque hæc eſt illa melior juſtitia quam Chriſtus hoc loco intelligit & commendat. Quia verò extra nos eſt, medium requiritur, cujus interventu noſtra fiat. Tale non eſt aliud quàm *fides*, quæ in meritum Chriſti fertur, & per quam illud nobis applicatur. Hinc Apoſtolus paſſim ex fide nos juſtificari ſcribit; & fidei juſtitiam inculcat.

Fidei partes. Fides autem tribus vulgò partibus conſtare dicitur, 1. *Notitia*, 2. *Aſſenſu*, 3. *Fiducia*. Priora duo ſunt etiam non renatis, imò & diabolis communia, *Iac. 2. v. 19.* Tertium forma eſt juſtificantis fidei, & nil aliud notat, quàm fiducialem meriti Chriſti apprehenſionem, quando non tantùm in genere Chriſtus Mundi Redemtor ſalutatur, ſed quivis in ſpecie ſuum eſſe Redemtorẽ, & propter ejus meritum ſibi etiam peccata remitti firmiter credit, & confidit.

Iuſtificatio conſiſtit in gemina imputatione. Hâc fiduciâ poſitâ ſtatim ponitur juſtificatio, quæ conſiſtit in *duobus* actibus, quorum *prior* vocatur imputatio affirmata, per quam Chriſti juſtitia, ac ſi noſtra eſſet, imputatur: *poſterior* negata, quum nobis peccata non imputantur, ac ſi non ineſſet. Hæc eſt juſtitia verè Evangelica, quâ ſalvatus eſt Abraham Pater credentium, *Rom. 4. v. 1. & ſeqq.* Daniel Propheta, *cap. 9. v. 7.* & Patres univerſi, *Act. 15. v. 11.* Quòd ſi igitur juſtitia noſtra debet abundans eſſe & ſufficiens, ad ſolum Chriſtum confugiamus, & quod nobis deeſt, per illius ſatisfactionem pleniſſimam compenſari firmiter perſuaſum habeamus.

4. Inchoata. Sequitur ſpecies quarta, nempè Iuſtitia inchoata. Quum enim à peccatis abſoluti ſumus, ob Chriſti meritum nobis per fidem imputatum, ſub-

ſubſequi debet nova obedientia & ſtudium bonorum operum. Licèt enim hæc *ad* ſalutem neceſſaria non ſint, requiruntur tamen ut fructus fidei, quæ per Charitatem ſemper eſt efficax, *Gal.5. v.6.* Uti Sol absq; radiis; ſic fides absq; bonis operibus eſſe nequit. De juſtitia igitur ſi gloriaris, vitæ ſanctimoniâ illam oſtendas. Paſtor es? Doce, argue mone, increpa. Magiſtratus es? cultum Dei promove, & æquitati ſtude. Privatim vivis? Pietatem exerceas in Deum, charitatem in proximum, ut lux tua coram hominibus luceat, & Pater tuus cœleſtis glorificetur, *Matth.5.v.16.*

Et hæc eſt juſtitia coram hominibus in foro ſoli, quæ juſtificationis Evangelicæ coram Deo teſſera conſtituitur, & à Jacobo commendatur, *cap.2.* Eſt autem duntaxat inchoata, non plena, ut Papicolæ ſibi imaginantur. 1. *Ob* ſummam Legis perfectionem. 2. *Ob* concupiſcentiæ adhæſionem. 3. *Ob* perpetuam carnis Spiritusq; luctâ, 4. & ſucceſſivam hominis renovationem. Fit enim hæc de die in diem paulatim, non ſtatim: & tollitur in Baptiſmo concupiſcentia non ut non ſit, ſed ne obſit.

Cur juſtitia inhærens tantùm inchoata ſit.

Reſtat ultima ſpecies nimirum Iuſtitia Conſummata, quâ decorabimur in alterâ vitâ poſt glorioſam corporum reſurrectionem. Tum enim evocabitur quod ex parte eſt, *1.Cor.13.v.10.* tum intellectus coronabitur perfectâ ſcientiâ, voluntas perfectâ ſanctitate, vires omnes perfecta rectitudine. Nullum amplius peccatum inerit, quia purgatio plena præcedet. Quatuor ſunt in peccato, *1.Reatus, 2.Dominium, 3.Senſus, 4.Radix.* Reatus aufertur per *Iuſtificationem*, dominium per *Renovationem,*

Conſummata.

Peccatum Originis quatuor includit.

vationem, ſenſus per *Mortem*, radix per *Cineſfactionem*, & reſurrectionem, ut futuri ſimus ἰσάγγελοι, *Matth.* 22. *v.* 30. liberati à carne, exornati virtute, videntes Deum de facie, & diligentes toto pectore.

Hanc juſtitiam ſi deſideramus, hîc priùs ita vivamus, ut in numero juſtificatorum reperiamur. Non enim ſequetur conſummatio, niſi præceſſerit inchoatio, & juſtitiæ à Chriſto præſtitæ imputatio. Quæ quum in noſtris viribus non ſint, Deum juſtitiæ fontem ſupplices veneramur, ut in nobis reſtituat quod Adamus perdidit, ut fugientes juſtitiam hypocriticam, conſequamur Evangelicam; ut ſanctitas hîc inchoetur, in cœlo conſummetur per Chriſtum Jeſum Juſtitiæ Doctorem & Reparatorem in ſecula honorandum. Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA VII. POST TRINITATIS,

Marc. 8. *à Verſ.* 1. *uſque ad* 10. *Matth.* 15. *v.* 32.

De quatuor millibus à Chriſto ſaturatis.

v. 1. ΕΝ ἐκείναις ἡμέραις, παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι; προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγει αὐτοῖς:

IN illis autem diebus, quum turba multa eſſet, nec eſſet quicquã quod ederent, advocavit diſcipulos ſuos, & ait illis:

ZU der Zeit / da viel Volcks da war / vnnd hatten nicht zu eſſen / Rieff JEſus ſeine Jünger zu ſich / vnnd ſprach zu jhnen:

σπλαγ-

2. σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι.

Misericordiâ cõmoveor super turbam hanc; quippe qui jam triduum congregati sint (*præstolentur*) apud me, nihilque habeãt q̃ comedãt

Mich jammert deß Volcks / denn sie haben nun drey Tage bey mir beharret / vnd haben nichts zu essen.

3. καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν, ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ. Τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι.

Quod si dimisero eos ad domũ suã; quum jejuni sint, deficiet in via: quidam enim ex eis è longinquo venerunt.

Vnd wenn ich sie vngessen von mir heim liesse gehen / würden sie auff dem Wege verschmachten / denn etliche waren von ferne kommen.

4. καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτων ἐπ' ἐρημίας;

Dicunt ei discipuli ejus: Unde nam potest aliquis hîc in deserto saturare Pane illos omnes?

Seine Jünger antworten jhm: Woher nemen wir Brodt hie in der Wüsten / das wir sie settigen?

5. καὶ ἐπηρώτα αὐτούς, πόσους ἔχετε ἄρτους; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.

Et interrogavit eos quot Panes haberent, dicunt ei: septem.

Vnd er fraget sie / Wie viel habt jhr Brods? Sie sprachen: sieben.

6. καὶ παρήγγειλε τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἵνα

Et præcepit turbis ut discumberent humi, accepitque illos septẽ Panes, & benedixit, fregitque, ac dedit discipulis su-

Vnd er gebot dem Volck / das sie sich auff die Erden lagerten. Vñ er nam die sieben Brodt / vnd dancket / vnnd brach sie / vnd gab

παρα-

παραθῶσι. καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ.

is ut apponerent. Et appoſuerunt turbis.

ſie ſeinē Jüngern/ das ſie dieſelben fürlegten. Vnd ſie legten dem Volck für.

7. καὶ εἶχον ἰχθύδια ὀλίγα· καὶ εὐλογήσας, εἶπε παραθῆναι καὶ αὐτά.

Erant & piſciculi pauci, ſuper quos etiam benedixit, dixitque ut eos apponerent.

Vnd hatten ein wenig Fiſchlein/ vnd er dancket/vnd hieß dieſelben auch fürtragen.

8. ἔφαγον δὲ, καὶ ἐχορτάσθησαν· καὶ ἦραν περισσεύματα κλασμάτων, ἑπτὰ σπυρίδας.

Et comederūt, & ſaturati ſunt: cæterùm ſuſtulerūt reliquias fragmētorū ſeptem ſportas.

Sie aſſen aber/ vnd wurden ſatt/ vnd huben die vbrigen Brocken auff/ ſieben Körbe.

9. ἦσαν δὲ οἱ φάγοντες ὡς τετρακισχίλιοι. καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς.

Erant autem homines qui comederāt circiter quater mille. Et dimiſit eos.

Vnd jhrer waren bey vier tauſent/ die da geſſen hattē. Vnd er ließ ſie von ſich.

Homilia.

Quinque claves divinæ.



Q Uinque inprimis claves Deo attribuerunt Veteres, quibus ſeras difficilimas in Scripturis aperire dicitur. Prima eſt *Pluviæ*, quâ cœlum aperit, *Deut. 28. v. 12.* Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum, & tribuet pluviam terrę tuæ in tempore ſuo. Secunda eſt *annonæ*, quâ jumenta & homines paſcit, *Pſal. 145. 16.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Tertia eſt *generationis*, quâ naturæ adyta reſerat, *Gen. 30. v. 22.* Recordatus quoque

Domi-

Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit uterum ejus. Quarta est *Resurrectionis*, quâ tumulos aperit, & portas mortis perfringit, *Ezech. 37. v. 22.* Ecce ego aperiam tumulos vestros: quam ob caussam Christus dicitur habere claves mortis & inferni, *Apoc. 1. v. 18.* Quinta denique est clavis *æternæ beatitudinis*, quâ Paradisus aperitur, cujus janua virginibus fatuis clausa dicitur, *Matth. 25. vers. 10.*

Inter has verò claves secunda & maxima & fortissima meritò censetur, quia usus ejus tùm ad omnes extenditur, tùm perpetuò continuatur. Fecit isthæc mirabilem aperturam in deserto, *Summa Evangelij.* dum septem panibus quatuor millia hominum sunt saturata, quæ historia hodierno Evangelio descripta extat. Magna multitudo convenerat ad Christum: Quum verò nihil esset, quod ederent: Salvator per clavem annonæ aperuit thesauros suos, & paucis panibus pisciculisque ita benedixit, ut saturatis hominibus, septem sportæ fragmentorum reliquæ manerent. Ita nimirum adjiciuntur cætera, si primùm quæratur regnum Dei, & ejus justitia, *Matth. 6 vers 33.* Unde simul apparet, quàm aptè cohæreant textus Dominicales.

Ante *octiduum* enim audivimus de vera Justitia, quæ primùm quærenda est: *hodiè* indicatur præmium temporale, quòd reliqua ad Corporis sustentationem spectantia per benedictionem divinam mox adjiciantur. Christus enim miseretur turbæ, nec illam inediâ sinit perire.

Duas verò partes Evangelium continet: Priori describitur *antecedens colloquium Christi cum* *Partes Evangelij.* *discipu-*

discipulis: v. 1. 2. 3. 4. 5. Posteriori *subsequens miraculum*, v. 6. & seqq.

Propositio. Nos Canonis Apostolici memores, *Heb. 12. v. 2.* Christum intuebimur, ejusq; actiones distinctim considerabimus, quæ nobis in memoriam revocabunt partim *ejus beneficium*, quod in corporali sustentatione exhibetur, partim *nostrum officium*, quod necessariò requiritur, nisi divinâ benedictione privari velimus. *Det Deus*, ut animæ nostræ pane spirituali, corpora naturali semper reficiantur, & saturentur, Amen.

Ἐξήγησις.

Duo Evangelia messis tempore Circa messis tempora, quotannis duo Evangelia Oeconomica proponi solent. *Alterum* quintâ post festum Trinitatis, *alterum* hodiernâ Dominicâ. *Illud* agit de divite piscatura Petri, *hoc* de egestate populi, qui tamen benedictione divinâ tandem saturatur. Textus hi accommodati & verè *de tempore* sunt. Messem enim facimus *vel* largam, *vel* parcam. Si *largam*, docet piscatura Petri, à Christo benedicente id omne proficisci, ne simus ingrati; si *parcam*, docet hodiernum miraculum, paucos etiam panes ad sustentationem sufficere, ne simus timidi & diffidentes. Manus hominum plerunque oculatæ sunt, ut credant, quod vident. Hinc pusillanimes fiunt, nisi tantum habeant, quantum ad alimoniam requiri putant. Ex quo suboritur quæstio. *Quid manducabimus, quid bibemus?* Matth. 6. v. 25. *Vnde sumemus panem in deserto?* Matth. 15. v. 33. Huic autem vanæ solicitudini & diffidentiæ obviam ire possumus, si Christum intueamur, qui se hodie pro-

promumcondum declarat benigniſſimum. Ita ſe gerit omninò, ut eſurientes impleantur bonis, neque inanes dimittantur, *Luc.1.v.53.* Totum igitur miraculi proceſſum & ſingulas Chriſti actiones, quæ ad noſtram tum conſolationem,tum informationem faciunt, paucis videbimus, & illarum ſex inprimis numeramus.

Sex actiones Chriſti, in hoc Evangelio notandæ.

I. Eſt Paterna commiſeratio. Quum enim Chriſtus videret populum egentem, σπλαγχνίζομαι, inquit, *Miſereor ſuper turbam, v. 2.* Omnia σπλάγχνα ſive viſcera mihi commoventur, cor meum tangitur, & ſeriò afficitur, quando hunc eſurientem populum intueor. Hujus autem miſerationis quatuor cauſſas recenſent Patres.

1. Paterna commiſeratio.

Prima fuit *proprietas naturæ.* Chriſtus enim non tantùm homo, ſed ſimul DEUS eſt, ex utraq; parte miſericors. Quia homo eſt,homini compatitur, *Heb. 2. verſ. 27.* Quia Deus eſt, homini clementer & paternè ſubvenit. Miſerator enim & Miſericors Dominus, & multùm Miſericors, *Pſ. 103.v.8.* Deo proprium eſt miſereri ſemper & parcere, inquit *Gregorius.*

Quatuor anſæ miſerationis Chriſti.

Secunda fuit *numeroſitas turbæ.* Si nec unum Deus facilè perire ſinit,multò magis totius populi curam ſuſcepit. Unius preces audit, & multorum reſpuat? Ad orationem Moſis eduxit aquam de terra, & miſit coturnices, *Exod. 16. v. 13. cap. 17. v. 6.* Ad Eliæ preces reddidit pluviam, *1. Reg. 18. v. 45.* & multiplicavit farinam, *1. Reg. 17. v. 16.* Cur non multò magis miſereatur ſuper turbam, quæ ore famelico ad ipſum clamitat?

Tertia fuit *populi pietas & pœnitentia.* Jam enim triduum apud Chriſtum commorati erant,

& verbum attentè audierant. Pietas verò magnus quæstus est, *1. Tim. 6. v. 6.* promissiones habens, *1. Tim. 4. v. 8.* ideoque non est defectus timentibus Deum, *Ps. 24. v. 10.*

Quarta fuit *victus indigentia & inopia*, quæ oriebatur ex consumtione ciborum, ex ariditate loci, & distantia domorum. Manna prius datum nō est, quàm farina Ægypti defecisset, *Exod. 16. v. 1.* Ita Christus de miraculosa refectione non cogitavit antequam commeatus deesset. Quum autem humanum cessaret auxilium, jam incepit divinum, & cor Christi misericordiâ tactum est.

Miseratio Christi summam parit cõsolationem.

Fluit ex hoc fonte larga consolatio. Eget quis inter nos, & in miseriis hæret? non abjiciat animum: Christum habemus σπαγχνιζόμενον, qui miseretur nostri & compatitur. φιλάνθρωπος est, non μισάνθρωπος ideoque apud Oseam ait, cap. 11. vers. 8. *Conversum est in me cor meum, & simul exarserunt in me miserationes meæ.* Hinc Pater misericordiarum dicitur, *2 Cor. 1. v. 3.* quia dives est in misericordia, *Ephes. 2. v. 3.* & universæ viæ Domini misericordia & veritas, *Psal. 25 v. 10.* Homines nonnunquam gaudent alienis malis, gaudent annonæ charitate, nec miserentur turbæ indigentis: Christus aliter animatus est. Oculi ejus super justos, & aures ejus in preces eorum, *Psalm. 34. v. 16.* Ecce! eruit à morte animas, & alit pios in fame, *Psalm. 33. v. 19.* Sic alit Judæos in deserto, *Exod. 16 v. 35.* Eliam in exilio, *1. Reg. 19. v. 1.* Danielem in lacu, *cap. 6. v. 22.* Licet igitur famem nonnunquam immittit, vicissim tamen tollit. Facit opus alienum, ut exequatur proprium, *Esa 28 v. 32.* Patrem imitatur, qui filio inobe-

dienti

dienti cibum denegat, pœnitenti & petenti prõptè porrigit : Ita Deus benedictionem quandoq; subtrahit, ut ardentiùs illum invocemus. Quod si fiat, paratus est ad auxilium, & repetit suum *Misereor*. Respicit orationem egentium, nec spernit preces eorum, *Ps. 102. v. 18.*

Neq; verò solum cor tangitur misericordiâ; sed insuper membra omnia nobis succurrunt, ut docemur in Evangelio. Vident *Oculi* egestatem; properant *Pedes* ad auxilium, *Manus* accipiunt panes, ut distribuantur, & saturetur populus. O misericordiam inexhaustam! O Salvatorem mitissimum? Cur soliciti simus de victu? Deum habemus, qui providebit & miserebitur.

Imitemur populum, si volumus Christum habere misericordem

Nos autem si tanto beneficio frui volumus, populum imitemur, 1. Christum *sequendo*, 2. Verbum *audiendo*, 3. Constanter *perseverando*. Hæc enim caussa affertur à Christo: *Misereor, quia triduò manent apud me.* Maneamus & nos ut misericordiam impetremus. Perseverandum est in pietate & precibus, si dona cœlitus accipere volumus, exemplo tum Cananeæ, *Matth. 15. v. 24.* tum pulsatoris importuni, *Luc. 11. v. 7.* Et sanè quem alium sequamur, apud quem lubentiùs perseveremus quàm apud Christum? An Rex potentior, Dominus sublimior, Pater amantior, Sponsus formosior haberi potest? Dicamus cum Ecclesia; *Tenui eum non dimittam*, Cant. 3. v. 4. Dicamus cum Petro: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, Joh. 6. v. 68.

2. Diligens provisio.

II. Diligens provisio. Non tantùm miseretur, sed reipsa curat pro populo, & de victu comparando solicitus est. Accedit discipulos, &

cum iis deliberat, v. 14. Potuisset utique pro infinita sua potentia populum absque cibo conservare, ut Mosen *Exod. 34. v. 28.* & Eliam, *1. Reg. 19. v. 8.* vel varias escas è nihilo producere, sicut omnia condidit ex nihilo, *Gen. 1. v. 1. & seqq. Rom 4 v. 17.* sed ab ordinario pascendi modo non vult omninò recedere, qua de caussâ colloquium cum Apostolis instituit; qui respondent: *Vnde sumemus panem in deserto, ut hi satientur?* De pane agitur, non de lautis ferculis, ut discamus contenti esse cũ Salomone, *Prov. 30. 8.* Deserti mentio fit, nimirum ejus, in quod Christum secuti erant. Multi desertum sibi ipsis contrahunt per crapulam & luxuriam, quos à Deo puniri justum est: Qui verò in desertum veniunt, non suâ culpâ, sed Christum sequendo, pro iis curam gerit, & panes conquirit, ut satientur. Christo igitur tam feliciter pro nobis curanti quis diffideret?

Multi movent discipulorum quæstionem, *Vnde sumemus panem?* Conferunt sumtus & reditus, quod quidem per se non culpamus, si absit diffidentia. Utile est, cum Christo numerare panes, & pascendos. Facit enim *tum* ad parsimoniam, ne plus absumatur, quàm acquiritur: *tum* ad gratitudinem, si pauca ad alimoniam suffecisse cognoscamus. Quòd si verò ad istam vigilantiam accedat diffidentia, jam actum est, & perditur omnis benedictio, exemplo Israelitarum, *Amos. 4. v. 6.* Nos igitur jactemus curam in Dominum, *Psal 55. vers. 23.* Si ipse tam solicitus est, quis diffideret? Si tantam multitudinem cibavit, quis desperaret? Si movetur quæstio: *Vnde sumemus panem?* Dicamus humiliter: *Ah Domine, Panes duntaxat*

septem

ſeptem ſuperſunt, & multi victu meo indigent. Tu verò dives es opibus: Non eſt tibi difficile ſervare vel in multis, vel in paucis, 1. *Sam.* 14. *v.* 6. Tibi ergo confidam, & benedictionem tuam expectabo patiens. Quod ſi fecerimus, Chriſtus mox præcipiet diſcumbere, ſuisque bonis largiſſimè nos implebit.

III. Diſcubitus præceptio. Quum enim Chriſtus audiſſet, ſeptem adhuc panes ſupereſſe, ſtatim præcepit turbæ, ut diſcumberet ſuper terram, *v.* 6. Ad noſtram præcipuè informationem hoc pertinet. Diſcumbendum eſt ſi à Chriſto ſaturari volumus. *Per diſcubitum* intelligo certum vitæ genus & officium. Multi otiantur, alii nîl certi, ſed nunc hoc, nunc illud agere præſumunt, Hi circumcurſitant, non diſcumbunt, ideoque benedictionem nullam accipiunt. Eſavus excurrebat ad capiendam feram, Jacobus domi manebat, & benedicebatur præ illo, *Gen.* 27. *v.* 28. Sic multi, extra legitimam vocationem laborioſi, bona quærunt, ſed non inveniunt. Diſcumbamus igitur, & ambulemus dignè in vocatione, quâ vocati ſumus, *Eph.* 4. *v.* 1. *3. Diſcubitus præceptio.*

Fit hoc 1. Si non abſque mandato Dei diſcumbamus. 2. Si adſit fides, ſine qua nihil placere poteſt. 3. Si accedat diligentia, invocatio, gratiarum actio. 4. Si omnia ad Dei gloriam & proximi uſum dirigantur. 5. Si patientes ſimus, quando ſucceſſus non ſtatim reſpondet votis. Hoc modo & animo qui diſcumbunt, benedictionem è manu Chriſti certò accipiunt. *Quî rectè ambulandum in vocatione noſtra.*

Videndum verò præterea eſt, ut ſuo loco quivis maneat quo poſitus eſt. Non enim omnes u-

num & eundem occupant. Alium Deus diſcumbere juſſit in *Eccleſia*, alium in *Curia*, alium in *Oeconomia*. Unusquisq; ergò in qua vocatione vocatus fuit, permaneat, *1. Cor. 5. v. 20.* Non alium locum occupet ſpe majoris lucri & commodi. Omnis, qui timet Dominum, ſaturabitur, quocunque loco conſederit. Nec enim vidimus juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem, *Pſ. 37. verſ. 25.*

IV. Panum diſtributio. Poſtquam diſcubuit populus, ad ipſum miraculum peragendum Chriſtus accedit, ubi tria de ipſo memorantur. 1. *Gratias egit*, 2. *Fregit*, 3. *Diſcipulis dedit*, ut apponerent turbæ, quo facto, ita benedixit, ut omnes miraculosè per pauculos iſtos panes & piſciculos ſaturarentur, *v. 6. 7.* Magna hæc fuit clementia & liberalitas, cui ſimilem vix inveneris. De Tito Veſpaſiano refertur, ipſum conqueſtum eſſe veſperi, ſi per diem nihil elargitus fuerit, *Amici*, dixit, *diem perdidi*. Alexander Severus iratus fuit, ſi nemo quid ab eo peteret. Hinc cuidam ex miniſtris ſuis, quem nihil unquam rogâſſe, ſcivit, dixiſſe fertur: *Quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem?* Dionyſius filii palatium ingreſſus, & magnam poculorum multitudinem videns, ſtomachatus ait: *Non eſt in te regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepiſti, neminem tibi am cum feceris.* Non vulgaris, fateor, fuit iſthæc liberalitas: Sed longè excellentior eſt Chriſti Servatoris noſtri. Refecit populum quoad animas cibo myſtico, nempè verbo Evangelii: Jam ne quid deſit beneficio, totam illam quatuor millium multitudinem paſcit gratis, in

deſerto,

deserto, egestatis tempore, quum aliàs pereundum fuisset in itinere, & ita pascit, ut septem sportæ fragmentorum remaneant, *v. 8.* Quis hîc cum Psalte non exclamet: *Gustate & videte, quàm suavis est Dominus*, Ps. 34. v. 9.

Nos verò inprimis processum Christi attendamus, & imitemur. Qui enim benedictionem à Domino expectat, is cum Christo 1. *Gratias agat*; Non putemus nostro tantùm labore partum esse, quod possidemus, Deo potius acceptum feramus, à quo omne bonum descendit, *Iacob. 1. v 17.* ut nihil habeamus, quod non acceperimus, *1. Cor. 4. v. 7.* Confiteamur ergò nomini divino: *O Deus tuum est quod habeo, tuâ clementiâ hæc possideo, tibi soli sit laus & gratiarum actio.* *Gratias Agamus.*

2. *Frangat, atque distribuat.* Non soli utamur bonis, sed panes nostros cum Christo distribuamus egentibus. Non habeamus tantùm κτήματα, sed χρήματα; non possideamur à pecunia, sed possideamus illam. Cedat pars familiæ, cedat pars proximo, quem indigentem non pascere est occidere. Jobum intuemini, qui tàm misericors fuit & liberalis, ut diceret, cap. 31. v. 18. *Ab infantia crevit mecum miseratio.* Talis prædicatur beatus, *Psalm. 41. v. 1.* Beatus vir, qui miseretur egeni & pauperis. *Panem frangamus.*

3. *Discipulis Christi partem porrigat.* Christus suis Apostolis primùm dedit: Nostri homines præconum verbi planè obliviscũtur. Putant enim nihil iis deberi, quia gratis dare præceptum est, *Matth. 10. v 8.* Sed confundunt donum miraculorum, quod gratis exerceri Christus voluit, cum labore prædicationis, pro quo stipendium dandũ *Et partem discipulis Christi porrigamus.*

eſt, 1. *Cor. 9. v. 7. & ſeqq.* Pro doctrina quidem æquivalens precium numerari nequit, labor tamen, qui in prædicandâ doctrinâ ſuſtinetur, compenſari debet. In his ergò partibus ſi Chriſto reddamur conformes, augebuntur opes, & cumulabitur divina benedictio.

5. Fragmẽtorum collectio.

V. Fragmentorum collectio. Et hæc à Chriſto præcepta fuit, ne periret, quod abundabat. Idem nobis imperari cogitemus, Plura Deus largitur, quàm quæ neceſſaria ſunt. Noſtrûm igitur eſt, ſuperflua recondere, non perdere. Multi, ſi quid ſuperſit, abliguriunt. Hi ſuos negligunt, quod prohibitum, *1. Tim. 4. v. 7.* & voluntariam paupertatem ſibi attrahunt. Colligamus in juventute, ne indigeamus in ſenectute. Vulgò enim dicitur: *Bonus condus, bonus promus.* Plato quum ſenem videret, ſolo pane veſcentem, dixiſſe fertur: *Si parciùs prãſus fuiſſes, lautiùs cœnares.* Ne igitur idem nobis contingat cum Apoſtolis, fragmenta maturè colligamus, ne cum dedecore famem ſuſtinere cogamur.

6. Benevola dimiſſio

VI. Benevola dimiſſio. Poſtquam enim Chriſtus populum ſaturâſſet, dimiſit illos, *v. 9* Nõ voluit eos ſemper diſcumbere, ſed viciſſim ad ſuos labores abire. Non placet Deo Monachalis ſuperſtitio, qui per totum diem in templo conſident otioſi. Multò minùs placet aliorũ luxuria, qui ſic diſcumbunt, ut rarò ſurgant, qui manè conveniũt ad ebrietatem ſectandam uſq; ad veſperam, *Eſa. 5. v. 11.* audiendum eſt verbum, ſed non negligendũ officium. Diſcumbamus cum populo, ſed iterum quoque ſurgamus, & ad labores ordinarios abeamus. Omnia enim hæc ſubordinata ſunt, &

æquè

æquè necessaria: 1. *Verbi auditus* ad salutem: 2. *Victus* ad corporis sustentationem: 3. *Labor* ad muneris nostri executionem. Qui hæc conjuncta divellit, Deum ad iram provocat, & benedictionem ejus propriâ culpâ impedit. Nobis ergò ipsis non desimus, si à Christo saturari volumus.

Hunc ardenter invocamus, ut nostri misereatur, clementer prospiciendo, largiter distribuendo, & potenter animam corpúsque saturando: Ipsi Optimo Maximo dispensatori cantabimus hymnum gloriæ ex hoc nunc & usque in perpetuum, Amen.

EVANGELIVM DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

Matth. 7. à vers. 15 usque ad 24.

De Cavendis Pseudo Prophetis.

V. 15. Προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες.

16. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν στα-

CAvete à Pseudo Prophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, intûs autem ipsi sunt lupi rapaces.

Sed à fructibus eorũ cognoscetis eos. Num colligũtur ex spinis uvæ,

SEhet euch für/ für dẽ falschen Propheten/ die in Schafskleidern zu euch kommen/ inwendig aber seind sie reissende Wölff.

An jhren Früchten solt jhr sie erkennen. Kan man auch Traubẽ lesen von den Dornen?

φυλὴν, ἢ ἀπὸ τριβόλου σῦκα;	aut ex tribulis ficus?	Oder Feigen von den Disteln?
17. Οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ, τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ.	Ita omnis arbor bona, fructus bonos facit: arbor autem mala fructus malos facit.	Also ein jeglicher guter Baum/ bringet gute Früchte/ aber ein fauler Baum bringet arge Früchte.
18. Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν.	Impossibile est arborem bonam fructus malos facere, aut arborem malam fructus bonos facere.	Ein guter Baum kan nicht arge Früchte bringen/ vnnd ein fauler Baum kan nicht gute Früchte bringen.
19. πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.	Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, exciditur, & in ignem cadit.	Ein jeglicher Baum / der nicht gute Früchte bringet/ wird abgehawen/ vnd ins Fewr geworffen.
20. Ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.	Itaque à fructibus eorum cognoscetis eos.	Darumb an jhren Früchten solt jhr sie erkennen.
21. οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.	Non quisquis dicit mihi Domine mi, Domine mi, intratrurus est in regnum cœlorū; sed is qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.	Es werden nicht alle / die zu mir sagen: HErr/ HErr/ in das Himelreich kommen / sondern die den Willē thun meines Vaters im Himmel.
22. Πολλοὶ ἐροῦσί	Multi dicturi	Es werden viel

μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, Κύριε, Κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν;

ſunt mihi in illo die, Domine mi, Domine mi, num quid in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo dęmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas edidimus?

zu mir ſagen an jenem Tage: HErr/ HErr/ haben wir nit in deinem Namen geweiſſaget? Haben wir nit in deinem Namen Teuffel außgetrieben? Haben wir nicht in deinem Namen viel Thaten gethan?

23. καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς, ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.

Tunc autem profitebor eis: Nunquam novi vos: diſcedite à me operarij iniquitatis.

Denn werde ich jhnen bekeñen: Ich habe euch noch nie erkandt / Weichet alle von mir jhr Vbelthåter.

Homilia.



DAVID Eccleſiæ ſtatum deſcripturus, ſic eam loquentem introduxit, Pſalm. 129. v. 12. *Sæpè afflixerant me à juventute mea.* Nondum enim plenè triumphat Eccleſia in cœlis, ſed adhuc militat in terra: Hinc hoſtes varij & perſecutio multiplex, ut pij ſæpius ingemiſcant cum Propheta ex Pſalm. 80. v. 6. *Ah Domine, cibas nos pane lacrymarum!*

Inprimis autem triplici afflictione premitur Eccleſia. Prima eſt *tyrannorum*, qui armis ſæviunt in bona & corpora fideliũ, 1. Tit. 3. v. 12. Secunda eſt *hæreticorum*; qui dant ſigna & prodigia, ut ſuis erroribus inficiant animos, *Matth. 24. v. 24.* Tertia *Tres afflictiones Eccleſiæ.*

eſt

est *falsorum fratrum*, qui malis exemplis cient scandala, & sacram mystici corporis unitatem rumpunt, confitentes Deum verbis, sed abnegantes factis, *Tit.* 1. *v ult.*

Præfigurata per equos Apocalypticos. Has tres Ecclesiæ afflictiones per tres equos Apocalypticos *cap.* 6. inter cætera notatos quidam autumant. Per equum *ruffum*, v. 4. intelligunt tyrannos, sitientes sanguinem: per *nigrum*, v 5. falsos fratres, sectantes opera tenebrarum: per *pallidum*, v. 8. hæreticos, qui pallore vultus abstinentiam & sanctitatem simulant, ad pallidam verò mortem infernúmque abducunt.

Verùm clariùs de his Salvator egit, in prolixa concione montana. Persecutiones tyrannorum prædicit ab initio, *Matth.* 5 *v.* 11. Sed de reliquis verba facit in hodierno Evangelio, ex clausula concionis istius desumto.

Partes Evangelij. Constat hoc duabus partibus: quarum *primâ* describuntur hæretici, qui veniunt in vestimentis ovium, à v. 15. usque ad 21. *Secundâ* falsi fratres, qui dicunt, *Domine, Domine*, à regno tamen cœlorum excluduntur, v. 21. 22. 23.

Pars hæc posterior in libellis Evangelicis quandoque omittitur, unde & nos istam seponemus pro tempore, consideraturi partem primam, & dicturi aliquid de *Prophetis falsis*.

Multa hîc occurrunt tractanda, sed ad duo capita revocari possunt, si dicatur: 1. De *hæreticis ipsis*, unde veniant, & quibus signis discerni queant. 2. De *modo cavendi hæreses*, ne incidamus in illas, adeoque spoliemur æternâ beatitudine.

Propositio. Nos *de priori tantùm capite* agemus, exposituri *hæreseωn causas*, & *hæreticorum notas*, quod ut cedat

cedat in veri propagationem & falſi ſuppreſſionem, faxit Deus, veritatis autor, & conſervator unicus, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

UT omne bonum, ſic & veritas à DEO eſt. Contrà, ut omne malum, ſic & falſitas à diabolo eſt. Hic mendax & pater mendacij, *Ioh.* 8. *v.* 44. Hic eſt ille inimicus, ſpargens Zizania, *Matt.* 13. *v.* 25. 39. quod tàm ſubdolè agit, ut ſimpliciores facilè decipiantur. Ut igitur circumſpecti ſimus, Salvator hodiè nos admonet ſub finem concionis Catecheticæ, *Cavete*, inquit, *à Pſeudoprophetis.*

Vox *Prophetæ* eſt ambigua: *Nonnunquam* ſumitur εἰδικῶς, pro vate futurorum prænuncio: *nonnunquam* γενικῶς, pro quovis doctore qui Scripturam interpretatur, & populum de rebus divinis informat, ut *Ioel.* 2. *v.* 28. *Actor.* 2. *v.* 17. *Matth.* 13. *v.* 57. 1. *Cor.* 14. *v.* 13. 24. Poſteriori hoc ſenſu Chriſtus accipit, ideoque per Pſeudoprophetas nihil aliud; quàm hæreticos, & doctores falſos intelligit. Ut autem eò melius cavere poſſimus, quædam de Pſeudoprophetis in genere prænoſcenda ſunt. Et *quatuor* inprimis quæſtiones hîc enucleandæ veniunt, de quibus ordine.

Vox Prophetæ ambigua.

Quatuor quæſtiones de Pſeudoprophetis.

I. Num ſemper Pſeudoprophetæ in Eccleſia Dei reperiantur? Affirmativa proh dolor! plus ſatis vera eſt. Ubi enim cernitur templum Dei, ibi ſimul extat ſacellum diaboli. Absq; falſis Prophetis ſi eſſet, cur Chriſtus de cavendis verba faceret? Neque putes, illo tantùm tempore monitum hoc fuiſſe neceſſarium. Si dicta Scripturæ,

I. An ſemper reperiantur in Eccleſia?

pturæ, si exempla utriusque Testamenti considéres, perpetuam esse hanc pressuram intelliges.

Probatur affirmativa Dictis. Dicta leguntur *Deut. 13. v. 1. seqq. cap. 18. v. 18. Proverb. 28. v. 10. Ier. 27. v. 9. Matth. 24. vers. 24. Marc. 13. v. 21. Act. 20. v. 29. 1. Cor. 11. v. 19. Col. 2. v. 8. 2. Thess. 2. v. 11. 1. Tim. 4. v. 1. 2. Tim. 3. v. 1. Tit. 1. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Epist. Iudæ, v. 18.*

Exemplis. Exempla cœperunt cum ipso mundi primordio. Adhuc in Paradiso surgebat Archihæreticus, & Pseudopropheta primus, Diabolus, verbum Dei penitùs pervertens. Dixerat Dominus, Gen. 2. v. 17. *Quo die comederis, morte morieris.* Sed invertit Satanas & contrarium docuit, Gen. 3. v. 14. *Nequaquam moriemini.* Artem hanc instillavit omnibus hæreticis, qui Scripturas quidem citant, sed suis glossis prorsus depravant, ut videre datur in Pontificiis & Calvinianis. Jehovah clamat, Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies.* Pontifex ait, *nequaquam*, sed unâ sanctos adorabis. Christus docet: *Accipite, hoc est corpus meum.* Calviniani contrà: *Nequaquam* datur corpus, sed duntaxat corporis signũ. Christus: *Bibite ex hoc omnes.* Pontifex: *Nequaquam*, sed bibant tantùm Clerici. Christus; Venite ad me omnes, *Matth.* 11. *v.* 28. Calviniani: *Nequaquam*; sed vocantur illi tantùm, qui absoluto prædestinationis decreto sunt inclusi. Ita nimirum Satan per organa sua semper corrumpit veritatem, adeò ut Ecclesia nunquam sit absque Pseudoprophetis.

In domo Adami erat *Cain*, qui justitiam quærebat ex operibus, ut Pater Papicolarum rectè nuncupari possit; qui nobis propterea insidiantur,

tur, ficut Cain Abeli, videns facrificium ejus fide oblatum, *Heb.* 11. *v.* 4. Deo placuiffe. Cainum fequebatur *Lamech*, qui πολυγαμίαν fine præviâ difpenfatione invexit, *Gen.* 4. *v.* 19. Primus mundus, qui diluvio periit, procul dubio Pfeudoprophetis non caruit. In familiâ *Thara*, ex qua Abraham, *Genef.* 11. *verf.* 26. facrificia funt oblata idolis, *Iofua* 24. *verf.* 2. Sodomitæ fuos habuerunt Doctores, placentia dicentes. *Labanus* certos Deaftros coluit, *Gen.* 31. *v.* 19. In Ægypto per falfos Prophetas deceptus eft Pharao, & affuevit Ifraeliticus populus idololatriæ. Aaron in deferto erexit vitulum, *Genef.* 32 *v.* 2. Nadab & Abihu ignem alienum offerunt *Levit.* 10. *v.* 1. Core cum fociis Mofi reluctatur *Num.* 16. Balaam ceu falfus Propheta ad maledicendum evocatur, *Num.* 22. *verf.* 1. Poft mortem Jofuæ fervierunt Baalim, *Iud.* 2. *verf.* 11. Michas in domo fua idolum coluit, *Iud.* 17. *verf.* 1. *feqq.* Filij Heli non ambulârunt rectè in viis Domini, 1. *Sam.* 1. *v* 2. Baalitæ feduxerunt multos tempore Eliæ, 1. *Reg.* 18. *v.* 22. tempore Achabi, 1. *Reg.* 22. *v.* 14. tempore Jehu, 2. *Reg.* 10. *v.* 18. Omnes Prophetæ Domini querulantur de falfis doctoribus & apoftafiâ populi. Efaias *cap.* 2. *v.* 2. Jeremias, *cap.* 14. *v.* 14. Ezechiel, *cap.* 13. *v.* 3. Daniel in foveam conjicitur, *cap.* 16. *v.* 19. Amos accufatur ab Amazia, *cap.* 7. *v.* 10. Michas interitum minatur feductoribus, *cap.* 3. *v.* 6. Poft captivitatem Babylonicam multos fefellerunt *Samaritani*, qui in religionis negotio fuerunt tepidi, & Judæis maximè infenfi, ob inftaurationem templi, quibus Esdras & Nehemias reftitit. Continuata funt hæc certamina usq; ad Adventum

tum Christi, ante quem multos emisit Pseudoprophetas diabolus. Erant *Pharisæi* sanctitatis opinione turgentes, *Matth. 6. v. 2 seqq. & cap. 23. v. 1. seqq.* Erant *Sadducæi*, resurrectionem mortuorum negantes, *Matth. 22. v. 23.* Erant *Essæi*, quorum mores describit Josephus *libr. 18. Antiq. Iud. cap. 2.* Erant Herodiani, *Matth. 23. v. 16.* Nazaræi, Scribæ, Hemerobaptistæ, & alij, de quibus vide Carolum Sigonium, *lib. 5. de Republ. Hebr. cap. 11.* Hæ sectæ floruerunt tempore Christi, qui adversus istos Pseudoprophetas sæpiùs disputavit. Et licet videri posset, Christo docente omnes hæreses cessisse, attamen contrarium testantur Sacræ literæ. Imò singulis post Christum natum seculis surrexerunt hæretici & corruptores verbi.

In *Primo* seculo venit Teudas, & Judas, *Actor. 5. v. 36. 37.* Simon Magus, *Act. 8. v. 9.* Elymas, *Act. 13. v. 10.* Pseudo Apostoli, *Act. 15. v. 1. seqq.* Hymæneus & Alexander, *1. Tim. 1. v. 20.* Phygellus & Hermogenes, *2. Tim. 1. v. 15.* Philetus, *cap. 2. v. 17.* Cretenses, *Tit. 3. v. 12.* AntiChristi, *1. Ioh. 2. v. 18. 2. Ioh. vers. 7.* Nicolaitæ, *Apoc. 2. v. 15.* Ebion & Cerinthus, quibus Evangelium suum Johannes opposuit.

In *Secundo* seculo turbârunt Ecclesiam Valentiniani, Heracleonitæ, Marcitæ, Ophitæ, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Encratitę, Montanistæ, & Quartadecimarij.

In *Tertio* Novatiani, Sabelliani, Samosateniani, Manichæi, Chiliastæ.

In *Quarto* Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, Donatistæ, Priscillianistæ, Pelagiani, Photiniani, Anthropomorphitæ, Joviniani.

In *Quinto* Neſtoriani,& Eutychiani.

In *Sexto* Theopaſchitæ, Agnoëtæ, Monothe-letæ.

In *ſeptimo* præcedentes hæreſes , quæ partim perſonam, partim meritum Chriſti impugnant, degenerârunt in oriente ad meridiem in Mahumetiſmum , in occidente ad ſeptentrionem in Papiſmum. Illo enim tempore Romani Epiſcopi primatum in Eccleſiam ſibi rapuerunt , ſequentibus ſeculis auxerunt, Imperatoriam majeſtatem ſibi ſubjecerunt,& varias corruptelas hinc inde invexerunt, ut tandem mundus ipſe velut erecto capite Antichriſtianum ſe factum eſſe, miratus fuerit. Duravit hæc calamitas usque ad 15. ſeculum, quo Deus Eccleſiæ miſertus, Lutherum excitavit, & Spiritu oris ſui, Antichriſtum compeſcuit, reſtitutâ veritate Evangelicâ. Sed nec ibi defuerunt Pſeudoprophetæ. Exorti ſunt Zvvingliani, Schvvenckfeldiani, Anabaptiſtæ, Antinomi, Semepelagiani, Flaciani, Servetiani, quæ hæreſes etiamnum gliſcunt. Inprimis duæ ſerpunt inſtar gangrenæ, *Calviniſmus & Photinianiſmus.* Sectæ prorſus cognatæ ; ut altera matris, altera ſobolis vicem ſuſtinere videatur,& verendum ſit, Calviniſmum tandem degeneraturum in Mahumetiſmum, niſi Chriſtus Adventu ſuo glorioſo prohibeat, ante quem nulla pax vel immunitas à ſectis ſepari poteſt.

Ita ergò vidimus, quomodo à condito mundo Pſeudoprophetæ ſurrexerint, & usque ad diem pantocriticum in Eccleſia permanſuri ſint.

Ad quid verò hæc tàm prolixa commemoratio conducit? Non fruſtranea eſt, *chariſſimi*, ſed *Hæc commemoratio monet*

Audito-res. monet 1. *Auditores* ne imaginentur sibi Ecclesiam Angelicam. Ita senserunt olim Donatistæ, nunc Anabaptistæ, qui perfectam puritatem postulant. Sed fieri hoc non posse ob varietatem hæreseωn modò audivimus. Hinc Christus Ecclesiam ovili comparat, *Ioh.* 10. *v.* 1. quod sæpius invadunt lupi; & agro *Matth.* 13. *v.* 24. in quo simul inveniuntur Zizania.

Pastores. 2. *Pastores*, ut unà tractent ἀντίθεσιν, & præmoneant populum. Peccant proinde Principes, qui suis mandatis ἔλεγχον Ecclesiasticum impediunt: peccant præcones verbi, qui obediunt, & obmutescunt. Rectè Augustinus, *Fugisti, quia tacuisti: Tacuisti, quia timuisti.* Ministros verbi Scriptura non tantùm doctores vocat, sed quoque vigiles, *Ezech.* 13. *v.* 13. quorum est vocem extollere, non modò hoste civitatē invadente, verùm etiam de longinquo veniente.

Christianos quosvis. 3. *Christianos quosvis*, ut magis caveant, ne in errores prolabantur. Satanas est mille artifex, qui optimis ingeniis abutitur ad hæreses. Judas Proditor fuit Apostolus: Cerinthus Apostolorum Auditor; Arrius vir doctus & excellens Dialecticus. Si tanti viri seducti sunt, annon aliis idem evenire poterit? Noli ergò altum sapere, sed time, *Rom.* 11. *v.* 20. Qui stat, videat ne cadat, 1. *Cor.* 10. *v.* 12. Vigilat diabolus, & tu dormis? inquit *Augustinus.* Semper personet in auribus nostris vox CHRISTI, *Cavete, Cavete à Pseudophrophetis.*

Modus cavendi Pseudoprophetas. Fit hoc 1. Consortium eorum fugiendo, 2. à lectione librorum hæreticorum abstinendo, 3. Verbum DEI diligenter legendo, & audiendo, 4. Fructus Pseudoprophetarum considerando, & 5.

& 5. Indeſinenter orando cum Propheta, ex Pſal. 119. v. 43. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis*, quæ præcepta fuſiùs explicantur alibi.

II. Quæ ſint hæreſeωn cauſæ? Chriſtianus, quùm audit Pſeudoprophetas exurgere, mox cauſas inquirit tanti mali. Num fortè ideò ſunt hæreſes, quia DEUS ſalutem omnium nolit? Sed falſum hoc ex 1. Timoth. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Num contentiones & diſputationes doctorum pacem religionis impediunt? Neutiquam. Nam & Chriſtus, & Apoſtoli, quibus nulla culpa ſectarum imputari poteſt, ſæpiſſimè diſputarunt. Et rectè Chryſoſtomus: *Diſsidia cum hæreticis habere, non eſt contentionis, ſed pietatis.* Unde igitur Zizania proveniunt, & quæ diſſeminationis cauſæ ſunt? Quatuor inprimis numerari queunt, 1. Diaboli malignitas, 2. Epiſcoporum ſecuritas, 3. Mundi nequitia, 4. Ingeniorum petulantia, quæ cauſam habet ὀλιγομάθειαν, unde Anabaptiſmus; Philoſophiam depravatam, unde Calviniſmus; & αὐθάδειαν, unde Papiſmus originem traxit. Pleniorem harum cauſarum deductionem invenies, *Part. 2. Philoſoph. Sobr. in Præfat. à pag. 16.* *2. Quæ ſint hæreſeon cauſæ?*

III. Cur Deus tot hæreſes permittat? Non immeritò miratur pia mens, quando tot confuſiones in religione, tot ſectas abominandas conſiderat. Deus aſſiſtentiam Spiritus S. Eccleſiæ promiſit, omnium ſalutem ſe deſiderare dixit, & Satanam Zizania ſpargentem compeſcere facilè poſſet. Cur igitur permittat, ut tot ſuccreſcant *3. Cur hæreſes permittũtur.*

 hæreſes,

hæreſes, tot ſeducantur homines? Amici, divinæ bonitati hæc non contrariatur, nec malo fine permittitur. *Nō enim ſineret bonis fieri malè, niſi omnipotens de malo poſſet facere benè*, Auguſtinus in Enchirid. cap. 100. Septem verò afferri poſſunt divinæ promiſſionis rationes, quæ ſingulæ fines ſaluberrimos comprehendunt, 1. Eſt Eccleſiæ notificatio, 2. Purgatio, 3. Veritatis illuſtratio, 4. Hæreſeωn deteſtatio, 5. Piorum probatio, 6. Pigrorum excitatio, 7. & impiorum punitio, quæ quùm ibid. loco dicto à *pag. 8.* fusè ſint declarata, crambem bis coctam apponere nolo.

4. Quæ notæ hæreticorum?

IV. Quæ ſint Pſeudoprophetarum notæ? Antequam reſpondeamus, ſciendum quòd tria doctorum genera inveniuntur. (1.) Quidam ſunt *extremè perverſi*, tum quoad doctrinam, tum quoad vitam, ut Elymas, *Actor. 13. verſ. 10.* (2.) Quidam ſunt doctores veri, ſed unà *Impij*: docentes rectè, & viventes malè, qualis fuit Sardicenſis Epiſcopus, *Apocal 3. verſ. 2.* (3.) Quidam ſunt doctores *Hypocritici*, qui falſa docent, ſed fucatè ſub ſpecie recti, & ſummam ſanctitatem ſimulant. Priores facilè agnoſcuntur, ſed hi poſteriores non item, ob hypocriſin & externum pietatis ſchema. Hos igitur Chriſtus deſcribit hodiè, vivíſque coloribus depingit, ut facilè poſſimus diſcernere, ſi proprietates illorum ſtudiosè conſideremus.

Quinque notæ.

1. Doctrinæ falſitas.

Prima doctrinæ falſitas, unde *falſi Prophetæ* à Chriſto nuncupantur.

Serunt iniqua dogmata,
Excogitata fraude,

Dant

Dant verba dissonantia,
Verbi caréntque laude.

Nullum igitur discretionis medium est certius, quàm doctrinæ inspectio, ut rectè veteres pronunciaverint; *Doctorem doctrina probat*. Vera bonum, falsa malum doctorem arguit. *Ille* Christi, *hic* diaboli minister est. Ut igitur *ille* veritatem, ita *hic* falsitatem proponit, quia quivis ingenium magistri sui sequitur. *Illi* ergò credamus, ab *hoc* caveamus.

Secunda est Ceremoniarum singularitas, semper consueverunt hæretici singulares esse in ritibus, variósque prætextus adhibent sub quibus occultant vel legalem coactionem, vel libertatis Christianæ abusum. In Vet. Testam. celebris est Jeroboami vitulus, *1. Reg. 12. v. 28.* serpens æneus, *2. Reg. 16. v. 4.* opinio de opere operato & variæ traditiones Pharisæorum de jejuniis, ablutionibus, festis, eleemosynis & similibus. In Novo Testamento falsi fratres urserunt observationem Legis Ceremonialis, quæ tamen erat abrogata: gentiles contrà abutebantur libertate ad ἀταξίαν & carnales actus. Ita sequenti tempore dimicatum sæpius est de adiaphoris, donec in Papatu æquipararētur fidei articulis, imò præferrentur. Quùm verò lux Evangelij illuxisset, certamen adiaphoristicum mox redintegratum est à Carolostadianis, Anabaptistis & Calvinistis, ut ita Pseudoprophetas per singularitatem rituum, quos primùm impugnare solent, haud difficulter agnoscamus. *2. Ceremoniarum singularitas.*

Tertia est Vocationis nullitas, quam Christus indi- *4. Vocationis nullitas.*

indicaturus ait: *Veniunt ad vos*, Nempè veniunt ſpontè, non vocati, & currunt, non miſſi, *Ierem. 23. v. 21. 2. Timoth. 3. v. 6.* Sic callidè veniebat ſerpens ad Evam, & decipiebat illam, *Gen. 3. v. 1. ſeq.* Optimè didicerunt hoc artificium Calviniani, qui clandeſtinè penetrant, primum tegentes hæreſin & ſimulantes conſtantiam, donec tandem prorumpant, & omnia ſuo veneno inficiant. Extrudamus tales, nec patiamur noſtras Eccleſias turbare, quas abſque vocatione invadunt. Quis paterfamiliâs ferret ejuſmodi ſtellionem, qui clanculum ædes ingreſſurus laborare inciperet in eo, ad quod vocatus non eſt? Et nos patiemur, hæreticos templum Domini invadere, & ſacram vineam tàm miſerè vaſtare?

4. Ovina puritas.

Quarta eſt Ovina puritas. Hanc innuit Chriſtus per *veſtitum ovium*, quem omnes hæretici ſubdolè aſſumunt. *Chriſtianiſmum ſimulant, & contra Chriſtum in pugnam deſcendunt*, Athanaſius Oratione 2. contra Arianos. Ut diabolus larvam ſerpentis induit, *Geneſ. 3. v. 1.* Sic hæretici veritatis ſpeciem jactant, & cum Magiſtro ſuo in Angelos lucis ſe transformant, *2. Cor. 11. v. 14.* Venator pellem ferinam aſſumit, ut feras capiat: Sic Pſeudoprophetæ ovinæ ſe involvunt, ut oves decipiant.

Partes ovina veſtis.

Conſtat hic veſtitus ovium quinque partibus (1.) eſt *ſimulata vitæ Innocentia*, dum habent ſpeciem pietatis, *2. Tim 3. v. 5.* jejunando, orando, benefaciendo: ſed interim abnegant ejus virtutem. Nam *ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas*, ait Hieron. (2.) *Blandiloquentia*, dum amiciſſimis verbis plurimos ſeducunt. Ut enim venenum ſac-

caro quandoque obducitur: ſic illi ſub blanditiis verborum tegunt doctrinam ſuam peſtilentem. (3.) *Donorum excellentia*, quibus nonnunquam ſunt divinitùs inſtructi, ſed iis peſſimè abutuntur. Huc ſpectat ingenium, eruditio, δύναμις ἑρμηνευτικὴ, & ſimilia, quibus ſimpliciores ineſcantur, ut putent, tales errare non poſſe. Sciant verò & Pſeudoprophetis quandoque hæc dona competere, exemplo Balaami, *Num.* 24. *v.* 15. Caiphæ, *Ioh.* 11. *v.* 49. & aliorum, *Matth.* 24. *v.* 24. (4.) *Scripturarum jactantia*, quibus errores ſuos palliare noverunt. Ut piratæ lumen accendunt in locis vadoſis, quò alios ad ſe invitent tanquam ad portum: ſic hæretici ex Scripturis quandoque videntur lumen accendere, ſed fraus eſt, & mera deceptio. (5.) *Sophiſtica*, dum ſpecioſis argumentis ſcrupulum injiciunt, quâ arte excellunt Photiniani, & Jeſuvvitæ, qui non ſine lacrymis ſua dogmata nobis perſuadere conantur. Nos autem hanc ovinæ pellis partem eſſe cogitemus, ideoq; tam facilem non credamus.

Quinta denique eſt Lupina rapacitas. Ita enim Salvator inquit: *Intrinſecus ſunt Lupi rapaces.* *5. Lupina rapacitas.*

Lupi ſunt 1. quia invadunt & devorant oves. 2. Veniunt clanculum, ut lupus noctu. 3. Seducunt doctos & indoctos, uti lupus omnis generis oves devorat. 4. Blandè loquuntur, ut lupus quandoque vocem canum & hominum fingit, ne agnoſcatur ab ovibus.

Rapaces ſunt, quia rapiunt 1. è manibus Chriſtianorum Scripturam, 2. ex cordibus fidem & ſolatium, 3. è ciſtâ pecuniam, 4. è corpore animam,

quæ præcipitatur in infernum, donec junctim damnentur in extremo judicio.

Caveamus igitur eò magis, quò periculum est grandius, ne sequendo Pseudoprophetas, perdamus animas, quod Deus noster Optimus Maximus prohibeat, qui nos in veritate confirmet, seductores compescat, seductos convertat, & nos omnes æternùm salvos faciat, per Christum salutis autorem & veritatis doctorem in secula benedictum, *Amen.*

EVANGELIUM DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

Luc. 16. à vers. 1. usque ad 10.

De Injusto Dispensatore.

V. 1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος, ὃς εἶχεν οἰκονόμον, καὶ οὗτος διεβλήθη αὐτῷ, ὡς διασκορπίζων τὰς ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

POrrò dixit Parabolam ad discipulos suos: Homo quidã erat dives, & habebat præfectũ domus: & delatus est apud eum, ut qui substantiam ejus profunderet.

ER sprach aber zu seinen Jüngern: Es war ein Reicher Mann/ der hatte einen Haußhalter/ der ward für jm berüchtiget/ als hette er jhm seine Güter vmbbracht.

2. καὶ φωνήσας αὐτὸν, εἶπεν αὐτῷ, τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου.

Itaque vocavit eum Dominus ejus & dixit ei: Quid istud est quod audio de te? Redde mihi rationẽ dispensa-

Vnnd er fordert jhn/ vnd sprach zu jhm: Wie höre ich das von dir? Thue Rechnung von deinem Haußhalten/

οὐ γὰρ

οὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν.	tionis tuæ. Non enim poteris amplius mihi esse Præfectus domus.	denn du kanst hinfort nicht Haußhalter sein.
3. εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ ὁ οἰκονόμος, τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ, σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι.	Dixit autem Præfectus domus apud se, quid faciã, quũ Dominus meus auferat à me dispẽsationem? quia fodere non possum, & mendicare pudet.	Der Haußhalter sprach bey sich selbest: Was soll ich thun? Mein Herr nimpt das Ampt von mir / graben mag ich nicht / so schäme ich mich zu betteln.
4. ἔγνων τί ποιήσω, ἵνα ὅταν μετασταθῶ τῆς οἰκονομίας, δέξωνταί με εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν.	Novi quid faciã ut quum exierim à dispensatione, recipiant me in domos suas.	Ich weiß wol was ich thun will / wenn ich nun von dem Ampt gesetzt werde / das sie mich in jhre Häuser nemen.
5. καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα ἕκαστον τῶν χρεωφειλετῶν τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, ἔλεγε τῷ πρώτῳ, πόσον ὀφείλεις τῷ κυρίῳ μου;	Et convocavit unumquenque ex debitoribus Domini sui; dixitque primo, Quantum debes Domino meo?	Vnd er rieff zu sich alle Schuldener seines Herren / vnd sprach zu dem ersten: Wie viel bist du meinem Herrn schuldig?
6. ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. καὶ εἶπεν αὐτῷ, δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ κα-	Dixit ei: Centũ metretas Olei. Ait illi, accipe librum tuum; & sede citò,	Er sprach: Hundert Tonnen Oels. Vnd er sprach zu jhm: Nim deinen Brieff / setze dich /

θίσας ταχέως γράψον πεντήκοντα.

ſcribe quinquaginta metretas.

vnnd ſchreibe flugs funfftzig.

7. ἔπειτα ἑτέρῳ εἶπε, σὺ δὲ πόσον ὀφείλεις; ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν κόρους σίτου· καὶ λέγει αὐτῷ, Δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ γράψον ὀγδοήκοντα.

Et dixit alii: Tu verò quantum debes Domino meo? Dixit ei: Centum coros frumenti. Ait illi: Accipe librum tuum, & ſede, ſcribe octoginta coros.

Darnach ſprach er zu dem andern: Du aber / wie viel biſt du ſchuldig? Er ſprach: Hundert Malter Weitzen. Vnd er ſprach zu jhm: Nimb deinen Brieff / vnd ſchreibe achtzig.

8. καὶ ἐπήνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν. ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.

Et laudavit Dominus noſter Præfectum domus iniquum, quòd prudenter feciſſet. Filii enim ſeculi ejus prudentiores ſunt filiis lucis in hac generatione ſua.

Vnd der Herr lobete den Vngerechten Haußhalter / das er klüglich gethan hatte. Denn die Kinder dieſer Welt ſind klüger / denn die Kinder deß Liechts / in jhrem Geſchlechte.

9. κἀγὼ ὑμῖν λέγω, ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ Μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς.

Sed & hoc vobis dico: Facite vobis amicos ex hoc momouno (*biſce divitiis*) iniquitatis, ut quum defecerit, illi recipiant vos in Tabernacula ſempiterna.

Vñ ich ſage euch auch: Machet euch Freunde mit dem vngerechten Mammon / auff das / wenn jhr nun darbet / ſie euch auffnemen in die ewige Hütten.

Homilia

Homilia.

SYRACIDES prudenter monet, cap. 7. v. ult. *Memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Vulgò autem quatuor noviſſima memorātur, duo *dies* & duo *ſtatus* ultimi. Quoad dies, alter *mortis* eſt, alter *judicii extremi.* Quoad ſtatus, erit unus in *cœlo* glorioſus, alter in *inferno* ignominioſus. Horum diligens meditatio à peccatis avocat, ad pietatem inſtigat, ideoque non immeritò ad recordationem eorum Syracides nos excitat. *Quatuor noviſſima.*

Inter illa verò maximam movendi vim habet conſideratio *extremi judicii.* Non enim temerè peccabit, qui rationem cogitat ſibi reddendam eſſe de omnibus factis, dictis, cogitatis. Veniet, *Auditores,* veniet dies, quo revelabuntur occulta cordium, & omnes ſiſtemur ante tribunal divinum. Utinam hujus eſſemus memores, utinam ceu in Hieronymi, ſic in noſtris auribus ſemper vox illa perſonaret Angeli: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* In illo examine ultimo erit *Veritas* in inquiſitione, erit *Nuditas* in publicatione, erit *Severitas* in executione. Quis igitur non expaveſcat cum *Bernardo,* nec timeat cum *Iobo* querulante, cap. 31. v. 14. *Quid faciam, quum ſurrexit ad judicandum Deus? quum quæſierit, quid reſpondebo illi.*

Sed proh dolor! quotusquisque eſt, qui hæc cogitat? In diem vivitur, animæ ſalus negligitur, admonitiones nihil curantur, ac ſi nullus in cœlo vindex, vel nulla eſſet reddenda ratio. O duri & indurati filii Adam! Nihilne vos præcepta

Dei,

Dei, nihil Creatoris beneficia, nihil Redemtoris vulnera, nihil promissa præmia commovere possunt? At moveat saltem dies reddendæ rationis, qui instat; dies horrendus & terribilis, ubi nihil occultum latebit, nîl inultum manebit. Hoc cogitate, hoc perpendite, ne cum impiis cogamini clamare: O *montes cadite super nos, operite nos ô colles*, Luc. 23. v. 30. Si nobis pastoribus recusatis obedire, Christo saltem attendite, cujus sermo judicaturus vos est in extremo die, *Iohann.* 12. *vers.* 48.

Summa Evangelij. Ecce! in præsenti Evangelio consurgit, & velut universum mundum convocans, cuivis præcipit: *Redde ratione͂ dispensationis tuæ.* Quod enim παραβολικῶς iniquo villico dicitur, hoc nobis dicitur omnib. Nos sumus, quib. bona sua cócredidit cœlestis paterfamiliâs: Nos sumus q apud ipsũ sæpius accusamur: Nos sumus, qui seriò citamur, & rationẽ reddere tenemur. Ad nostram igitur informationem quum vergant omnia, hoc unum Thema ex præsente Parabolâ tractabimus.

Propositio. *Quomodo bona nobis concredita rectè administrare valeamus, ut ratio sufficiens reddatur, & in æterna tabernacula recipiamur.*

FaxitDeus, ut salutaria proferamus, & in actum constanter deducamus, Amen.

TRACTATIO.

GRavis est vox Apostoli, 1. Cor. 4. v. 2. *In dispensatore nihil aliud requiritur, quàm ut fidelis inveniatur.* Hæc illa virtus est, quam Deus severè postulat, copiosè remunerat. Nam in die Pantocritico dicet: *Euge serve bone, super pauca fuisti*

fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. v. 21. Hinc Christus admonet, Apoc. 2. v. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* In quo autem consistat illa fidelitas, præsenti Evangelio haud obscurè innuitur. Nos rem omnem tribus Regulis includemus, quæ rectæ dispensationis erunt *tum* caussæ motrices, *tum* notæ directrices.

Tres Regulæ veris dispensatoribus observandæ.

Prima Regula: Vocationem considera. *Erat homo dives*, inquit Christus, *qui habebat dispensatorem.* Per illum hominem *Deus* intelligitur, qui verè est αὐταρκής & ditissimus ab æterno in æternum. Nam ipse est Dominus omnium, & dives in omnes, *Rom. 10 v. 12.* Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus, ait ipse, *Psalm. 15. v. 12.* Mecum sunt divitiæ & gloria, opus & justitia, *Prov. 8. v.* 18. Hic ditissimus Pater in familiam suam adsciscit dispensatores, ut rectè administrent bona, quæ illis concredidit. Quinam illi? Homines sunt, quibus amplam hujus mundi Oeconomiam commisit, unde Veteres: *Genus humanum nihil est aliud, quàm familia quædam Patris cœlestis.* Quemadmodum verò distinctos servos alit paterfamiliâs, ut alius hoc, alius illud expediat: sic Deus ad diversa vocat, & cuivis agenda præscribit. Quæ ut rectiùs curentur, notitia illorum prærequiritur. Non enim laudabiliter administrat, qui sui muneris quod sit, ignorat.

1. Vocationem considera.

Sciendum igitur, quòd *duplex* sit vocatio, cujus vigore nobis incumbit recta bonorum dispẽsatio. Una est *generalis*, quæ omnes homines nullo excepto attinet, & sancta nominatur, *2. Tim. 1.*

Duplex vocatio.

1. Generalis.

v 9.

Per quam concredita nobis est. v.9. Per hanc vocationem quadruplex villa, ut Veteres loquuntur, nobis est concredita.

Villa animi. 1. *Villa animi*, ad quam spectant *tum* bona naturæ, ut recta ratio, liberum arbitrium in moralibus, tenax memoria, & similia: *tum* bona gratiæ, quæ sunt concredita in creatione, *Gen.1.v.27. Ephes.4.v.24.* amissa per lapsum, *Iob.14. vers.4. Eph.2.v.3.* Sed reparata per Christum, 1. *Cor.1.v.10.* 2. *Cor.8. v.9.* oblata in verbo, & Sacramentis, unde fides oritur, *Rom. 10. vers.17.* & confirmatur, *Rom. 4.v.11.* per gratiam Spiritus, *Rom. 8. v. 16.* qui testimonium dat Spiritui nostro, quòd simus filii Dei.

Corporis. 2. *Villa corporis*, quò pertinet bona valetudo, figura erecta, & varietas membrorum, siquidem linguam dedit Deus ad loquendum, manus ad operandum, & distincta instrumenta sensuũ. Hæc omnia sunt dona cœlestis Patris, quibus rectè uti, non turpiter abuti convenit.

Mundi. 3. *Villa mundi*, quippe qui nobis cessit in habitationem cum dominio super animalia omnia, quod datum, *Gen.1. v. 28.* Et licet in lapsu sit amissum, quoad plenam facilemq; χρῆσιν, mansit tamen quoad κτῆσιν, & usum aliquem, qui renovatus, *Gen. 9. v. 1.*

Proximi. Tandem 4. *Villa proximi*, cujus bona, quamvis non sint nostra quoad possessionem; obstricti tamen sumus in tantum, ut illa promovere, non minuere, tueri, non perdere teneamur.

Et hæc est ista quadruplex villa, super quam Deus nos homines generali vocationis modo dispensatores constituit.

2. Specialis Restat altera vocatio, *Specialis* dicta, quia non univer-

universos concernit, sed certas Personas. Estque triplex, *Ecclesiastica* ad chorum, Eph. 4. vers. 11. Act. 20. v. 28. *Politica* ad forum, Rom. 13. v. *Oeconomica* ad torum, Syr. 3. v. 3.

Hæc sunt illa distinctissima bona, quorum dispensatio nobis est commissa. Eorum semper recordemur, ne ad nostrum placitum abutamur. Cogites, ô *Homo*, tua non esse, quæ possides. Dei sunt, cœlestis Patris sunt, qui ad tempus concredidit, & iterum rationem poscet. Quid enim habes quod non accepisti? *1. Cor. 4. v. 7.* Tu nihil aliud es, quàm famulus & dispensator. Rectè igitur talentum tuum adhibe, ne defodiatur, vel perdatur. Ecce animam habes intellectu præditam, de hujus salute sis solicitus. Corpus validum habes, non temerè periculo objicias: Bona fortunæ habes, per crapulam non abligurias. Sic in omnibus recordatio vocationis, erit stimulus rectæ dispensationis.

II. Deo vocanti obtempera. Non enim sufficit officii consideratio, sed inprimis requiritur actio. Et villicus iniquus noverat, quæ agenda essent, sed obedire nolebat. Quare inprimis necessarium est, ut cœlesti Patri obsequamur, & munere nostro rectè fungamur. Percurremus igitur omnes officii partes, ut discamus obtemperare, nec ulla prætendi possit ampliùs ignorantia. *2. Deo vocanti obtempera.*

Quod *vocationem generalem* attinet, & *1. Villam animi*, duo requiruntur ad ejus curam, *Fides* vera, & *Pietas* sincera, quæ conjungit Apostolus Johannes 1. *Epist. 3. v. 23.* Totus enim noster Christianismus nihil est aliud, quàm fides in Deum, & charitas in proximum, scribit *Ignatius* Epist. 7. *Quomodo curanda sit villa Animi.*

His

His animam donis instructam esse oportet, si Deo placere debeat. Fides autem consistit in cognitione *partim* Dei, *partim* nostri, juxta illud Augustini, *Domine da mihi nosse te, nosse me. Deus* cognoscendus est ratione sui 1. *Esse*, quod tale, ut sit unus essentiâ, trinus ὑποστάσει. 2. *Velle*, quod duplex, Legale & Evangelicum. 3. *Operari*, quod internum, vel externum est, & creaturas attinet. Homo cognoscitur ratione statuum distinctorum, quorum *Primus* est de gratiæ collatione in Adamo: *Secundus* de collatæ amissione per lapsum: *Tertius* de amissæ restauratione per Christum: *Quartus* de restauratæ consummatione, quam expectamus in cœlis. Pietas verò elucescit ex charitate, cujus objectum geminum est: *Alterum* supra nos, Deus: *Alterum* juxta nos, proximus. *Illum* diligamus ex toto corde, *hunc* sicut nos ipsos. De *illo* prima, de *hoc* secunda Legis tabula præcipit, juxta cujus normam qui vivere allaborat, villam animi rectissimè curat.

Corporis. 2. Circa *villam corporis*, ejusq; administrationem tria sunt necessaria, (1) *Ne* nimiùm maceretur corpus jejuniis, vigiliis, flagellationibus, ut Papicolæ habent in more positum. Est enim hoc contra præceptum Apostoli, *Col. 2. v. 23.* (2) *Ne* luxu & crapulâ infirmetur. Nam curam corporis habere debemus, sed non εἰς ἐπιθυμίαν, *Rom. 13. v. ult.* Ita enim valetudo perditur, & Dei bona pessimè collocantur. (3) *Ut* omnia corporis membra ad promovendam Dei gloriam adhibeantur, *1. Cor. 10. v. 31.* Cor tuum sit templum Spiritus S. lingua loquatur magnalia Dei, aures audiant verbum Evangelii: Oculos à vanitate aver-

tas,

tas, manibus succurras indigentibus, & ita consequenter. Hoc si feceris, dispensator justus eris, & præmium largissimum consequêris.

3. *Villam Mundi*, & bona hujus seculi quod spectat, iis non est abutendum; non fruendum, sed utendum. Abutuntur *prodigi* & luxuriosi, quorum *Deus venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, coquus Sacerdos. Eorum tota charitas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota spes in ferculis jacet*, ut illos describit *Tertullianus*, libr. contra Psychicos. Hi sunt iniqui dispensatores, qui excludentur è regno cœlorum, *Galat. 5. v. 21.* Frui præsumunt *avari*, qui divitiis cor apponunt, & in iis beatitudinem quærunt. Hi censent bonorum se Dominos esse, quum sint tantùm Oeconomi, qui nihil secum hinc auferent, *Psal. 49. v. 12. 1. Tim. 6. v. 7.* Quare deriventur fontes nostri foràs, *Proverb. 5. v. 16.* ut utamur opibus mundi ad Dei gloriam, ministerii & pauperum alimoniam. His quod facimus, ipsi Christo facimus, *Matth. 25 vers 40.* Rectè Chrysologus: *Manus pauperis est gazophylacium Christi*, quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Nec tantùm acceptat; sed largiter compensat, reddendo centuplum, *Matth. 19. v. 29.* Si non in terris, attamen in cœlis? *Pulcra commutatio*, inquit Augustinus, *pro eo quod retinere non potes, accipere, quod amittere non potes.* Huc spectat Christi admonitio clausularis: *Facite vobis amicos ex mammona injusto*, hoc est, de opibus vestris, quæ plerunque vel malo titulo possidentur, vel iniquè dispensantur, pauperibus aliquid distribuite, ut recipiant vos in æterna tabernacula, non meren-

Mundi.

do id suis opellis, sed *partim* pro vobis orando, *partim* de fide vestrâ fideiq; fructu testificando.

Proximi. 4. Circa *villam proximi* simus soliciti, ne defraudetur à nostris; admoneamus, si periculum immineat: succurramus, si vim patiatur, exemplo Abrahami, *Gen. 14. v. 14.* & Davidis, *1. Sam. 30. v. 6. & seqq.* quod si studiosè imitemur, dispensationis nostræ officio rectè fungemur.

Specialis vocatio qua requirat. Et hactenus de vocatione generali: Quoad *specialem* similiter quivis faciat, quæ cœlestis Paterfamiliâs requirit. Pastor attendat gregi, *Act. 20. v. 28.* elevet vocem ut tubam, *Esa 58. v. 1.* hortetur loco Dei, *2. Cor. 5. v. 2.* ut Pater suos filios, *1. Thess. 2. v. 11.* bonóq; exemplo præeat auditoribus, *1. Tim. 3. v. 2.* Magistratus studeat æquitati & justitiæ, recordans sibi gladium non esse frustrà commissum, *Rom. 13. v. 4.* ne reperiatur in eorum numero, de quibus Dominus conqueritur, *Esa. 1. v. 23.* Subditi magistratum venerentur, & obediant, *Rom. 13. v. 5.* Viri diligant uxores, *Eph. 5. v. 26.* & hæ subditæ sint viris, *v. 23.* Parentes educent liberos in disciplina, *Eph. 6. v. 4.* & hi non sint immorigeri, *Syr. 3. v. 18.* ancillæ & servi obediant suis dominis cum timore & tremore, *Eph 6. v. 5.* scientes, quoniam unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino *v. 8.* Quibus præceptis qui obedierit, benè dispensabit, & olim largissimam cōpensationem reportabit.

3. Causas obtemperandi pondera. III. Caussas obtemperandi pondera. Illarum multæ sunt, sed tres imprimis proponuntur in Evangelio.

Quæ sunt 1 Gravis accusatio. 1. *Gravis accusatio.* Nam iniquus villicus statim delatus est apud Dominum, quòd dissipa-

ret

ret bona ejus. *Ita* memineris, te accusatum iri, quamprimùm iniquè talentum tuum adhibueris. Habet aliâs Deus oculos majestatis, & omnia patent conspectui ejus, *Psal.139. v.12. Syr.16.v.16.17.* Sed accedunt insuper accusatores varii, quorum memoria quemvis à peccatis avocare deberet. *Varii accusatores.* Ecce *supra* te accusant Angeli, videntes faciem Patris *Matth. 18 v. 10.* & mala opera deferentes. Hinc antiqui: *Ne pecces, Dominus videt, & tuus Angelus adstat. Iuxta* te sunt (1) præcones verbi, qui graviter conqueruntur, exemplo Eliæ, *1.Reg.19 v.10.* Esaiæ *cap.53. v.1.* & Jeremiæ, *cap.61. v.10.* Nec frustraneæ sunt hæ querelæ, sed cœlum ascẽdunt, & penetrant. (2) Magistratus, qui Leges utiles præscribit, præmiis ad bonum invitat, minis à malo deterret. Hi tristantur subditorum inobedientiâ & vindictam postulant à Deo. (3) Proximus, qui offenditur, ideoque lacrymas effundit, quæ iniquitatem ad Deum deferunt, *Syr. 35. v.19.* (4) Omnis creatura, quâ si quis abutitur, facit ipsam ingemiscere, *Rom 8. v.22.* Accusat potus, qui ebrietati; cibus, qui crapulæ; vestitus, qui superbiæ servire cogitur. Ingemiscit terra, quæ maculatur sanguine innocenti; ingemiscit aurum, quod cistâ reconditur; frumentum, quod pauperibus non distribuitur; ferrum quo proximus interficitur: & tot tantosq; accusatores non timebis.

Imò & *intra* te accusatorem habes, malam nimirum conscientiam. Hic est magnus ille codex, *in quo quotidiana vitæ nostræ descripta sunt*, ut loquitur Chrysostomus. Hic est tortor ille cordium, & vermis pungens, qui ad desperationẽ ad-

egit Cainum, *Gen. 4. v. 13.* & Judam, *Matth. 27. v. 3. & seqq.* Sed nondum satis: Restat *infra* te Accusator alius, isq; gravissimus. *Ecce!* Diabolus ascendit ex inferno, miscet se Angelis, *Iob. 1. v. 6.* & accusat nos interdiu noctùque, *Apoc. 12 v. 10.* Judica, *inquit*, æquissime judex: *Iudica meum esse, qui tuus esse noluit*, ut Augustinus eum loquentem introducit, *Serm. contra Pagan. & Arian.* Hos igitur delatores formidemus, ne tot accusationibus cumulatis, gravissimam nobis pœnam attrahamus.

2. Velox citatio.

2. *Velox citatio.* Quum delatus esset villicus, mox vocavit illum Dominus, & dixit: *Quid audio te te? Redde rationem:* Ita nemo abibit impunitus. Veniet dies citationis, quem impetrant præviæ accusationes. Ita citabatur Adam, *Gen. 3. v. 9.* Cain, *Gen. 4. v. 9.* David, *2. Sam. 12. v. 1. & seq.* & alii. Eadem sors est nostrorum omnium. Citamur ad tribunal Dei, & quidem modis variis, 1. per conciones pœnitentiæ, 2. per minas legales, 3. per signa iræ, 4. per adversitates, 5. per mortem ipsam, quæ nihil aliud est, quàm citatio Dei ad reddendam rationem. Ibi vox Dei de cœlo quasi descendit, & cor moribundum tangit: *Quid audio de te?* Ego curandam tibi commisi villam animi, corporis, mundi, proximi. Redde jam rationem dispensationis. Tu debuisti mihi servire in Ecclesia, tu in Curia. Rationem reddite, & accusatoribus vestris respondete. Annon hic processus tandem aliquando veternum excutere, & ad vitam cautiùs instituendam nos excitare deberet.

3. Severa ultio.

3. *Severa ultio.* Iniquus enim dispensator ab officio

officio mox removetur, & ipsi dicitur: *Non poteris posthac dispensare.* O tremendum judicium! quis non recordatione hujus expavescat? Similem dispositionem expectent omnes iniqui villici. Est illa duplex, *Prior* in hoc mundo instituitur, quum Deus dona sua subtrahit, *Ose. 2. v. 9. Matth. 25. v. 29.* & è sede potentes dejicit, exemplo NebucadNezaris, *Dan. 4. v. 28. Posterior* in futuro seculo instituetur, ubi totalis indicetur abjectio, verbis maximè horrendis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. v. 41. Ibi neminem excusabit juventus, neminem ebrietas, neminem prava conversatio, sed retribuetur unicuiq; in caput suum, *Syr. 17. v. 19.* Ut ejus bonitas, sic & ira, quum accenditur, est infinita, *Syr. 16. v. 19.* Hanc ut effugiamus, semper sonet in auribus nostris vox citationis. *Redde rationem*, ne cogamur audire sententiam damnationis: *Non poteris posthac dispensare.* Magnus autem cœli terræque Pater suo nos Spiritu S. semper dirigat, ut bona nobis concredita rectè administremus, citati compareamus, & præmium bonæ dispensationis reportemus, Audientes ab ipso vocem suavissimam: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*, Amen, in Christo Jesu,
Amen.



EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA X. POST TRINITATIS,

Luc. 19. à verſ. 41. uſque ad fin.

De Excidio Hieroſolymitano, & reformatione Templi.

V. 41. ΚΑὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ᾽ αὐτῇ.

42. λέγων, ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ, καίγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου· νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου.

43. ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν.

QUumq; appropinquaſſet, vidiſſetq; civitatem, flevit ſuper ea.

Et ait: Nempe ſi tu noſſes ea quæ ſunt ad pacem tuam, vel ſaltem iſto die tuo, nunc autē occulta ſunt ab oculis tuis.

Advenient autem tibi dies, quibus obſidebunt te hoſtes tui, & cingent te ab omni loco.

VNd als er nahe hinzu kam/ sahe er die Statt an/ vnd weinet vber sie.

Vnnd sprach: wenn du es wüſteſt/ ſo würdeſt du auch bedencken zu dieſer deiner zeit / was zu deinem Friede dienet / Aber nun iſts für deinen Augen verborgen.

Denn es wird die Zeit vber dich kommen / das deine Feinde werdē vmb dich vnd deine kinder mit dir / eine Wagenburg ſchlagen/ dich belägern/ vnd an allen Orten ängſten.

44. καὶ

44. καὶ ἐδαφιοῦσί σε, καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοί· καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ, ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.

Et evertent te, filiosq; tuos intra te: neq; relinquẽt in te lapidem super lapidem, eò quòd non noveris tempus visitationis tuæ.

Vnd werden dich schleiffen / vnd keinen stein auff dem andern lassen / darumb / das du nicht erkennet hast die Zeit / darinnen du heimgesucht hast.

45. καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας ἐν αὐτῷ καὶ ἀγοράζοντας.

Quumq; ingressus esset in Templum, cœpit ejicere eos qui emebant in eo & vendebant.

Vnd ergieng in den Tempel / vnnd fieng an außzutreiben / die drinnen verkaufften / vnnd kaufften.

46. λέγων αὐτοῖς, γέγραπται, ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς ἐστιν. ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

Et ait illis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Vnnd sprach zu jhnen: Es stehet geschrieben: Mein Hauß ist ein Bethauß / jhr aber habets gemacht zur Mördergruben.

47. καὶ ἦν διδάσκων τὸ καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι, καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ.

Et ipse docebat quotidie in tẽplo. Princepes autem Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores populi studebant eum perdere.

Vnd lehret täglich im Tempel. Aber die Hohenpriester vnd schrifftgelehrten / vñ die fürnemesten im Volck trachteten jmnach / das sie jhn vmbbrächten.

48. καὶ οὐχ εὕρισκον τὸ τί ποιήσωσιν. ὁ λαὸς γὰρ ἅπας

Nec inveniebãt quod agerẽt ei: omnis enim popul⁹

Vnd sie funden nicht / wie sie jhm thun solten / denn

ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων. | pendebat ab eo, ut ipſum audiret. | alles Volck hieng ihm an / vnd höret ihn.

Homilia.



Duæ proprietates Dei valdè illuſtres, Miſericordia & Iuſtitia.

NTER proprietates divinas duæ ſunt maximè principales, *Miſericordia & Iuſtitia.* Utramq; conjungit Dominus in promulgatione legis, *Exod.20.v.5.* & repetitur, *cap.34.v.7.* Ex *Miſericordia* nos diligit; per *Iuſtitiam* punit. Dilectio ejus ſemper præcedit; ſi verò ſpernatur, & ingrati ſimus, debita pœna ſequitur. Proprium quidem Dei opus eſt miſereri, *Eſa.28.v.20.* ſi tamé ſalutis media contemnantur, exardeſcit ira ejus, ut nemo queat reſiſtere, *Iob.19. v. 13.* Tum enim fit ignis conſumens, *Deut.4.v.24.* Deus æmulator, *Nahum.1.v.2.* In cujus manus horrendum eſt incidere, *Heb.10.v.31.*

Octo memorabilia iræ divinæ exempla.

Hujus ardentis iræ octo inprimis memorabilia exempla in Scripturis annotata reperiuntur: 1. Damnatio dæmonum, 2. Pœna lapſorum hominum. 3. Univerſale diluvium. 4. Sodomæ deflagratio. 5. Pharaonis ſubmerſio. 6. Expulſio Cananæorum. 7. Chriſti Paſſio, & 8. ultima Hieroſolymæ vaſtatio.

De *poſtremo* hoc iræ exemplo tragico hodiernâ Dominicâ quotannis agitur in Eccleſia, ut cautos nos faciant aliena pericula. Si populo ſuo non pepercit Dominus, quî nobis parceret? Si factum hoc in ligno viridi, quid fiet in arido? Ipſe clamat elatâ voce apud Jeremiam cap. 15. verſ. 29. *Ecce, in civitate, in qua vocatum eſt nomen meum,*

ego incipio affligere, & vos eritis immunes? Non eritis, ait Dominus exercituum. Ne igitur cum Judæis tempus visitationis negligamus, præsens Evangelium diligenter considerabimus,

Partes ejus duæ sunt, quarum *prior* agit de Hierosolymæ vastatione, v. 41. 42. 43. 44. *Posterior* de Templi reformatione, v. 42. seq. Nos Christum Servatorem hodiè cumprimis intueri, ejúsque dicta & facta probè observare debemus, ubi 1. occurrunt *lacrymæ*, 2. *Prædictio* excidij, 3. *Repurgatio* templi, ut ita videre liceat 1. Christum *lacrymantem*, 2. Christum *vaticinantem*, 3. Christum *reformantem*. *Partes Evangelij.*

Ne autem prolixitas gignat fastidium, hac vice *solas Christi lacrymas* consideraturi sumus, quem ipsum invocamus ardenter, ut cogitationes malas ejiciat è cordibus nostris, quo fiant templa Spiritus S. & vasa misericordiæ, Amen. *Propositio.*

TRACTATIO.

Legimus *Esthera 6.* Mardochæum ad Regis Ahasveri mandatum maximis honoribus fuisse affectum, & equo regio per urbis compita circumvectum. Sed pompa hæc exterior procul dubio non sustulit luctum internum, quem ob sententiam adversus Judæos decretam, *cap. 3. vers. 13.* conceperat. Simile quid contingit in hodierno Evangelio. Cœlestis Mardochæus Christus Jesus, Hierosolymam ingressurus, cum plausu excipitur, & honoratur à populo acclamante: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*, Luc. 19. v. 38. Sed quùm omnes lætarentur, ipse ex interno dolore animi uberrimè lacrymatur. Videns enim civita- *Historia de Mardochæo accõmodatur ad Christum.*

tem Hierosolymam, flevit super illam. *O rem admirandam,* Deum flere, Dei filium largo lacrymarum imbre madescere! Venit applausu populi, & flevit! Venit ad redimendum & flevit!

Cur Christus fleverit?

Quam verò hujus inopinati fletus causam esse putabimus? Num *Paßio* brevi secutura? Neutiquam, quia nullibi ploràsse legitur, in Evangelica historia, neque quùm pateretur, neq; quùm crucifigeretur. Num *paupertatem & inopiam?* Neque hoc, quia ultrò se exinanivit, & propter nos egenus factus est, ut ipsius inopiâ ditaremur, 2. *Cor. 8. v. 9.* Quid ergò lacrymas Christo tàm largas expressit?

Peccatum fuit, *Auditores,* peccatum Judæorum, & inde oriturum grave supplicium, quod prævidebat. Electa erat Hierosolyma, ut esset habitaculum & caminus Dei, *Esai. 31. v. 8.* ut in ejus domibus cognosceretur Altissimus, *Psal. 48. v. 4.* Erat ibi templum sanctissimum, erat ibi Arca & Thronus gratiæ, erat summus Sacerdos & magnum Synedrion. Nulla igitur in orbe fuit urbs, vel magis honorata à Deo, vel magis celebrata inter homines. Sed incolæ hæc tanta beneficia neglexerunt, variisq; sceleribus se polluerunt ingrati erga Deum, injurij erga Dei ministros, crudeles in ipsum Dei filium. Hi enim erant illi, qui Redemtorem suum paucis post diebus capturi, crucifixuri, occisuri essent. Christus ergo dum prævidet passionem suam acerbissimam, mortem truculentissimam, quoad istos homines, quos sincerè diligebat, ob quos primùm venerat, irritam fore & frustraneam, totus propterea in lacrymas solvitur & suspiria. Considerabat insuper pœnas, ingra-

ingratitudinem istam secuturas, neque tantùm æternas, sed inprimis temporales, nempè vastationem Hierosolymæ, & miserabilem stragem Judæorum. *Hæc, hæc* penetrabant animum mitissimi Salvatoris. Flevit igitur ex *amore*, quo gentem suam prosequebatur. Flevit ex *indignatione*, quam ingratitudo populi excitabat: Flevit tandem ex *commiseratione*, quæ ex prævisione vastationis miserrimæ oriebatur.

Hinc ipsam civitatem lamentabili voce alloquitur: *O si & tu cognovisses, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Oratio est ellyptica, ut gemebundi dimidiata verba proferre solent. Hoc autem vult innuere: *O si & tu* cõsiderares periculum imminens, utique similiter fleres. *O Ierusalem, Ierusalem*, si me Regem tuum agnosceres, quàm beata fores! *Ecce!* hodie ingredior salutis tuæ gratiâ: cur renuis? Medicus venio: cur spernis? Salvator venio: cur crucifiges? Vitæ pacisque autor venio: cur interficies? *Ah si vel tandem aliquando* evigilares! *Ah si*, quæ ad pacem tuam pertinent, curares! *Sed heu!* frustra queror: abscondita sunt hæc ab oculis tuis: Cor tuum induratum est. Hinc veniet dies vastationis. Non igitur flerem super te, illam civitatem, quam elegi, in qua patiar, pro qua moriar, ob quam homo factus sum! Serò, serò nimis hæc cogitabis, quia tempus gratiæ nunc negligis.

Et hactenus Christum lacrymantem vidimus, querulantem audivimus: Jam usum attendamus. Non enim frustrà sunt profusæ hæ lacrymæ, sed insignes usus continent. In Papatu commen-

mendantur lacrymæ *Ottiliæ*, quæ faciant ad oculorum ſanitatem, ſed meræ fabulæ ſunt. Chriſti lacrymas adhibeamus & curabimur. Laborat *partim* oculus noſtri corporis, videndo vanitatem, *partim*, oculus mentis, non videndo veritatem! ſed utrique vitio ſuccurrunt lacrymæ Chriſti: Ex his ſi fiat collyrium, videbimus, juxta monitum, *Apoc. 3. v. 18.* Ananias, quùm cæcutienti Paulo imponeret manum, ceciderunt ſquamæ ab oculis ejus, *Act. 9. v. 18.* Ita reſtituetur nobis viſus myſticus, ſi piè conſideremus Chriſti lacrymas. Ut autem uſus earũ diſtinctim recitemus, proſunt.

Chriſti lacrymæ proſunt.

1. Ad demonſtrandam ejus humanitatem.

I. Ad humanitatem Chriſti demonſtrandam. Manichæi olim delirârunt, filium Dei aſſumſiſſe tantùm φάντασμα corporis. Marcionitæ rati ſunt, corpus quidem aſſumſiſſe, ſed diverſæ à nobis ſubſtantiæ. Alij nullis eum paſſionibus doloribúsq; fuiſſe obnoxium, quod Hilarium cenſuiſſe autumant. Hi omnes validè refutantur per lacrymas Chriſti. Nam fletus certum humanitatis veræ indicium eſt, ut & animi dolentis ac comparientis. Quia igitur Chriſtus lacrymas profudit, homo utiq; fuit, & carnem nobis ſimilem habuit. Imò & in ſolatium hoc cedit, quòd ſciamus, nos habere talem Pontificem qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatus per omnia, *Hebr. 4. v. 15.*

2. Ad declarandũ ejus amorem.

II. Ad amorem Chriſti declarandum. Non eſt ἄστοργος aut ἐπιχαιρέκακος: non delectatur interitu hominum, ut fingunt Calviniſtæ. Nam ſi ex abſoluto ejus beneplacito perirent homines, cur lachrymas profunderet? *Sunt enim*

lacry-

lacrymæ legati dolorum, teste *Cypriano*, lib. 2. cap. 7. sunt *sanguis animi vulnerati*, ut loquitur Brentius super c. 11. Joh. Si ergò Christus dolore afficitur ob perditionem hominum, quî absolutè potest illam velle aut decernere? Neque putemus, has fuisse Crocodili lacrymas. Absit, ut tantam Christo hypocrisin & simulationem affingamus. Seriò flevit, quod pathetica ipsius oratio luculenter comprobat. Et si tàm acerbè flevit, ob excidium temporale, quantò magis dolebit ob æternam hominum damnationem? Quoties ergò Calviniani de absoluto decreto garriunt, quoties illo ipso nos Satanas tentat, mox Christi lacrymas opponamus & confundentur adversarij. Ut enim interitu Judæorum gavisus non est: Ita nec nostro, sed expectat ut revertamur, *2. Pet. 3. v. 9.* & ipse misereatur, *Esa. 30. v. 18.* Imò etiamnum lacrymatur, nî revertamur, non quidem ἀμέσως sed ἐμμέσως. (1.) In *membris suis*, ingratitudinem mundi deplorantibus. (2.) In *ministris*, sæpè suspirantibus, *Esa. 33. v. 7. Ierem. 9. v. 1. Act. 20. v. 31.* (3.) In *magistratu*, contumaciam populi deplorante. (4.) In *creaturis cæteris*, quùm cœlum largas pluvias demittendo lacrymari videtur, & aliis signis testatum redditur, Deum nolle mortem peccatoris, sed potiùs ut vivat, & maturè pœnitentiam agat.

III. Ad commiseratione͂ excitandam. *3. Ad excitandam commiserationem.*
Quia enim Christus compatitur Judæis, cur non & nos aliorum cladibus afficiamur? Satan est ἐπιχαιρέκακος, & ejus filij gaudent aliis patientibus, ut Edomitæ, *Ps. 107. v. 7.* Nos autem Christum misericordem imitemur, sanctorum neces-

sitati-

ſitatibus communicantes, *Rom.* 12. *v.* 13. & cum flentibus flentes, *v.* 15. Requirit hoc Christiana dilectio, quæ non cogitat malum, neque gaudet super iniquitate, 1. *Cor.* 13. *v.* 6. Qui non afflictionem afflicto addunt, & Davidi patienti cum Simei maledicunt, 2. *Sam* 16. *v.* 5. hi Deum ad iram provocant, adeoque pœnas debitas nunquam effugient. Aman delectabatur exitio Mardochæi, quod ſperabat: ſed ipſe patibulo affixus eſt, quod ædificaverat. Sic impij cadunt in foveam, quam piis præparant: & qui aliorum pernicie gaudent, pòſt ſeipſos compaſſione indignos reddunt. Quæ ergo vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis, *Matth.* 5. *v.* 12.

4. Ad deflendam iniquitatem.

IV. Ad iniquitatem deflendam. Nam ecce! filius Dei plorat, & nos ridebimus? Ipſe deflet ſcelera aliena, & nos in propriis gaudebimus? Lætatur Deus in operibus ſuis, *Pſ.* 104. *v.* 13. & gaudet, quando creaturas cæteras ad obediendum videt promtiſſimas. Soli homines ſunt, qui exorbitant, quos feciſſe Deum pœnituit, *Gen.* 6. *v.* 6. ob quos ſolos hodie Chriſtus flevit. Annon ergò dedecus eſt, mundum adeò ſecurè vivere! ut non curet ea, quæ ad pacem & ſalutem pertinent? Deus Pater manus expandit, *Eſai.* 65. *v.* 2 Deus filius vocat, *Matth.* 11. *v.* 28. Deus Spiritus Sanctus pulſat, *Apocal.* 3. *verſ.* 20. Quis verò eſt qui veniat, aut aperiat? Omnes cum Judæis contemnunt verbum, & pergunt in malitia Hæc deploranda eſſet, ſed ob illam triumphant plurimi. Quia igitur nos renuimus flere, en Chriſtum hodie lacrymantem! Quot & quanta Germaniæ noſtræ exhibuit beneficia? Pacem conceſſit, hal-

cionis

cionia dedit, & quod maximum, Evangelij lucem accendit. Sed quis Evangelio dignè ambulat? In diem vivitur, ipse Deus blasphematur, Dei verbum ridetur, verbi sigilla Sacramenta contemnuntur, & securitati modus nullus ponitur. Sed num hæc impunè à vobis fieri autumabitis? Nolite spem irritam concipere. Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos, *Esa. 3. v. 13.* Ecce Christum hodiè lacrymantem, & sua iterum suspiria ingeminantem: *O si & tu cognovisses Germania, quæ paci tuæ serviunt! O si & tu caput attolleres, periculúmque imminens considerares!* Auscultate igitur monenti Domino, & de remediis cogitate. Non sunt hæc, *Auditores*, non sunt ab oculis nostris abscondita. Restat medium saluberrimum, quod est pœnitentia. Flete cum Judæis, *Iud 2. v. 4.* & propitiabitur Dominus. Flete cum Ninivitis, *Ion 3. v. 7.* & auferetur supplicium. Flete cum Magdalena, *Luc. 7 vers 38.* cum Petro, *Matth. 26. v. ult.* & remittetur peccatum. Christus ipse plorat, ut lacrymas nobis exprimat. Gaudebit cum Angelis, si redeamus in viam. Nam *lacrymæ pœnitentium sunt cibus Angelorum*, ut Bernhardus pulcrè loquitur super Canticum. Domum depascente flammâ, aliud non adhibetur remedium, quàm aqua: sic animo concupiscentiæ ardoribus æstuante aliâ ad suffocandum incendium non suppetit via, quàm lacrymas injicere pœnitentiæ. *O humilis lacryma!* exclamat Hieronymus in Epist. *Tuum est regnum, tua est potentia. Sola quidem intras ad judicem, sed non sola recedis.* Sunt lacrymæ cœlorum janitrices, peccatorum interpretes, pœnitentium Patronæ, Dei amicæ,

pietatis

pietatis tubæ & sanctitatis incentiva. O beatos igitur eos, qui flent & lugent, quoniam ipsi consolabuntur, *Matth. 5. v. 5.* Qui enim seminant in lacrymis, cum exultatione metent, *Psal. 126. v. 5.* ideoque omnes signantur ab Angelo, qui lugent super iniquitatibus, *Ezech. 9. v. 4.*

5. Ad risum mundi deserendum.

V. Ad risum mundi deserendum. Plerique deliciis inhiant, & in voluptatibus mundi beatitudinem quærunt. Sed avocare hos debebant Christi lacrymæ. Nam aliquoties flevisse, nunquam verò risisse legitur in Evangelio. An non igitur dedecus est, membra deliciari, & caput flere ob membrorum scelera? Vivimus hîc in regione alienâ, velut extorres à patria. Lachrymare ergò potius, quàm deliciari convenit. Israelitæ pulsi patriâ, nunquam induxerunt animum cantare, rogati à Babyloniis, sed noctésque diésque continuò lamentabantur. Ita enim *Psal. 137. v. 1.* ipsi de se testantur: *Super flumina Babylonis sedimus & flevimus.* Nos quoque hîc degimus velut in captivitate, & regione peregrinâ. Mundi igitur delicias & risus spernamus, ne cœlestis patriæ oblivíscamur. Hinc Ecclesiastes ait, cap. 7. vers. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij.* Nam risus & gaudium mundi (1.) diuturnum non est, sed instar puncti, *Iob. 20. v. 5.* & perit quùm minimè putes. (2.) Dementat hominem, ut vinum forte, quod non est temperatum. Cor autem sapientis, ubi tristitia est, *Eccles. 7. vers. 5.* Hinc Salomonem deseruit sapientia, quùm nimiùm deliciaretur. (3.) In fletum tandem vertitur, quia extrema gaudij luctus occupat, *Proverb. 14. vers. 13.* Quæ quùm ita sint, mundo suum

ſuum riſum relinquamus, & cum Chriſto potiùs ploremus.

Huc nonnulli referunt quadruplicem Chriſti fletum, in quo ipſi debemus conformari. Nam 1. flevit in *nativitate*, quia primam vocem ſimilem omnibus emiſit, plorans, uti *Sap. 7. v. 3.* refertur ad infantes. Innuitur hoc fletu miſeria mundi, quia lacrymæ ſunt teſtes miſeriæ. Hanc igitur deploremus, nec deliciis inhiemus, quô ſpectat iſtud Auguſtini: *In valle miſeriæ ſumus, in qua eò magis eſt flendum, quò minùs flemus.* 2. In *Lazari reſuſcitatione*, cujus mortem deflevit, *Iohan.* 11. *v. 36.* Defleamus & nos eos, qui ſpiritualiter mortui ſunt in peccatis, exemplo Pauli, *Rom. 9. v. 1. 2. Cor. 2. verſ. 4.* & Jeremiæ *cap. 9. v. 1.* 3. In *cruce* offerens Deo lacrymas cum clamore valido, *Hebr. 5. verſ. 7.* Hunc fletum expreſſerunt peccata noſtra, quæ ob id ſimiliter deploremus. Sed multi rident in ſceleribus, quùm flere deberent, quos tandem opprimet ira Domini, ut æternùm ululare cogantur 4. Flevit tandem ſuper *Hieroſolymam*, in hodierno Evangelio ex compaſſione animi, ut nos excitaret ad ſimilem miſericordiam, exemplo Jobi, *cap. 30. v. 25.* Hæ ſunt illæ quadruplices Chriſti lacrymæ, quas conſiderãtes collacrymari debemus, ob peccata tum noſtra, tum aliena, & miſerias, quas vel ipſi patimur, vel alios perpeti experimur.

Chriſtus flevit quatuor vicibus.

VI. Ad afflictos erigendos. Non enim deſperabit in peccatis, qui cogitaverit Chriſti lacrymas. Pariunt ſolatium 1. in *miſeriis*. Nam ſi flendum ſit in hoc mundo, Chriſtum nobis compati, & quaſi collacrymari ſcimus. Tantus ergò Dominus noſtri curam quùm gerat, cur inani angore

6. Ad afflictos erigendos.

In miſeriis.

nos macerabimus? Jacta omnia super hunc Dominum, ipse faciet, *Psal. 55. v. 33.* Gaudeant alij te flente: satis est, quod Christum habeas condolentem. Scipio quùm videret conflagrationem Carthaginis, urbis celeberrimæ, fletum cohibere non potuit: longè mitior est Salvator noster, cujus cor tãgitur, quoties membra ejus affliguntur.

Tentatione. 2. In *tentationibus.* Non est cur desperemus. Non gaudet Christus interitu, non gaudet perditione nostra. Si enim Judæorum exitium deflevit, qui ipsum cruci adegerunt, & crudeliter occiderunt, quî salutem tibi invideret? Nondum ea commisisti, quæ Judæi, cur ergò desperabis? Et si commisisses, spem tamen certam faciunt Christi suspiria, quæ benevoli animi sunt indicia luculentissima.

Morte. 3. In *morte.* Nam in illa non manebimus, sed virtute Christi resurgemus. Ut enim lacrymæ illius penetrârunt sepulcrum Lazari, quò exiret, *Ioh. 11. v. 44.* Sic eadem vi aperientur tumuli nostri, ut detinere nos haut valeant in æternum.

Et timore damnationis. 4. In *timore damnationis.* Cur metuemus Satanam, quùm habeamus tàm misericordem Dominum? Si tangitur temporali excidio Hierosolymæ: multò magis afficietur æterno exitio animæ, In ipsum igitur speremus, & nullo tempore confundemur. Christi lacrymis cor pavidum inungamus, & efficax persentiscet solatium.

Et hi fuerunt *sex* illi usus lacrymarum Christi, quem iterum invocamus, ut velit illos in cordibus nostris confirmare, ut ipsius lacrymæ cedant nobis in peccati detestationem, in vitæ emendationem, in Christianam compassionem, in vivificam

tam consolationem & æternam beatitudinem, ut abstergantur tandem omnes lacrymæ, & metamus cum exultatione, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

Luc. 18. à vers. 9. usque ad 15.

De Pharisæo & Publicano.

V. 9. Εἶπε δὲ πρός τινας τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς, τὴν παραβολὴν ταύτην.

10. ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι, ὁ εἷς Φαρισαῖος, καὶ ὁ ἕτερος τελώνης.

11. ὁ Φαρισαῖος σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο, ὁ θεὸς, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, ἅρπαγες, ἄδικοι, μοιχοὶ, ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης.

POrrò dicebat hanc parabolã adversus eos, qui sibi confidebant se esse justos, omnésque despiciebant.

Duo homines ascenderũt in templum, ut preces funderent, unus Perischæus, & alter Publicanus.

Ecce Perischæus stabat inter se & animam suã (*secretò*) & hæc precabatur: Deus gratias ago tibi, quòd non sim sicut cęteri homines, rapaces & injurij, & mœchi, nec sicut iste Publicanus.

ER saget aber zu etlichen/ die sich selbst vermassen/ daß sie fromb weren / vnd verachteten die andern/ ein solch Gleichniß.

Es giengen zween Menschen hinauff in den Tempel zu betten / Einer ein Phariseer / der ander ein Zöllner.

Der Phariseer stund/ vñ bettet bey sich selbst also: Jch dancke dir Gott/ daß ich nit bin wie die ander Leute / Reuber/ vngerechte/ Ehbrecher / oder auch wie dieser Zöllner.

12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι.

Sed jejuno bis in hebdomade; & decimas do omniũ quæ poſſideo.

Ich faſte zwier in der Wochen/ vñ gebe den Zehenden von allem das ich habe.

13. καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι, ἀλλ' ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ, λέγων, ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.

Ille verò Publicanus ſtabat procul, nolebatq; vel oculos ſuos in cœlum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum, dicebátque, Deus, propitius eſto mihi peccatori.

Vnd der Zöllner ſtund von ferne/ wolte auch ſeine Augen nit aufheben gen Himmel/ ſondern ſchlug an ſeine Bruſt/ vnnd ſprach: Gott ſey mir Sünder gnädig.

14. λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος. ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται, ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται.

Dico vobis, deſcendit ille juſtificatus domum ſuã, potiùs quàm Periſchæus ille. Nam quicunq; ſe extollit, deprimetur; Et quicunq; ſe deprimit, extolletur.

Ich ſage euch: Dieſer gieng hinab gerechtfertiget in ſein Hauß für jenem. Denn wer ſich ſelbſt erhöhet/ der wird erniedriget werden/ Vnd wer ſich ſelbſt erniedriget/ der wird erhöhet werden.

Homilia.



Ecclesia comparatur ſagenæ, *Matt.* 13. *v.* 47. in qua piſces capiuntur & boni & mali: Unde ſequitur, duas eſſe claſſes Chriſtianorum, quarum altera *pios*, altera *impios* comprehendit. Ex qua diſtinctione fluunt *quatuor duplicia*, quæ ſemper occurrunt in Eccleſia.

Quatuor duplicia.

1. Du-

1. *Duplex Fides.* Una est *piorum*, qui Scripturis simpliciter credunt, & Christo humiliter confidunt. Altera *Hypocritarum*, qui rationi suæ mysteria conformant, operúmque merita jactant. *Duplex Fides.*

2. *Duplex Iustitia*, quam *alij* quærunt in obedientiâ Christi, *alij* in sanctitate propriâ. *Iustitia.*

3. *Duplex Oratio*, quùm *quidam* animo demisso, *quidam* superbo ad Deum accedunt. *Oratio.*

4. *Duplex Vita*, siquidem *nonnulli* peccata sua agnoscunt & pœnitentiam agunt: *nonnulli* sine fide & timore ex vana sanctitatis persuasione ambulant. *Vita.*

Exemplum horum duplicium proponitur præsenti Evangelio, ubi Christus παραβολικῶς duas personas introducit. *Pharisæum* & *Publicanm Pharisæus* impiorum, *Publicanus* piorum idea est. *Ille* spem ponit in operibus propriis, *hic* in solo Deo. *Ille* justitiam quærit in se, *hic* extra se. *Ille* orat arroganter, *hic* humiliter. *Ille* manet impœnitens, *hic* resipiscit. *Summa Evangelij.*

In duas igitur partes hoc Evangelium commodè dispescitur. *Partes.*

Prior sub Persona Pharisæi hypocritas:

Posterior sub Persona Publicani pœnitentes describit.

Nos priorem hac vice consideraturi, de duobus præcipuè agemus.

1. *De Pharisaismo in genere.* *Propositio.*

2. *De Pharisæi hujus peccatis in specie.*

Deus sit & nobis propitius, gratiámque Sancti Spiritus clementi largiatur, Amen.

PARS I.
De Pharisaismo.

PRædixit Esaias, *cap. 40. vers. 4.* sub Adventum Messiæ *colles deprimendos & valles exaltandas esse.* Per *colles* autem intelliguntur superbi, per *valles* contriti & humiles. Consuevit igitur CHRISTUS superbos deprimere, humiles erigere.

Exemplum suppeditat præsens Evangelium, in quo ante conspectum nostrum producuntur Personæ prorsus dispares, *Pharisæus* turgidus, & *Publicanus* humilis. Ille collis instar seipsum exaltat, sed deprimitur: hic vallis instar se demittit, sed erigitur. Ita nimirum humiliantur qui se extollunt; sed extolluntur, qui se humiliant.

Ut verò collem istum elatum, nempè Pharisæum tumidum, rectiùs consideremus, de *Pharisaismo ipso*, elationis origine, quædam in genere proponemus, quùm ejus in historia Evangelica mentio fiat sæpissimè. Sex autem sunt, quæ inprimis considerationem merentur: 1. Pharisæorum *nomen*, 2. *Origo*, 3. *Doctrina*, 4. *Vita*, 5. *Genera*, 6. *Pharisaismus novus*, de quibus ordine agendum.

Pharisæorum 1. Nomen.

I. De nomine. Distinctæ hujus nominis Etymologiæ inveniuntur. *Hieronymus* contra Luciferianos sentit Pharisæos dictos à פָּרַץ quos dividere significat, unde Pharisæus idem esse quod *divisus* vel *separatus*, qui affectatâ sanctimoniâ est ab aliis sejunctus, uno verbo, *Sectarius*; Unde Apostolus Pharisæorum Sectam nominat, *Actor. 26. vers. 5.* Divisi autem ab aliis erant 1. sanctitate, 2. dignitate, 3. vitæ genere, 4. habitu. Sed quia

quia Judæi & Syri nomen Pharisæorum scribunt per ש hinc à פרש deducunt alij, quod habet significationem explicandi vel explanandi, ut Pharisæi sint dicti quasi *Legis explanatores*. Quãvis *Fôrsterus* in Lexico aliam rationem addat, dici nimirum Pharisæos ab *explicando*, quòd vita eorum oculis omnium esset conspicua & *quasi explicata*: quod tamen nimis remotum esse quivis intelligit. Priorem Etymologiam Josephus adprobat, quùm ait, *Pharisæi dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiam profitentur.*

II. De Origine. Hæc incerta est, neq; tempus præcisè in historiis annotatum legitur. Antiquissima Pharisæorum mentio apud Josephum fit sub Jonatha, tempore Machabæorum, annis ante natum Christum 150. Hospinian. refert *lib. de Orig. Monachatus, cap. 2. pag. 4.* annis ante Christum natum circiter centum & triginta sub Johanne Hircano Simonis filio tres Sectas emersisse, eò quòd doctores Legis alij alijs sanctiores haberi vellent, qui vestitu certísq; ritibus discernebantur, & erant Pharisæi, Sadducæi, Essæi. Quia verò hæc satis non constant, tempus ipsum orti Pharisaismi in dubio relinquimus, de quo prolixiùs agit J. *Drusius lib. 2. de Sectis Iudæorum, c. 7. & seq.* Certum hoc est, corruptelas legis Pharisaicas fuisse antiquas, nec paulò ante Christi Adventum introductas. Nam *Matth. 5.* ubi taxantur explicationes falsæ, Servator ipse antiquitatem istam innuit, aliquoties repetens: *Dictum est antiquis*, quæ verba non legem Mosaicam, sed ejus depravationem Pharisaicam respiciunt, ut alibi probatur.

2. Origine.

Non igitur statim, sed paulatim & successivè contigit apud Judæos veræ doctrinæ inclinatio, dum per hunc ille, per alium iste articulus corruptus fuit, donec tandem legis interpretes, qui præ aliis captabant laudem doctrinæ & prudentiæ, uniformem quandam, quoad generalia, expositionem eligerent: atq; hi ad distinctionem aliorum *Pharisæos* se nuncuparunt.

Prodest hæc observatio ad compescendos Jesuvvitarum clamores, dum à nobis perpetuò exquirunt tempus, locum, autorem mutatæ fidei antiquæ Romanæ, quoniam mutationē factam esse à nobis statuitur. Sed vicissim ab illis postulamus, ut omnes exorti Pharisaismi circumstantias; & modum variatæ fidei Judaicæ nobis commemorent, quod quùm facere haut possint, fateantur tandem oportet, ad demonstrandam religionis mutationem non requiri singularum circumstantiarum accuratam vel notitiam vel enumerationē, quùm istæ rem non constituant, sed foris tantùm comitentur. Christus ipse innuit, *Matth.13.v.24.25.* Zizania spargi hominibus dormientibus, & nihil tale observantibus. Dicent quo tempore Ecclesia Constantinopolitana fidē mutârit. Dicant, quando abusus, quos non dissimulavit Adrianus VI. in Comitiis Norimb. Anno 1523. in Ecclesiam Romanā irrepserint. Quod quùm præstari nequeat, distinguendum omninò est inter mutationem *lentam*, & *subitaneam*. *Illa* occultè, *hæc* apertè fit. *Illa* à multis ex ignorantia & incuria causatur: *hæc* à nonnullis ex malitia & odio introducitur. Mutatio igitur, quùm est subitanea, circumstantiæ notari & judicari facilè possunt: non autem quùm

Duplex mutatio.

est

est successiva, ubi corpus Eclesiæ pedetentim labascit, & ab antiquâ puritate deflectit. Ut enim non omnium corporis morborum initia observantur, sed semina ipsorum lentè sparguntur: Ita cum Ecclesia, corpore illo mystico comparatum est, ut origo defectuum non semper innotescat, quoniam successiva quandoque est, ut exemplo Pharisaismi clarissimè demonstravimus.

III. De Doctrina. Dogmata varia habuerunt, *quædam* vera, *quædam* falsa. *Vera* fuerunt, esse Deum cœli terræque creatorem venturum Messiam, posteritatem Abrahæ veram esse Ecclesiam, dari Angelos malos & bonos, animas post mortem superesse, futuram esse resurrectionem, in qua impii pœnis, justi præmiis afficientur, de quibus vide *Iosephum*, lib. 18. Antiq. cap. 2. *Falsa* fuerunt plurima, unum esse Deum, & unicam tantùm Personam, *Iohan 8. v. 41.* Messiam tantùm habiturum humanam naturam, *Matth. 22. vers. 42.* regnum ejus fore politicum & mundanum, unde & profluxit error filiorum Zebedæi, *Matth. 20. v. 21.* Legem exponebant tantùm de obedientiâ externâ, ideoque pravos affectus non habebant pro peccatis, quam opinionem Christus refutat, *Matth. 5.* Docebant legem naturalibus viribus impleri posse, quâ de caussa gloriatur hodie noster Pharisæus: *Non sum sicut cæteri.* Hinc justitiam coram Deo ponebant in externis operibus, ideoque superstitiosâ rituum, præsertim Sabbati observatione singularem sanctitatē præ se ferebant, de quo *Matth. 26.* Divortia ex qualibet caussa licere putabant, *Matth. 19. v. 3.* & melius esse de facultatibus aliquid templo cōferre,

3. *Doctrina.*

ferre, quàm parentes egenos alere, *Matth.* 15. v. 5.
Inprimis verò urgebant traditiones, quam νόμον
ἄγραφον, legem non ſcriptam, ſed oretenus tradi-
tam vocârunt. Huc pertinent ἐντάλματα de Sab-
bato, *Matth.* 12. v. 2. *Luc.* 6. v. 7. *Ioh.* 9. v. 16. de
jejunio, *Matth.* 9. v. 14. *Luc.* 5. v. 33. de lotione ma-
nuum, *Marc.* 7. v. 3. *Matth.* 15. v. 2. de lotione à fo-
ro, *Marc* 7. v. 4. de cibo cum peccatoribus non ca-
piendo, *Matth.* 9. v. 11, *Luc.* 7. v. 39. de juramento
per creaturas, *Matth.* 5. v. 34. de decimis, *Matth.* 23.
v. 23. quas & noſter Phariſæus jactat. Hæc fuit do-
ctrina illorum prorſus corrupta, quam Chriſtus
vitari jubet, tanquam fermentum inquinans &
corrumpens, *Matth.* 16. v. 6.

IV. De Vita. Omnia retulerunt eò, ut ab ho-
4. *Vita.* minibus magni fierent & laudibus ſummis eve-
herentur. In precationibus prolixè demurmu-
randis fuerunt induſtrii, *Matth.* 6. v. 7. eleemoſy-
nas dederunt in publico, *Matth.* 6. v. 1. Veſtes ge-
ſtârunt longiores, quibus præcepta Dei erant in-
ſcripta, unde dicitur *Matth.* 22. v. 5. *Dilatant phy-
lacteria*, quæ Epiphanius dicit fuiſſe purpurea. In
convertendis gentibus zelum & ſtudium adhi-
buerunt magnum, Matth. 23. v. 15. Corpus affli-
xerunt variè & vixerunt duriter. Nonnulli parâ-
runt ſibi aſſeres, referente *Baronio* Tom. 1. Annal.
p. 13. Edit. Antverp. dodrantis tantùm latitudi-
ne, & in his ſe ad veſperam locârunt, ut ſi quis
dormiſſet, in pavimentum decideret, & ita rurſus
excitaretur ad orationem. Alii ſpinas pro ſtratis
habuerunt: alii lapillos ex aquis collectos ſibi i-
pſis ſtraverunt, ut dum his pungerentur, in pro-
fundum ſomnum non deferrentur. Victus eorum
ſim-

simplex erat, nullis mollitus deliciis: Majores natu venerabantur, nec eis monentibus respondere aut obloqui audebant, narrante Josepho l.18. Jud. Antiq. cap. 2. Multi studebant insuper virginitati, & in perpetuo cœlibatu vivebant, quo pacto magnam sibi apud homines existimationem & potentiam conciliârunt, unde Joseph. l.13. Antiq. cap.23. scribit: *Pharisæos apud populum plurimùm potuisse, sive exosum aliquem concupiverint lædere, sive socium & amicum juvare.* Hinc potentiâ suâ freti Regibus se opposuerunt, & ipsi Cæsari jurare noluerunt, ut est apud Josephum lib. 17. Antiq. cap. 3.

Ut ut autem jactârint sanctitatem, pluribus tamen vitiis fuerunt contaminati, inprimis hypocrisi, *Matth. 23. v. 13.* arrogantiâ, *v. 6.* avaritiâ, *v. 14. Luc. 16. vers. 14.* & crudelitate, quam satis erga Christum ejusque Apostolos testatam fecerunt.

V. De distinctis Pharisæorum generibus. Horum septem fuisse liquet ex Thalmud tractatu SUTA cap. 3. citante Drusio lib. 2. de Sectis Judæorum c. 22. & Selneccero part. 3. Postillæ p. 573. Commemorantur 1. Sichemitæ, qui Sectam istã ob carnale aliquod commodũ susceperunt, sicut Sichemitæ olim circumcisionem, ob nuptias Dinæ Jacobi filiæ impetrandas. *5. Genera quæ septē.*

2. *Impingentes*, vel quòd pedes non elevarent à terra, vel quòd pedibus in lapides impingerent.

3. *Sanguinem fundentes*, qui caput crebrò parietibus aut columnis illiserunt, donec sanguis exiret.

4. Quæ-

4. *Quæstionistæ*, quid debeo facere, & faciam illud? quasi dicas, Quid fieri oportet, quod non feci? Ita enim se gesserunt ac si omnia fecissent.

5. *Mortariarii*, qui capitio seu calyptrâ caput operti fuerunt, & prospexerunt velut ex profundo mortario, tantùm prorsum & deorsum, non sursum, neque ad latera.

6. *Pharisæi ex amore*, qui fecerunt præcepta amore virtutis aut mercedis.

7. *Pharisæi ex timore*, qui formidine pœnæ observârunt legem, & metu iræ divinæ sectam istam professi sunt. Quod igitur Paulus dixit Act. 26. v. 5. se secundum exquisitissimam sectam vixisse Pharisæum, hoc intelligi potest vel de Pharisaismo in genere, si comparetur cum Sadducæis, Essæis & similibus, vel quòd ex septem istis generibus omnium durissimum elegerit.

6. Nova soboles Iesuvvitæ.

VI. De Pharisaismo Novo. Quæcunque hactenus dicta sunt, eò faciunt, ut collatio possit institui inter antiqua & nostra tempora. Ut enim olim ante Christi Adventum in carnem Pharisaismus primatum obtinuit: sic ante adventum ultimum ad judicium secta quædam hoc seculo surrexit, quæ per omnia Pharisaismo similis. Est illa *Societas adversantium Iesu*, ab Ignatio Lojola primùm introducta. Collatio varia potest dari, sed ad sex capita referimus. Jesuvvitas enim Pharisæis affirmamus esse similes.

Comparantur Pharisæis ratione.

1. Nominis

1. *Ratione nominis*. Ut Pharisæi à nullo homine mutuati sunt nomen, sed ab officio suo, se legis explanatores nuncupârunt. Sic Jesuvvitæ non, ut alii ordines, humanum sibi nomen imposuerunt, sed ipsius Salvatoris, ac si ejus essent

præcones

præcones fideliſſimi, quum ſint hoſtes & ἀντίχριςοι, unde utrumque nomen Phariſæorum & Jeſuvvitarum καϑ' ἀντίφρασιν eſt intelligendum.

2. *Ratione originis.* Phariſæi orti ſunt, antequam Chriſtus veniret in carnem: Jeſuvvitæ, quum Chriſtus iterum expectaretur ad judicium venturus; atque ſic utraque ſecta in fece ac fine ejus ſeculi, quod Adventum Chriſti præcedit. Et velut ambitio ſanctitatisq; præſumtio ortum dedit Phariſaiſmo, ita & Jeſuvvitiſmo. *2. Originis*

3. *Ratione dogmatum.* Conveniunt in doctrina *juſtificationis*, quia operibus ſalutem utrinque adſcribunt. Conveniunt in articulo de *Peccato Originis*, quod extenuant; *de libero arbitrio*, quod extollunt; de *impletione Legis*, quam poſſibilem ſtatuunt; de *Eccleſia & ſucceſſione Sacerdotum*, ad quam ſemper provocant. Conveniunt in loco de *operibus ſupererogationis, & de traditionibus*, quas pari contentione & vehementiâ urgent. In ſummâ ut Phariſæi nitebantur quatuor Privilegiis, & argumentis contra Chriſtum, quorum 1. erat λαός, ſe eſſe populum electum. 2. ναὸς templum Hieroſolymitanum. 3. τόπος terra Canaan. 4. νόμος Lex Moſaica: ſic Jeſuvvitæ ſibi Privilegia iſthæc perpetuò arrogant, ſe eſſe λαὸν Dei, apud ſe repetiti ναὸν myſticum, h. e. Eccleſiam, ſe adhærere τόπῳ ſancto, ſedi Romanæ, & ſe ſolos habere νόμον veramque Scripturarum intelligentiam. Si pleniorem σύγκρισιν deſideras, D. Eckartum conſule in Papa Phariſaizante, & concionem Hunfredi de fermento vitando, Tom. 2. Doctrinæ Jeſuit. *3. Dogmatum:*

4. Cultus. 4. *Ratione cultus & rituum.* Magna utrobique similitudo cernitur, quoad externum ornatum, quoad Ceremoniarum multitudinem, quoad festorum frequentiam, quoad superstitiosam Sabbati observationem, quoad reliquiarum venerationem, quoad flagellationes, quoad sacra electitia & id genus alia.

5. Vita. 5. *Ratione morum & vitæ.* Ut Pharisaismus, sic Jesuvvitismus nihil aliud est, quàm schema ascititiæ & affectatæ sanctitatis. Bone Deus! quanta hîc convenientia! Nemo ex Jesuvvitis est, qui nō cum Pharisæo nostro tacitè susurret: *Non sum sicut cæteri.* Servant jejunia, flagellant corpus, dilatant Phylacteria, amant accubitus primos, prolixas preces demurmurant, eleemosynas distribuunt, virginitatem jactitant, Zelum alios convertendi simulant, & in omnibus veteres Pharisæos imitantur. Hinc brevi tempore summam sibi conciliârunt existimationem apud vulgus, & potentes facti sunt, adeò ut & Reges impugnare, illosque tollere non vereantur. Si vitia Pharisæorum consideres, excellenter in Jesuvvitismo reperies: Regnat inter ipsos hypocrisis & simulata sanctitas: Viget ambitio, de qua & alii ordines Papales conqueruntur: Primatum tenet avaritia, dum ampla collegia ædificant, & multorum bona ad se rapiunt. Nihil dicam de abusu clavium, de cōtemtu Magistratus, de odio fidelium, de crudelitate & persecutione, quum illa sint notoria, & plus satis nota.

6. Generū. 6. *Ratione distinctorum generum.* Hæc si placet inquirere, non difficulter in Jesuvvitismo invenies. An non multi Sichemitæ, qui ob carnale

com-

commodum isti se addunt societati, quippe cujus Regulæ sunt laxiores, quàm aliorum ordinum? Videas ibi impingentes: videas cucullatos: videas flagelliferos: thrasones, quæstionistas, amantes, timentes, & quid non?

Quum igitur antiqua fabula per Jesuvvitas agatur, adeoque Pharisaismus per ipsos interpoletur, quivis inter nos sui quid sit muneris, facilè intelliget.

1. *Gratiæ sunt agendæ Altißimo*, qui ex Papatu nos eripuit, ne per locustas istas absumamur, & sub servitutem Jesuvvitarum redigamur.

2. *Cavendum est eò diligentiùs*. Nam & Jesuvvitarum doctrina fermentum est, quæ multas regiones inficit & contaminat: Gangræna est, quæ serpit, & omnia corrumpit, ideoque nos seduci non patiamur. Vitandum est hoc fermentum, non comedendum. Cavendum est, non recipiendum. Non apparebit fermentatum in omnibus terris tuis, *Deut. 16. v. 4.* Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absq; fermento erat, *Lev. 2. vers. 11.* Ne igitur offerte, sed auferte, quia fermentum inflat, inflando vanum facit, & corrumpit.

3. *Orandum* est, ut in veritate agnitâ Deus nos conservet, & lucem Evangelii ad posteritatem, si qua futura est, claram integramque transmittat.

PARS

PARS II.

De peccatis Pharisæi.

Pharisæi peccata *1. Hypocrisis.* HOrum tria inprimis tanguntur in textu, I. Hypocrisis, qui sanctitatem summam præ se tulit. Fugiatur hoc vitium, quia Deo est exosum, simplicitati Christianæ contrarium, & incurrit væ istud, pronunciatum, *Matth. 23. vers. 13.*

2. Confidẽtia operũ. II. Confidentia Operum. Quia in his spem salutis posuit. Fieri hoc nequit quum opera bona 1. sint imperfecta, 2. antè debita, 3. non nostra, 4. multis vitiis contaminata.

3. Contemtus proximi. III. Contemtus proximi. Quia publicanum præ se despexit. Oritur hoc ex elatione animi, & φιλαυτία, quæ initium est omnis peccati, Syr. 11. v. 15. hominem fallit, Galat. 6. v. 3. contemtum parit, Esa. 33. v. 1. à Deo avertit, pœnas accumulat, & Satanæ associat. Unde *Bernardus* ad verba Pharisæi: Non sum sicut cæteri hominum, mox addit; *Ergo sicut cæteri dæmonum.* De quibus vitiis, cùm alibi dicatur fusiùs, nos hîc finimus, & Deum humiliter invocamus, & cum Publicano suspiramus: *Deus, esto nobis propitius; peccata quævis ex cordibus nostris extermina, Pharisaismum cohibe, & veram pœnitentiam largire, ut hîc in domum nostram justificati descendamus, illic verò in domum tuam cœlestem beati ascendamus, per Christum Iesum, justitiæ autorem, cœli reparatorem semper benedictum,*

Amen.

EVAN-

EVANGELIUM

DOMINICA XII. POST TRINITATIS,

Marc. 7. à vers. 31. usque ad fin.

De Surdo & Muto.

v. 31. ΚΑὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων δεκαπόλεως.

RUrsus exiit Jeschua à cõfinio Tzour & Tzaidon, venitque ad Mare Galilææ ad confinium Decapolis.

VNd da er wider außgieng von den Grentzen Tyri vnd Sidon/ kam er in das Galileische Meer/ mittẽ vnter die Grentze der zehen Stätte.

32. καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν, ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα.

Et adduxerunt ei surdum quendam difficulter loquentem, & efflagitabãt ab eo ut im poneret ei manũ.

Vnd sie brachten zu jhm einen Tauben/ der stum̃ war/ vnd sie baten jhn/ dz er die hand auff jhn legete.

33. καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ᾽ ἰδίαν, ἔβαλε τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ πτύσας, ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ.

Eum autem abduxit è turbâ solũ, & immisit digitos suos in aures illius: expuitque, ac tetigit linguam ejus.

Vnd er nam jhn von dem Volck besonders/ vnd legete jhm die Finger in die Ohren/ vñ spützet/ vnd rüret seine Zunge.

34. καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐ-

Et suspexit in cœlum, ac suspira-

Vñ sahe auff gen Himmel/ seufftzet/ vnd sprach zu jhm:

στέναξε, καὶ λέγει αὐτῷ, ἐφφαθὰ, ὅ ἐστι, διανοίχθητι.

35. καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαὶ, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς.

36. καὶ διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν· ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον.

37. καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, καλῶς πάντα πεποίηκε· καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν.

vit: dixitque ei, adaperitor.

Atque in illa hora adapertæ sunt ejus auriculæ, solutumque vinculum linguæ ipsius, & locutus est facilimè.

Et admonuit eos ne id cuiquã dicerẽt: sed quãtò magis ipse interdixerat eis, tantò magis illi prædicabant.

Magisque obstupescebant, dicentes, omnia benè facit: surdos facit ut audiant, & non loquentes ut loquantur.

Hephatha/ das ist/ thue dich auff.

Vnd alsbald theten sich seine Ohre auff/ vnd das band seiner Zungẽ ward löß / vnnd redet recht.

Vnd er verbot jhnen / sie soltens niemand sagen: Je mehr er aber verbot / je mehr sie es außbreiteten:

Vnd wunderten sich vber die maß/ vnd sprachen: Er hat alles wol gemacht/ die Tauben macht er hörend/ vnd die Sprachlosen redendt.

Homilia.

Commendatio charitatis divinæ.



Ohannes Apostolus divini amoris profunditatem considerans, sic exclamat, 1. Epist. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur.* Magna est dignitas, illustres in terris habere parentes: sed quantò major, ipsius Dei filium esse & nominari? Hujus autem υἱοθεσίας Conciliator Christus est, frater & Immanuel noster: quod tangit idem Apostolus, vers. 8.

v. 8. scribens: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Sub hujus tyranni potestate captivi detinebamur: sed venit Christus, ut nos inde liberatos ad Deum Patrem adduceret. *Filius enim Dei factus est filius hominis, ut & homo fieret filius Dei*, ait *Iræneus* lib. 3. c. 11.

Imago hujus rei proponitur præsenti Evangelio, in quo miserrimus homo, Surdus & mutus introducitur. Sed Christus cœlestis medicus, sanat hunc hominem non corporaliter tantùm, sed etiam spiritualiter, ut ex vase ignominiæ fiat vas gratiæ, ex filio diaboli fiat filius Dei, qui imposterum Evangelii concionem audire, & magnalia Christi linguâ suâ prædicare valeat. Videte igitur in hoc exemplo, qualem charitatem Pater nobis dederit. Perpendite, quòd ad hoc venerit Christus, ut opera diaboli dissolveret. Intuemini hunc hominem afflictissimum, cujus membra Satanas corruperat, & sibi habitaculum fecerat. *Sed ecce!* Deus Pater ipsum adoptat, Filius sanat, Spiritus S. cor purificat, adeoque tota Sacrosancta Trinitas amorem erga nos suum luculenter ostendit: quod populus devotus considerans, elogium hoc Christo tribuit: *Omnia benè fecit, surdos facit audire & mutos loqui.* *De qua etiam agit Evangeliũ*

Tria igitur continentur præsenti Evangelio:

1. *Satanæ maleficium*, qui hominem istum afflixit. *Cujus tria capita principalia.*

2. *Christi beneficium*, qui afflictum liberavit.

3. *Populi officium*, qui Christi bonitatem prædicavit. Hæc tria consequuntur se invicem.

1. Diabolus *nocet*, 2. Christus *sanat*, 3. Populus *laudat*. Præcedit morbus, morbo medetur Christus, Christo aguntur gratiæ.

Nos de duobus inprimis agemus, dicturi.

1. De *corruptore Satana*, qui omnia malè fecit.

2. De *opitulatore Christo*, qui omnia benè fecit. Hic ipse faxit ex gratia, ut & jam benè fiant omnia, adeoq; cedant in nostram ædificationem; Amen.

PARS I.

De corruptore Satana.

Homo ille, cujus curatio describitur, fuit

UNiversum genus humanum cum malis conflictari plurimis, probatione operosâ non indiget. Aspicite hominem, qui Christo hodiè offertur, & luculentum videbitis speculum calamitatis humanæ.

1. Surdus. Fuit is 1. Surdus. Licet enim aures habuerit, occlusæ tamen erant, nec audire poterat. Magna est hæc miseria, per quam omnis spes consequendi fidem & doctrinam intercluditur. Nam fides ex auditu est, Rom. 10. v. 17. & sine hoc nihil addisci potest, quia præceptoris vox non percipitur, unde auditus nominatur *sensus disciplinæ*, sicuti visus est *sensus inventionis*.

2. Mutus. 2. Fuit Mutus. Tali homine quid miserius? Nequit angustias suas aperire: nequit aliorum opem implorare: nequit linguâ Deum vel compellare in malis, vel celebrare pro beneficiis. Duo igitur eximia dona deerant isti homini. 1. Auditus. 2. Loquela. Per *auditum* Deus nobiscum agit in concionibus; per *loquelam* nos cum Deo

agimus

agimus in precationibus. Sic igitur depravata erant membra ejus, ut nec Deus cum ipso, nec ipse cum Deo quicquam agere posset. Sed nondum satis est miseriarum. Accedit tertia calamitas, quia fuit

3. Claudus. In Græco enim dicitur: καὶ φέρουσιν αὐτῷ, & *portarunt ad ipsum*: Unde nonnulli colligunt, eum ambulare non potuisse. Et hoc satis afflictionis est, si quis nec stare queat, nec incedere, sed lecto semper affixus hærere cogatur. Verùm restat adhuc gravior calamitas, quia fuit *3. Claudus*

4. Turbatæ mentis. Innuit hoc vox Græca κωφός, quæ non duntaxat mutum, sed etiam stupidum stolidumq; hominem significat. *4. Stolidus*

Tot igitur tantisque malis premebatur miserrimus: Aures erant occlusæ, lingua ligata, pedes claudi, cor stupidum, ut magis bruto quàm homini ratione prædito esset similis. Ita nimirum omnia erant malè facta, & pessimè depravata.

Utinam verò iterumque utinam hic solus malis istis laborâsset! Verùm proh dolor! nos universi & singuli in eodem luto hæremus, inque statu afflictissimo vivimus. Nam si aspiciatur corpus nostrum, quot morbis illud est obnoxium? Omnes vitæ dies parvi sunt & pravi, Gen. 47. v. 9. Quid aliud hîc expectari potest quàm labor & dolor, Psalm. 90. v. 10. Maximo in honore si vivas, mors obrepit, quum minimè putes. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri, Esa. 40. vers. 6. Quid præstantius Paradiso? Mors tamen perrupit & parentes pri- *Miseria totius generis humani.* *1. Quoad corpus.*

mos expulit. Ita nimirum omnia sunt depravata, & vanitati subjecta, ut nemo sibi crastinum possit polliceri. Si pergas, & animæ conditionem attendas, *Deum immortalem*, quanta ibi calamitas! quanta corruptio!

2. Quoad animam.

Vbi sumus 1. Surdi.

1. *Surdi sumus*, ad audiendum verbum Domini, velut Judæi, Esa. 6. v. 10. Johan. 12. v. 40. Jerem. 5. v. 21. Et quemadmodum Bombyces tonitru audire nequeunt, sic plurimi verbum veritatis aversantur.

2. Muti.

2. *Muti sumus*, ad laudes Dei decantandas, muti ad preces fundendas, muti ad peccatorum confessionem, instar Protoplastorum, Genes. 3. vers. 10. & Davidis Psalm. 32. v. 3. Muti præterea sunt plurimi inter *Theologos*, qui connivent hæreticis: inter *Politicos*, qui simulant & dissimulant: inter *Parentes*, quorum indulgentia liberos corrumpit, adeò ut mutus in hodierno Evangelio multos sibi similes ubiq; habeat.

3. Claudi.

3. *Claudi sumus*, quando pedes ad malum perpetrandum ambulant, & via pacis non cognoscitur, Psalm. 14. v. 2. 3. Rom. 3. v. 14. 16. Ita multi ad templum Domini tardè accedunt, sed in via peccatorum celeres sunt, & parati ad effundendum sanguinem.

4. Stolidi.

4. *Stolidi sumus* & insipientes, in rebus spiritualibus obscuratus est intellectus noster, *Ephes. 4. v. 17.* ut animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei, 1. *Cor. 2. v. 24.* & nemo sit, qui non peccet, Eccles. 7. v. 21. quum omne figmentum cordis humani malum sit à pueritia, Gen. 8. v. 22. nec bonum habitet in carne nostra, *Rom 7. v. 18.* Unde filii iræ dicimur naturâ, *Eph. 2. v. 5.* Summa-

tim

tim loquendo *A planta pedis usq; ad verticem nihil sanitatis est in nobis*, Esa.1.v.6.

Hîc autem obstupescunt singuli, & mirantur caussas tanti mali. Si enim Deus hominem ad imaginem suam condidit, Genes.1. v.27. si omnia, quæ creavit, bona sunt, v.ult. non immeritò quæritur, unde & quo pacto tanta calamitas, tanta naturæ depravatio introducta sit?

Varias hîc responsiones audias. *Epicuræi* caussam mali non esse inquirendam censuerunt, quia fortuitò eveniant omnia, & à cæco fortunæ ductu casuque oriantur. *Variæ opiniones de caußâ horum malorum.*

Stoici fato per necessariam & inevitabilem causarum cohæsionem definito, actus quosvis adscripserunt, unde fur ille se excusaturus, *Fato*, inquit, *furatus sum*, cui alter scitè? *Ergò & fato suspenderis.*

Manichæi duo principia contraria duosq; Deos commenti sunt, Bonum & Malum, quorum ille bonorum, hic malorum autor existat.

Si pergas, *&* *Astrologum* quæras, ad cœli adspectus sinistros te ablegabit.

Si *Physicum*, accusabit pravitatem materiæ primæ, quòd sit principium corruptionis, & ad interitum vergat.

Si *Politicum*, caussam eorum inconsultis, & absque deliberatione susceptis actionibus adscribet.

Si *Medicos*, prolixum discursum audies, de quatuor humoribus, inter se pugnantibus, & ortis inde vitiosis temperamentis.

Hi posteriores dicunt quidē aliquid, sed principium mali non tangunt. Altiùs enim ascendē-

dum, & disertè explicandum est, unde vitiosi humores, & inconsultæ actiones fluant? cur materia nostrorum corporum ad corruptionem propendeat? Hîc obmutescunt omnes, & responsum non nisi ex *Scripturis* offerri potest. Illæ luculenter docent, quòd *peccatum* sit origo omnis mali, siquidem per peccatum mors, & cum morte omne calamitatum genus in mundum intravit, *Rom. 5. v. 12.*

Vera caussa miseriarum omnium.

Condiderat Deus hominem in statu felicissimo, *tum* quoad animam, quæ erat prædita imagine Dei, *tum* quoad corpus, quod erat ornatum immortalitate, *tum* quoad domicilium, quod erat hortus voluptatis. Dederat verò legem, ne de arbore scientiæ boni & mali quicquam comederent, *Gen. 2. v 17.* aliàs morte morituri. Sed minas has nihil attendentes protoplasti, exorbitant, & prævaricatores fiunt. Quo scelere commisso mox amittitur imago Dei, & succedit bonitati ἀταξία. Fugiunt à conspectu Domini, *Gen. 3. v. 8.* mulieri dolores, Adamo labores, omnibus variæ calamitates imponuntur.

Sed restat adhuc quæstio: *Quænam primi peccati caussa extiterit?* An non Deo volente & decernente Adam lapsus sit? Ita quidem Calviniani docent, sed fallunt. Quòd enim Deus peccatum Adæ non voluerit, probari facilè potest dicto, *Psal. 5. v. 5.* interdicto arboris, *Gen. 2. v. 17.* testimonio Ecclesiastici, *cap. 15. v. 14. 15.* & πρωτοπλάστων supplicio. Quæ igitur tandem primi peccati caussa fuit.

Duplex caussa peccati primi.

Duplicem Scriptura innuit. *Alteram* externam & irritantem: *Alteram* internam & efficientem.

Externa

Externa fuit diabolus, qui ſerpenti ſe inſinuans, Evam blandis verbis decepit. Hic eſt autor, hoc principium omnis mali, quia diaboli invidiâ mors intravit, *Sap. 2. v. 23.* & ipſe eſt homicida ab initio, *Ioh. 8. v. 44.* Hinc rectè Theodoretus: *Peccati pater diabolus, peccatum mortis mater.* *1. Externa.*

Interna fuit propria voluntas hominis, Diabolo ſpontè aſſentientis. Ut enim Deus homini vitæ ſtatum induxit: Ita ſibi homo mortis ſtatum attraxit, juxta *Tertull.* libr. 2. Adv. Marcion. Non ergò miremur amplius, unde tot mala proveniant? Peccatum in cauſa eſt, quod *partim* à parentibus trahimus, *partim* Satanâ impulſore ipſi committimus. *2. Interna.*

PARS II.

De opitulatore Chriſto.

COgnitâ miſeriâ, proximum eſt, ut quæratur Medicina. Qui enim ſanari cupit, Medicum fidelem inprimis expetit. Quem verò eligemus, ad quem præcipuè confugiemus? Chriſtus Jeſus, Dei & Mariæ filius, ſolus eſt Sanator noſter optimus, *Exod. 15. v. 26.* Sicut diabolus omnia veneno ſuo infecit: Ita hic viciſſim omnia benè fecit, ut cæleſtis εὐεργέτης non immeritò nuncupetur. Principes quandoque multa benè faciunt, ſed non omnia. Auguſtus ob laudabilem adminiſtrationem dictus eſt *Pater patriæ.* Veſpaſianum appellârunt, *Amorem & delicias generis humani.* Tiberius ſi nemini per diem benefeciſſet, gemebundus dixit; *Amici diem perdidi.* Rex Alphonſus vitam ponere paratus erat *pro lege & pro grege*, quam ob cauſam hæc verba ſymboli loco uſurpavit. Ut ut verò *Solus Chriſtus omnia benè fecit.*

multi rectè imperent, negari tamen nequit, quòd & sæpiùs delinquant. Solus Christus est, de quo verissimè prædicatur: *Omnia benè fecit*, Testatum hoc reddidit: 1. In *Creatione*, ubi omnia bona condidit. 2. In *Redemtione*, ubi salutem perditam recuperavit. 3. In *Sanctificatione*, quâ corda nostra ipsius merito purificantur, & renovantur. Ut enim surdum audire, & mutum loqui fecit: sic eadem beneficia credentibus confert. Rectè Gregorius: *Quod Christus fecit corporaliter, intelligi vult spiritualiter*. Quibus ergò mediis hominem illum miserum sanavit, iisdem sensu mystico intellectis ab infirmitate Spirituali nos liberat. *Septem* illorum numerantur in Evangelio, quæ paucis considerabimus.

Septem curationis media.

I. Segregatio.

I. Est segregatio. Christus enim surdum apprehendit seorsim, & abducit à populo. Ita exeat è mundo, qui vult sanari à Christo. Mundus enim in maligno est positus, *1. Iohan. 5. v. 19.* quis diligat? Mundus transit & concupiscentia ejus, 1. *Iohan. 2. vers. 16.* quis adhæreat? Nolite jugum ducere cum infidelibus, *2. Corinth. 6. vers. 14.* Exite è Babylone, *Esai. 58. vers. 20.* Qui autem picem tetigerit, inquinabitur, *Syr.* 13. *vers. 1.* Sic Noah separabat se ab antediluvianis, *Genes. 7. v. 7.* Abraham egrediebatur ex Ur Chaldæorum, *Genes.* 11. *v. 31.* Lothus ex Sodoma, *Gen. 19. v. 17.* Israelitæ ex Ægypto, *Exod.* 12. *v. 36.* Imitemur, & prava consortia deseramus, sequentes Christum, & in mandatis ejus ambulantes. Hic nos apprehendit, & seorsim ducit, 1. Per Baptismum, 2. Per Verbum, 3. Per Sacramentum cœnæ, quæ omnia nil sunt aliud, quàm abductiones à mundo, ideo-

que

que ſic iis utamur, ut Chriſto aſſociemur, & ab impiis ſeparemur.

II. Digiti immiſſio. Dicitur enim de Chri- *2. Digiti immißio.*
ſto, quòd digitos ſuos miſerit in auriculas ſurdi à populo abducti. Quî hoc ad ſanationem myſticam applicari poteſt? *Chariſſimi*, habet Chriſtus fortem digitum, nempè Spiritum Sanctum, *Matt. 12. v. 18. Luc. 11. v. 20.* quo ſi corda noſtra tangat, mox penetrat, & ſanat. Hic Chriſti digitus aperuit cor auditorum Petri, *Act. 2. v. 37.* Cor Eunuchi, *Act. 8. v. 29.* Cor Lydiæ, *Act. 16. v. 14.* Cor filiorum Juda, ut facerent juxta præceptum Regis Hiskiæ, *2. Paral. 30. v. 12.* Ab hoc igitur Dei digito nos tangi lubenter patiamur, & quoties ante concionem campanæ pulſum audimus, quivis ſecum cogitet: *Ecce*, nunc extendit Deus digitum ſuum, immiſſurus in cor meum. Accedam ergò, ut tangat & ſalvus fiam.

III. Sputi emiſſio. Dicitur enim Chriſtus *3. Sputi*
exſpuiſſe, quod etiam facit, quando deteſtatur o- *emißio.*
pera Satanæ, & omnis generis peccata, per quæ voluntas Dei impeditur. Quare & nos reſpuamus & deſeramus omnem vanitatem, remittentes illam Satanæ. Hoc fine ſi Chriſti ſputum intueamur, antidotum fiet præſentiſſimum contra peccata, non ſecus ac ſerpentes ſputo jejuni hominis necantur.

IV. Linguæ contactus. Per hunc ſolu- *4. Linguæ*
tum eſt muto vinculũ, ut loqueretur rectè. Pariter *contactus.*
linguas noſtras Salvator tangit per verbum, ut loquamur vera & celebremus magnalia Dei. Muti

ſunt

ſunt omnes ij, qui vel penitus tacent, & opera Dei non annunciant, vel ſi loquuntur, non niſi mendacium & iniquitatem loquuntur. Quare tanguntur hi ſæpius non tantùm leniter per admonitiones Evangelicas, ſed quoque duriter, per conciones Legales & afflictiones varias, in quibus patientes ſimus, quoniam contactum illum ad ſalutem noſtram directum novimus.

5. Oculorũ eleVatio. V. Oculorum elevatio. Chriſtus enim miratur quaſi miſeriam hujus hominis, ideoque in cœlum ſuſpicit, unde auxilium venit. Attollamus & nos corda noſtra, quærentes ea, quæ ſurſum ſunt, *Coloſſ. 3. v. 1.* Hîc verſamur in exilio miſeri, ſumus in via, & nondum in patria. Noſtrum verò in cœlis eſt πολίτευμα, *Phil. 3. v. 20.* Quare oculi cordis noſtri eò unicè ſint directi, quò liberemur à miſeria, & ibi induamur æternâ gloriâ.

6. Suſpiratio. VI. Suſpiratio. Chriſtus enim cœlum aſpiciens ingemuit, & haut dubiè Patris cœleſtis opem ut homo imploravit, ac ſi diceret: *Mi Pater,* creâſti hominem ad imaginem tuam, ratione & loquelâ exornatum, ſed ecce hunc hominem miſerrimum! Quàm fœdè à Satana corruptus eſt, & ego non miſerear? *Nos* horum ſuſpiriorum memores, à peccatis eò celerius deſiſtamus. Hæc enim ſunt, quæ Chriſto gemitum exprimunt, & ſuſpirare faciunt. Non enim adprobat delicta, ſed averſatur & improbat. Quoties ergo Legem tranſgrederis, toties Chriſtum ingemiſcere facis, id quod nequaquam abibit impunè.

7. Locutio. VII. Locutio. Dixit enim *Ephata,* quod eſt aperire. Hic eſt fortis illis imperativus, quo aures

aperuit Christus, & linguæ vinculum solvit. Verbum ergò Domini magnifaciamus, quippe quod est potentia ad salutem omni credenti, *Rom. 1. v. 16.* Ut Surdo dixit: *Ephatha*, sic idem verbum sæpissimè repetit, 1. In *Baptismo*, ut renovemur. 2. In *Verbo*, ut credamus. 3. In *Pœnitentia*, ut Spiritum Sanctum accipiamus. 4. In *Cœna*, ut Christum excipiamus. 5. In *Cruce*, ut Deum visitantem patienter admittamus. 6. In *Agone*, ut anima cœlum ingrediatur. 7. In *Resurrectione*, ubi aperientur sepulcra, & vox Christi potenter intonabit: *Surgite mortui, venite ad judicium.*

Et hæc sunt illa septem media in sanatione surdi adhibita, quibus CHRISTI beneficia & spiritualis medicinæ ratio nonnihil præfiguratur.

Hunc cœlestem Medicum devotè invocamus, ut nos à mundo abductos, fortissimo suo digito tangat, & cor aperiat ad credendum, aures ad audiendum, solvátque linguam ad loquendum, quo ejus magnalia tùm hîc tùm illic celebremus, concinentes cum populo: *Omnia benè fecit.* Ipsi & honor & virtus & benedictio sit in æternum,

AMEN.



EVAN-

EVANGELIVM DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Luc. 10. à verſ. 23. uſque ad 38.

De ſumma Legis & Samaritano.

V.23. Καὶ ϛραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς, κατ᾽ ἰδίαν εἶπε, μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ βλέποντες ἃ βλέπετε.

ITem converſus ad diſcipulos ſuos ſeorſum dixit: Felices oculi, qui vident, quod vos videtis.

VNd er wandte ſich zu ſeinen Jüngern / vnnd ſprach inſonderheit: Selig ſind die Augen / die da ſehen / das jhr ſehet.

24. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ Προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

Etenim dico vobis, multos Prophetas & Reges voluiſſe videre, quod videtis, neque vidiſſe, & audire, quod auditis, nec audiſſe.

Deñ ich ſag euch: Vil Propheten vñ Könige wolten ſehen / das jhr ſehet / vnd habens nit geſehen / vñ hören / dz jhr höret / vnnd habens nicht gehöret.

25. καὶ ἰδοὺ νομικός τις ἀνέϛη, ἐκπειράζων αὐτὸν, καὶ λέγων, διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

Ecce autem Scriba quidam ſurrexit ut tentaret eum, & ait: Doctor, quid faciam, ut hæreditate poſſideam vitam æternam?

Vñ ſihe da ſtund ein Schrifftgelehrter auff / verſuchet jn / vñ ſprach: Meiſter / was muß ich thun / daß ich das ewige Leben ererbe?

26. ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτὸν, ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται, πῶς ἀναγινώσκεις;

Ipſe verò Jeſchua dixit ei: in Lege quomodo ſcriptũ eſt? quomodo legis?

Er aber ſprach zu jhm: Wie ſtehet im Geſetz geſchrieben / wie lieſeſt du?

27. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σȣ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σȣ, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σȣ, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σȣ, καὶ τὸν πλησίον σȣ ὡς σεαυτόν.

Respondit & dixit ei: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut animam tuam, *(teipsum.)*

Er antwortet/ vnd sprach: Du solt Gott deinen Herren liebẽ/ von gantzem Hertzen/ von gantzer Seele/ von allen Kräfften/ vnnd von gantzem Gemüte/ vnd deinen Nechsten als dich selbst.

28. εἶπε δὲ αὐτῷ, ὀρθῶς ἀπεκρίθης· τȣ̃το ποίει, καὶ ζήσῃ.

Dixit ei Jeschua: Rectè dixisti: hoc age & vives.

Er aber sprach zu jhm: Du hast recht geantwortet: Thue das/ so wirst du leben.

29. ὁ δὲ θέλων δικαιȣ̃ν ἑαυτὸν, εἶπε πρὸς τὸν Ἰησȣ̃ν, καὶ τίς ἐστί μȣ πλησίον;

Ille autem cùm vellet justificare semetipsum, dixit ei: Ecquis est proximus meus?

Er aber wolt sich selbst rechtfertigẽ/ vnd sprach zu Jesu: Wer ist denn mein Nechster?

30. ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησȣ̃ς εἶπεν, ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἱερȣσαλὴμ εἰς Ἱεριχὼ, καὶ λῃσταῖς περιέπεσεν, οἳ καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, καὶ πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον, ἀφέντες ἡμιθανῆ τυγχάνοντα.

Subdit ei Jeschua: Vir quidam descẽdebat ab Ourischlem in Hirichou; & irruerunt in eum latrones, & expoliarunt eum, vulnerarúntque; & missum eum fecerunt quùm vix subsisteret in eo anima: atque abiêre.

Da antwortet Jesus/ vnd sprach: Es war ein Mensch der gieng von Jerusalem hinab gen Jericho/ vnnd fiel vnter die Mörder/ die zogen jhn auß/ vnd schlugen jhn/ vnnd giengen davon/ vnd liessen jn halb todt ligen.

31. κατὰ συγκυρίαν δὲ ἱερεύς τις κατέβαινεν ἐν τῇ ὁδῷ ἐκείνῃ, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, ἀντιπαρῆλθεν.

Accidit autem ut Sacerdos quidam descenderet per illam viam; & vidit eum, ac præteriit.

Es begab sich aber ohn gefehr/ das ein Priester dieselbige Strasse hinab zog/ Vnd da er jhn sahe/ gieng er fürüber.

32. ὁμοίως δὲ καὶ Λευίτης, γενόμενος κατὰ τὸν τόπον, ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ἀντιπαρῆλθεν.

Similiter & Levita veniens accessit ad illum locum; & vidit eum, ac præteriit.

Desselbigen gleichẽ auch ein Levit/ da er kam bey die stätte/ vnd sahe jn/ gieng er fürüber.

33. Σαμαρείτης δέ τις ὁδεύων, ἦλθε κατ᾽ αὐτὸν, καὶ ἰδὼν αὐτὸν ἐσπλαγχνίσθη.

Vir autem Schamaritanus, quùm iter faceret, venit quò loci erat ipse; viditq; eum, & misertus est ejus.

Ein Samariter aber reiset/ vñ kam dahin/ vnnd da er jhn sahe/ jammerte jhn seyn.

34. καὶ προσελθὼν κατέδησε τὰ τραύματα αὐτοῦ, ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον, ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, καὶ ἐπιμελήθη αὐτοῦ.

Accessit itaq;, & obligavit vulnera ejus; infunditq; in ea vinum & oleum: ac imposuit asino suo, & adduxit eũ in diversorium, & ejus curam egit.

Gieng zu jhm/ verband jhm seine Wunden/ vnd goß drein Oele vnnd Wein/ vnnd hub jhn auff sein Thier/ vnd führet jhn in die Herberge/ vnd pfleget sein.

35. καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐξελθὼν, ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἐπιμελήθητι αὐτοῦ, καὶ ὅτι

Manè autem diei proferens duos denarios, dedit hospiti; & dixit ei, curam illius age: & si

Des andern Tages reiset er/ vnnd zog herauß zween Groschen/ vñ gab sie dem Wirth/ vnd sprach zu jm: Pflege sein/ vnd so du

ἂν προσδαπανήσῃς, ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με, ἀποδόσω σοι.	quid suprà impenderis, quùm revertar, ego reddam tibi.	etwas mehr wirst darthun / will ich dirs bezahlen / weñ ich wider komme.
36. τίς οὖν τούτων τῶν τριῶν δοκεῖ σοι πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς;	Quis igitur horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in manus latronum?	Welcher dúncket dich / der vnter diesen dreyẽ der Nechste sey gewesen / dem der vnter die Mörder gefallen war?
37. ὁ δὲ εἶπεν, ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ᾽ αὐτοῦ. εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, πορεύου, καὶ σὺ ποίει ὁμοίως.	Ille verò dixit: Is qui misertus est ejus. Subdit ei Jeschua, Abi & tu fac similiter.	Er sprach: Der die barmhertzigkeit an jhm thåt. Da sprach er: So gehe hin / vnd thue deßgleichen.

Homilia.



Omnes quidem textus Dominicales doctrinâ & solatio abundant: duo tamen Evangelia inprimis commendantur à Veteribus. *Alterum* est de muliere Cananæa: *alterum* de viro Samaritano. *Ibi* exemplum victricis fidei habetur: *hic* objectum fidei describitur. *Ibi* mulier vincit invincibilem precando: *hic* infinitum amorem Christus ostendit miserando. Sufficiunt hæc duo, & omnem thesaurum comprehendunt, nimirùm 1. *fidelis precatio*, ex parte nostra, 2. *ardens cõmiseratio* ex parte Christi. *Illius* exemplum in Cananæa, *hujus* speculum in Samaritano proponitur, ut duo hæc Evangelia rectè nuncupari possint, *Summa Christianismi, & nucleus Scripturæ.* *Duo maximè illustria Evangelia.*

Summa Evangelij. Continet autem præsens περικοπὴ duo colloquia Christi. *Primum* instituit cum suis discipulis, quos beatos prædicat: *Secundum* cum quodam Legisperito, quem ad Legis perfectionem ablegat, istâque occasione parabolam de Samaritano commemorat.

Magna hic doctrinarum seges occurrit, adeò ut quæ Christiano scitu sunt necessaria, velut in compendio explicentur. Votum enim nostrum ultimum & summum est *beatitudo*. Hujus rationem exemplo Apostolorum Christus ostendit. Quia verò suis operibus se in cœlum ascendere posse multi opinantur, hinc perfectionem Legis, & implendi impossibilitatem inculcat. Remotâ Legali justitiâ, monstrat Evangelicam παραβολικῶς, ostendens primùm requiri miseriæ agnitionem, quod omnes simus vulnerati & spoliati; pòst misericordiæ apprehensionem, quæ sola sanat & salvificat. Ut igitur tres hujus Evangelij partes, ita & tres sunt loci principales: 1. *De vera beatitudine.* 2. *De legis perfectione.* 3. *De spirituali sanatione.*

Propositio. Nos ne prolixi nimiùm simus, tertium differemus, & *priora duo* paucis enucleabimus.

Christus, cœlestis Samaritanus, superinfundat oleum Sancti Spiritus, ut ipsi grata, nobis salutaria dicamus, Amen.

PARS I.

De verâ beatitudine.

PRæter duodecim Apostolos, quos elegit Christus veluti duodecim Patriarchas Novi Testamenti & ceu 12. fontes Elim, hoc est, fortes arietes

Eccle-

Ecclesiæ duces, *Exod.* 15. *v.* 27. emisit insuper 70. discipulos per 70. palmas præfiguratos. His cum gaudio revertentibus, & fructum uberem indicantibus, gratulatur Christus, simulque hortatur ad humilitatem, ne superbiant ob dona, sed meminerint Satanæ, qui prolapsus est è cœlo ob nimiam elationem. Quùm autem ita exultaret in Spiritu, & gratias Deo Patri ageret pro Evangelij fructu, mox conversus ad discipulos dixit ijs: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* O quàm exoptato tempore vivitis! O vos iterum iterumque felices! Vos videtis miracula longè maxima. Vos auditis sapientiam universo mundo absconditam. Quis igitur non beatos vos prædicaret? Expectarunt hoc tempus *Patriarchæ*, Abraham, Isaac, & Jacob: desiderârunt *Prophetæ*, Elias, Esaias, Daniel: exoptârunt *Reges*, David, Salomon, Ezechias: nec tamen voti sui compotes facti sunt, nec attigerunt vestram beatitudinem. Eva inquit: *Acquisivi virum Iehovam*, Gen. 4. v. 1. Lamech de Noacho: *Ille nos consolabitur*, Gen. 5. v. 29. Jacob ait: *Salutare tuum expecto Domine*, Gen. 19. v. 18. David optat: *Quis dabit ex Sion salutem Israel?* Psal. 14. v. 7. Elias orat: *Rorate cœli desuper*, cap. 45. v. 8. Et rursus: *Utinam disrumperes cœlos & descenderes!* cap. 64. v. 1. Hæc vota, hæc desideria fuerunt veterum, respectu quorum beati prædicantur Apostoli.

Desideria veterum ob Christi Adventum.

Sed annon erant piscatores miseri, ab omnibus contemti, opibus destituti, malísque variis expositi? Quâ igitur ratione beati possunt nuncupari? Huic quæsito ut satisfiat, sciendum est, triplicem dari beatitudinem 1. *Mundanam*, quæ

Triplex beatitudo.

apparens, 2. *Philosophicam*, quæ insufficiens, 3. *Theologicam*, quæ tota vera & perfecta est.

1. Mundana. *Mundana* ponitur *vel* in divitiis, unde oritur genus hominum χρηματιστικόν: *vel* in delitiis, unde ἀπολαυστικόν: *vel* in honoribus, unde πολιτικόν; quæ omnia felicitatis titulo indigna esse, alibi probatur fusiùs.

2. Philosophica. *Philosophica* in continuato virtutis exercitio collocatur, sed insufficiens rectè dicitur, quia conscientiam non tranquillat, nec ullus reperitur, qui virtutes perfectè possideat.

3. Theologica. *Theologica* uno verbo nihil est aliud, quàm *Christi visio*. Hoc ipse innuit primis Evangelij verbis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Sed hîc vicissim notandum, multiplicem dari visionem Christi.

1. Typica: 1. *Typicam*, quæ Vet. Testamento propria, ubi Christus fuit præfiguratus per sacrificia, & visus in spiritu, quo sensu de Abrahamo dicitur, *Ioh. 8. v. 56. quod viderit diem Christi & lætatus sit.*

2. Corporalis. 2. *Corporalem*, quæ locum habuit tempore visibilis conversationis Christi in terris. Sed in solo hoc aspectu corporeo beatitudo locari nequit, siquidem Pilatus, Herodes & Pharisæi hoc modo Christum viderunt, neque tamen felices censeri possunt.

3. Spiritualis. 3. *Spiritualem*, quæ fit fide, quando oculus cordis elevatur in Christum, verâque fiducia apprehenditur ejus meritum.

4. Mixta. 4. *Mixtam*, dum corporalis & spiritualis visio conjungitur, & Christus quoad humanam naturam oculo corporis, quoad Personam & officium oculo fidei aspicitur.

Atque

Atque *hæc* erat illa beata viſio, quâ Chriſtum conſpicati ſunt Apoſtoli. Quod enim fuit ab initio verbum vitæ, oculis ſuis aſpexerunt, 1. *Ioh. 1. v.* 1. ſpeculatores facti majeſtatis illius, *2. Pet.* 1. *v. 16.* nec tantùm foris viderunt Chriſtum hominem, ſed intus confeſſi ſunt ejus divinitatem & officium, *Matth. 16. v. 16.* Id quod ſummæ eſt felicitatis & beatitudinis. Auguſtini votum fuit, Romam videre in flore, Paulum in ore, ſed inprimis *Chriſtum in carne.* Et quis non modis omnibus hoc exoptaret?

Nam qui Chriſtum videt, ipſum filium Altiſſimi videt, *Luc.* 1. *v. 32.* lucem omnia illuminantem videt, *Ioh.* 1. *v. 9.* vitam & veritatem videt, *Ioh.* 14. *v. 6.* imaginem Dei inviſibilis, *Col. 1. v. 15.* ſplendorem gloriæ, *Heb.* 1. *v. 3.* primum & noviſſimum, qui vivit in ſecula ſeculorum, *Apoc.* 1. *v. 18.*

Dicis: Viderem utique libentiſſimè, ſed ubi & quo pacto? Non enim amplius converſatur in terris, ſed aſcendit in cœlos: Quî igitur ipſum videre & cum Apoſtolis beatus eſſe potero? *Chariſſimi*, Non hoc difficile, multò minùs impoſſibile eſt. Et nos beati eſſe poſſumus, nec Apoſtolis ſolis hoc competit. Si Chriſtum videre volumus, quinque attendamus, quæ in viſione corporali neceſſaria ſunt. *Ad viſionem Chriſti quinque ſunt neceſſaria.*

I. Objectum. Multa in Chriſto aſpicienda veniunt: doctrina, ut erudiamur: miracula, ut confirmemur: vita ut imitemur: mors ut patientes reddamur. Sed primarium objectum eſt *ipſius meritum*. Huc oculos mentis qui dirigit, non deſperabit in peccatis, nec abjiciet animum in adverſis. Quia enim propitiatio eſt pro peccatis *1. Objectum.*

totius mundi, *1. Iohan. 2. v. 2.* neque te foràs ejiciet, si verâ fide accedas, *Ioh. 6. vers. 37.* Factus est nobis Justitia, *1. Cor. 1. v. 30.* quis timeret? Interpellat pro nobis, *Rom. 8. vers. 34.* quis desperaret? Ipse agnus est peccata tollens, *Iohan. 1. v. 29.* Ipse exaltatus est instar serpentis æneì, ut aspectu ejus sanemur & salvemur, *Ioh. 3. v. 14.* Hæc igitur vera beatitudo, hæc vita æterna est, quòd scimus Jesum esse Christum, *Ioh. 17. v. 3.* hoc est, Messiam & Redemtorem nostrum unicum.

2. Distantia.

II. Distantia. Non videtur res, quæ vel nimis vicina oculis, vel longiùs remota. Ita si Christum cum Apostolis velimus intueri, servanda est proportio, ne habeamus ipsum vel nimis semotum, vel nimis propinquum. *Semotus* est, si vel rò ipsius meritum cogitemus, vel sanctulorum operibus innitamur. *Nimis propinquus* fit, si propriis viribus ad ipsum accedere, & nos ipsos convertere præsumamus. Neque enim ex nobis sufficientes sumus, *2. Cor. 3. v. 1.* Sed solus Deus est, qui nos attrahit, *Ioh. 6. v. 44.* & convertit, *Ier. 31. vers. 18. 19.*

3. Organum.

III. Organum, quod est oculus. Datur verò & in visione mysticâ certus oculus, nempè *Fides*, quæ sola est instrumentum aptissimum quo Christum apprehendimus & intuemur. Episcopus Laodicensis cæcus pronunciatur, & oculos inungere jubetur, quia fide carebat salvificâ, *Apocal. 3. v. 18.* Samsoni quùm eruerentur oculi, lumen cœli amplius videre non poterat, *Iud. 13. vers. 21.* Sic destituti fide Christum minimè videbunt. Ipse quidem est propitiatorium, sed per fidem,

dem, *Rom.*3.15. ipſe lux eſt, *Ioh.*1.*v.*9. ſed iis, qui credunt in nomen ejus, *v.*12. Fidamus ergò, ut videamus; quia ut ſine fide nemo Deo placebit, *Heb.*11. *v.* 6. ſic & nemo Chriſtum videbit.

IV. Medium, quod eſſe debet corpus tenue & illuminatum, ut Aer vel Aqua, quia per ſolida non fit viſio. Habemus & nos medium, ad Chriſti intuitum ſatis accommodum. Hoc non niſi *Scriptura* eſt, quam ob id ſcrutari jubemur, *Ioh.*5. *v.*39. Deus quidem in genere cognoſci poteſt *tum* ex libro Naturæ, *Rom.* 2. *v.* 14. *tum* ex libro Creaturæ *Rom.*1. *v.* 20. Sed Chriſtus tantùm ex libro *Scripturæ*, quia doctrinæ ipſius myſterium eſt æternis temporibus tacitum, *Rom.*16. *v.*25. Faceſſat hîc ratio, quia fides Evangelica eſt ſupra omnem rationem. Faceſſat antiqua traditio, quia id duntaxat credendum, quod Chriſtus tradidit in Scripturis. Huic gratias agamus devotas, quòd ex Papatus tenebris nos eripuit, ut id audire poſſimus, quod multi ante nos non audierunt. O quoties Evangelica concio deſiderata fuit à majoribus? ſed fruſtrà. Beati ergò ſunt oculi, Beatæ aures veſtræ quùm audiant, quæ alij audire nequeunt, quod ipſum humiliter agnoſcendum, non ſecurè contemnendum eſt. Quùm Chorazin & Bethſaida iſtam CHRISTI gratiam ſpernerent, væ annunciabatur, *Matth.*11. *verſ.*21. Eadem maledictio tangit omnes verbi oſores, qui tenebras luci præferunt, & ſalutare medium Evangelij ſpernunt. *4. Mediũ.*

V. Modus viſionis, qui conſiſtit in receptione. Ita & nos Chriſtum recipiamus, firmi- *5. Modus viſionis.*

térq; apprehendamus, quod fieri nequit, nisi impedimenta priùs amoveantur. Conclave lumen non recipit, si linteis obveletur: Ita si cordi nostro velamen sit obductum, Christus non videbitur. Geminum id est 1. *Infidelitas* in mente, 2. *Impietas* in voluntate. Tollenda hæc sunt, ut Christus recipi queat. Et ita tollenda sunt, ne iterum resumamus, & in peccata prolabamur. Nam rectè Augustinus: *Noli cadere, & non tibi occidet hic Sol: Si tu feceris casum, ille tibi faciet occasum.*

Et hæc fuit illa Spiritualis visio, quâ Christum in hac etiam vitâ intueri, & secundum quam cum Apostolis beati esse possumus. Est autem duntaxat ænigmatica, & fit quasi per speculum, *1. Cor. 13. vers. 12.* tanquam in somno, uti Jacobus vidit Deum in scala, *Gen. 28. v. 12.* Sed veniet tempus, ubi quinta visionis species, eáq; maximè illustris concedetur, nempè visio *gloriosa* in cœlis, ubi Christum videbimus de facie ad faciem, *1. Cor. 13. v. 12.* in carne nostra *Iob. 19. v. 26.* sicuti est, *1. Ioh. 3. v. 2.* suprà quàm oculi, quàm aures, & corda hominum in hac vita comprehendere possunt, *1. Corinth. 2. v. 9.* Nunc quidem videmus in spe, sed tunc in re. Nunc posteriora cum Mose, *Exod. 33. v. ult.* tunc faciem ipsam cum beatis intuebimur.

Nunc desideramus Christi visibilem præsentiam, ut Patres Adventum ejus in carnem; tunc verò uniemur cum ipso, tunc ejus aspectu & colloquio fruemur, tunc non obliquè aliquos radios, sed ipsam lucem videbimus, imò in luce erimus, ut ipsi luceamus in æternum. O beatos oculos, quibus hæc videre contigit! Quis non eò suspiret, nec Jubilæum istum patienter expectet?

Fiat de nobis, *Charißimi*, quod fieri manus Domini decrevit: attamen *beati ſumus*. Rideamur à mundo, premamur ab impiis; *beati ſumus*. Tentemur à Satana, abripiamur à morte: Non timeamus, quia *beati ſumus*, & illa hîc audimus, quæ non audiunt increduli, illa ibi videbimus quæ non videbunt impii. Valeant ergô mundi bona, faceſſant omnes deliciæ: hæc noſtra eſt beatitudo, quòd Chriſtum hîc per fidem intuemur, & olim de facie ad faciem contemplabimur.

PARS. II.

De Legis perfectione.

QUùm Chriſtus diſcipulos prædicâſſet beatos, ſurrexit quidam Magiſter noſter, Legis peritus, admiratione ſui plenus nolens doceri, ſed volens audiri, qui peculiari ſermone & geſtu magnificè quærit ex Chriſto, tentandi animo: *Magiſter quid faciendo vitam æternam poßidebo?* Ego ardua & acuta proponam; *Ego* doctus ſum & ſapiens: *Ego* legem teneo, & mea themata ſunt ſublimia. Accede igitur Magiſter, & diſputa mecũ de rebus cœleſtibus.

Hanc arrogantiam videns Servator, ad Legem ipſum ablegat, quia faciendo ſalvari volebat. Tentandi animo acceſſit, quare concionem Evangelii non audit, ut Nicodemus, *Ioh. 3. v.* 14. qui ex devotione, & diſcendi ſtudio ad Chriſtum venerat. Securis enim lex proponenda eſt, non Evangelium. Manſueto igitur ore reſpondet Chriſtus: *In Lege quomodo ſcriptum eſt?* Quia de faciendo quæris, Legem factorum normam conſule, ubi

invenies opera benè multa divinitùs præcepta.

Legisperitus promptus est, & totius Decalogi summam ex Mose recitat, cujus duo sunt capita, *alterum* dilectio Dei, *alterum* dilectio proximi, unde Legis perfectio & integritas satis elucescit. Pendet enim ab his universa Lex, *Matth.22.v.40.* & desumtum est prius præceptum ex *Deut.cap.6. vers.5.* posterius ex *Levit.cap.19.vers.18.* In utroque duo præscribuntur, 1. *Ipsa dilectio*, 2. *Modus diligendi.*

Præceptũ primum,

De dilectione Dei.

Primum sic habet: Diliges Dominum Deum tuum. Nihil ultra postulat DEUS, quàm amorem. Hunc debes ratione *subjectionis*, quia Dominus est: ratione *creationis*, quia Deus est: ratione *beneficiorum*, quia tuus est. O quot & quanta exhibuit, quæ cogitando vix valemus assequi. Ipse nos amat; non redamemus? Ipse nos honorat; non vicissim honorificemus? Si quis ergò nõ amat Dominum nostrum, sit Anathema, Maramatha, *1.Cor.16.v.21.*

Modus dilectionis sic exprimitur: Diliges ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua. Non verò hîc opus est spinosâ disputatione, quomodo isthæc membra distinguenda sint, quum simplicissimus sensus sit, debere nos Deum diligere super omnia, secundum omnia, & in omnibus, ut dilectioni Dei nihil quicquam præferamus. Per illud enim τὸ ὅλον, quadruplex universalitas innuitur (1) *Objecti diligendi*, ut totum Deum, & quicquid in ipso est, & quicquid ad ipsum refertur, diligamus. Ob Deum amicis benefaciédum

Quadruplex ὅλον *in præcepto primo continetur*

dum eſt, ferendæ calamitates, ſubeunda ſupplicia, & ſic conſequenter. Hîc enim omnia referuntur ad Deum, quatenus voluntatem ejus exprimunt. (2) *Subjecti diligentis*, ut totus homo ſecūdum omnes animæ facultates, & omnes corporis vires Deum diligat, ita ut nihil reperiatur in toto homine, quod non quaſi ferveat amore in Deum, & ita ferveat, ut vehementiſſimo impetu ad obſequium Dei rapiatur. (3) *Actionum noſtrarum*, ut in omnibus cogitatis, dictis & factis Deum amemus, adeò ut propter ipſum ſolum omnia operemur, & omnia ſerviant divinæ gloriæ, nec pars actionis ob Deum, pars ob alias cauſas, ſed omnia propter ſolum Deum ſuſcipiantur & perficiantur. (4) *Temporis*, quia talis exigitur dilectio, quæ ex toto corde procedat, illique infixa & habitualiter impreſſa ſit, ut nullum tempus detur, quo non totâ mente Deus diligatur.

Hæc ſi ſtudiosè conſiderentur, pateſcet inde *tum* ſumma Legis ἀκρίβεια, *tum* noſtra ſervandi ἀδυναμία. Nec enim repertus eſt nec reperiri potuit, qui indeſinenter ex toto corde, ſine appetitu aliarum rerum, in omni actione Deum & ſolum & totum & propter ſeipſum dilexerit. Quod enim dicitur de Davide, *1. Reg. 14. v. 8.* Joſia, *2. Reg. 23. v. 25.* & Aſſa, *2. Par. 15. v. 12.* hoc intelligendum eſt, 1. *Comparatè*, quoad alios, 2. *Inchoatè*, quoad ipſos, 3. *Imputativè*, reſpectu acceptationis Dei, 4. *Sinecdochicè*, quoad factum ſingulare, & reſpectu ſinceritatis ipſorum, quæ opponitur hypocriſi, ut ex tòto corde diligere, in exemplis iſtis nō ponat perfectionē, ſed excludat ſimulatio-

mulationem, & dolum. Et hæc de præcepto primo.

Præceptũ secundum, De dilectione proximi

Sequitur alterum, ubi 1. *Ipsa dilectio* præcipitur, Diliges proximum tuum. Per hunc non intelliguntur soli consanguinei & vicini, sed omnes homines, etiam inimici, ut docet Parabola Samaritani, siquidem inter hos & Judæos perpetuæ fuerunt inimicitiæ.

Quivis igitur homo sine discrimine proximus noster est, ratione 1. Creationis, 2. Similitudinis, 3. Communis vitæ. Qui verò nobiscum vivunt in Ecclesia, pluribus de caussis sunt nostri proximi, nempe respectu 1. Mystici corporis, 2. Vocationis communis, 3. Regenerationis, 4. Futuræ gloriæ: Omnes enim Christiani sunt ab uno *Deo* qui vocat: sub uno *Christo*, qui gubernat: in uno *Spiritu*, qui copulat: per unum *verbum* illuminantur, ad unum *finem* tendunt, in unâ eademq; *doctrinâ* conspirant. Tam arctè igitur copulati quum simus, meritò nos invicem diligimus.

2. Exprimitur *modus dilectionis!* Sicut teipsũ. Nos ipsos autem diligimus 1. verè, 2. ardenter, 3. procurando bona, 4. avertendo mala, 5. constanter & perpetuò. Eodem amore proximum prosequamur, ejus commoda promovendo, incommoda impediendo, monendo, tuendo, consulendo, affectu, affatu, effectu & similibus. Hinc Scholastici rectè dixerunt: *Proximus diligendus est amore sincero, gratuito, integro, recto, non ad propria commoda reflexo & discreto, ut vitia detestemur, personas verò diligamus.*

Hæc fuit summa totius Decalogi, quam Legisperitus rectè ad Mosis præscriptum recitavit, ideoque

eoque Christus responsum ejus laudat, & brevissimis addit: *Hoc fac & vives.* Quo præcepto modus salutis non præscribitur, sed arrogantia Legisperiti castigatur. Christus enim attentè observavit discrimen auditorum. Si rem habuit cum superbis & securis, ad Legem remisit, ut suam imperfectionem & miseriam agnoscerent. Si cum contritis, Evangelium prædicavit, ut *Ioh. 3. v. 16. cap. 5. v. 24. cap. 6. v. 40.* Quia igitur hic scriba turgebat opinione justitiæ, & faciendo salvari volebat; hinc ad factorum normam ablegatur, ut suam ἀδυναμίαν intelligat, & ad Samaritanum, cœlestem Medicum confugiat. Neque enim valet consequentia à præcepto ad posse. Christus repetit quidem præceptum Legis: *Hoc fac.* Non autem innuit, nos habere faciendi potestatem. Hoc enim esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων docemur satis, *Rom. 8. v. 3. Gal. 3. v. 11. 12. 13. 21. 24.* Nullus igitur ex Lege & operibus salutem quærat, quia Sacerdos & Levita prætereunt: Solus Christus miseretur & fert opem, qui vino Legis purificat, oleo Evangelii recreat, suisq; œconomis & ministris nos curandos tradit.

Hunc devotè invocamus, ut quia omnes ex Hierosolyma descendimus in Jericho, & in latrones incidimus, ipse curam nostri habeat, quò sanati diligamus eum pro virili, videamus per fidem, adeoq; cum Apostolis verè beati simus, & in æternum maneamus,

Amen.

EVANGELIUM DOMINICA XIV. POST TRINITATIS,

Luc. 17. à verſ. 11. uſque ad 20.

De Decem leproſis.

V. 11. ΚΑὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορέυεσθαι ἀυτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἀυτὸς διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.	ET factũ eſt cũ proficiſceretur Jeſchua ad Ouriſchlẽ, ut tranſiret perSchemaritanos in Galilæam.	VNd es begab ſich da er reiſete gen Jeruſalem/ zog er mitten durch Samarien vnnd Galileam.
12. καὶ εἰσερχομένου ἀυτοῦ εἰς τίνα κώμην, ἀπήντησαν ἀυτῷ δέκα λεπροὶ ἄνδρες, οἳ ἔστησαν πόῤῥωθεν.	Quumq; propè ingrederetur vicũ quendã, occurrerunt ei decem viri leproſi & ſteterunt procul.	Vnd als er in einẽ Marckt kam/ begegneten jhm zehẽ auſſetzige Månner/ dieſtunden von ferꝛnen.
13. καὶ ἀυτοὶ ἦραν φωνὴν, λέγοντες: Ἰησοῦ ἐπιστάτα, ἐλέησον ἡμᾶς.	Et extulerunt vocem ſuã, dicentes, Magiſter noſter Jeſchua, miſerere noſtri.	Vnd erhuben jhre ſtim̃e / vnd ſprachen: JEſu / lieber Meiſter / erbarme dich vnſer.
14. καὶ ἰδὼν εἶπεν ἀυτοῖς, πορευθέντες ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν ἀυτοὺς, ἐκαθαρίσθησαν.	Et quum vidiſſet eos, dixit eis: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et dum peoficiſcerentur, mundati ſunt.	Vnd da er ſie ſahe/ ſprach er zu jhnen: Gehet hin vnd zeiget euch dẽ Prieſtern. Vnd es geſchach / da ſie hingiengen / wurden ſie rein.

15. εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν ἰδὼν ὅτι ἰάθη, ὑπέστρεψε μετὰ φωνῆς μεγάλης δοξάζων τὸν θεόν.	Unus autem ex ipſis, ut vidit ſe eſſe mundatum, reverſus eſt, & alta voce glorificabat Deum.	Einer aber vnter jnen/da er ſahe/ dz er geſund worden war/kehret er vmb/ vnd preiſet GOtt mit lauter ſtimme.
16. καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης.	Prociditq; in faciem ſuam ante pedes Jeſchua, gratias ei agens. Erat autem iſte Schamaritanus.	Vnd fiel auff ſein Angeſicht zu ſeinen Füſſen / vñ dancket jhm / vnd das war ein Samariter.
17. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, οὐχὶ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν; οἱ δὲ ἐννέα ποῦ;	Reſpondit autem Jeſchua, & ait: Nonne erant decem qui mundati ſunt? ubi ſunt novem?	JEſus aber antwortet/ vnd ſprach: ſind jhr nicht zehen rein worden? Wo ſind aber die neune?
18. οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος;	Quare ſeparati ſunt, quin redierint daturi gloriam Deo, niſi iſte qui eſt ex populo extraneo?	Hat ſich ſonſt keiner fundẽ / der wieder vmbkehret/ vnd gebe Gott die ehre/ denn dieſer frembdlinger?
19. καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἀναστὰς πορεύου, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.	Et dixit ei, Surge abi; fides tua te ſervavit.	Vnd er ſprach zu jhm: ſtehe auff/ gehe hin/dein glaube hat dir geholffen.

Homilia.

DUORUM Samaritanorum in hiſtoria Evangelica fit mentio. *Alter* eſt Medicus, *alter* patiens. *Ille* fideliter ſanat, *hic* poſt ſanationem gratias ardenter agit. *Ille* Chri- *Duo Samaritani celebres in Evangelio.*

ſtum

ſtum præfigurat, *hic* Chriſti amatores depingit. Ab *illo* ſolatium in adverſis, ab *hoc* exemplum gratitudinis petendum eſt. De *illo* ante octiduum audivimus, de *hoc* præſenti Evangelio audiemus.

Summa Evangelij. Quum enim Chriſtus iter faceret per Samariam, paulò ante paſſionem ſuam, occurrrerunt ei decem leproſi, quos humiliter ſupplicantes exaudivit, & à lepra mundavit. Inter eos fuit *Samaritanus*, qui ſolus ad Chriſtum revertitur, & pro accepto mundationis beneficio gratias agit. In *decem his leproſis* videmus typum humanæ infirmitatis: In *Chriſto* ſpeculum miſericordiæ & compaſſionis. Nemo eſt ex nobis, qui non infirmetur: Chriſtus autem venit, ut ſanemur, ideoq; Auguſtinus rectè dixit: *Magnus utique venit Medicus, quia ubique jacebat ægrotus* Poſt ſanitatem verò reſtitutam pauci faciunt, quod facere debebant. Plurimi ſunt ingrati: vix unus & alter Samaritanus redit ad agendum gratias, & celebrandum beneficium. Vulgatiſſimus hic proceſſus eſt, ut in tribulationibus omnes clament cum leproſis, ſed poſt liberationem non omnes grati ſint cum Samaritano. Hodiernum igitur Evangelium verè pictura eſt mundani moris, & hypotypoſis humanæ ingratitudinis.

Partes: Partes verò duas continet.

1. Eſt de *decem leproſorum mundatione miraculoſa.* v. 11. 12. 13. 14.

2. De *ſolius Samaritani reverſione, & gratitudine,* v. 15. 16. 17. 18. 19.

Propoſitio. Nos utramque conſideraturi dicemus, 1. *Quid* agendum ſit, ut & nos ſanemur, 2. *Quid* ſuſcipiendum,

endum, postquam sanati sumus.

Christus nobis det gratiam, ut ipsi dare possimus gloriam, Amen.

PARS I.

De mediis nostræ sanationis.

UTi duabus partibus constamus, corpore & animâ: sic duplici morborum genere laboramus, *alterum* corpus afficit, *alterum* animam. Ægrum est corpus, ob δυσκρασίαν: ægra est anima, ob ἁμαρτίαν. Utriusque infirmitatis exemplum in leprosis proponitur. Omnes decem laborant leprâ corporali, novem spirituali. Lepra corporis fuit summa humorum depravatio, carnisque & cutis infectio. Sed lepra animæ, peccatum est, quippe quod magnam cum exteriori lepra cognationem habet. *Duplex morborum genus.*

Possunt comparari, 1. *Respectu corruptionis*, Ut enim lepra totum corpus: sic peccatum animam corrumpit. *Comparatio lepræ & peccati.*

2. *Respectu infectionis.* Ut lepra inficit alios: sic peccatum contagiosum est, & incautos facilè contaminat.

3. *Respectu separationis.* Ut leprosi expelluntur à communi consortio: sic peccatum dividit inter Deum & hominem.

4. *Respectu curationis.* Ut solus Deus à lepra mundavit homines: Ita solus Christus peccata expiavit.

Quia verò omnes in iniquitate concipimur, *Ps. 51. vers. 7.* & filii iræ nascimur, *Ephes. cap. 2. v. 3.* hinc etiam nos omnes spiritualiter leprosos esse consequitur.

Hoc ipſum autem peccatum ſeu lepra animæ in cauſſa eſt,ut &corpus nonnunquam cum morbis conflictetur. Ut enim aliæ calamitates, ſic morbi quoq; peccatorum pœnæ & fructus ſunt. Quia verò nemo eſt, qui ſanitatem non exoptet, qui ab infirmitate ſua, qualiscunque ſit, ſive ſpiritualis tantùm, ſive unà corporalis, curari non velit, vera ſanationis media maturè inquirenda ſunt. Suo iſta exemplo leproſi noſtri oſtendunt, & quinque inprimis ordine commemorant. Veſtrum eſt diligenter attendere, & omnia ad praxin deducere.

Quinq; ſanationis media.

I. Primum medium eſt Impiorum deſertio. Vivebant hi leproſi ſeorſum, & ab aliis ſeparati, juxta Legem, *Lev.13.v.46.* Quod ſi & nos à Chriſto cum ipſis ſanari velimus, converſationem malorum ante omnia deſeramus. Nihil enim magis obſtat curæ ſpirituali, quàm ambulare in viis impiorum. Proinde, fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne ambules cum eis, *Prov. 1. v.10. Melius* enim *eſt, habere malorum odium, quàm conſortium,* ait Iſidorus Hiſpal.l.1. Soliloq. Joſaphat reprehenditur, quòd cum impio Achas copias conjungeret, *2 Paral.19.v.2.* Judæis omni commercio cum alienigenis interdixit Deus, *Exod.34. v.16.* Omnes prohibitiones de immundo non tangendo, *Lev.5.v.2.& 11.v.43.* hanc cautelam continent, ut ab impiorum conſortio ſtudioſè caveatur. Leproſos & infectos quis eſt qui non fugiat? Cur ergo non magis declinamus à via ſceleratorũ, quippe qui ipſam animam contagio ſuo inficiunt & corrumpunt: Denunciamus ergò vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis

1. Impiorũ deſertio.

vos ab omni fratre ambulante inordinatè, *2. Thess.* 3 *v.* 6. Verùm quis credit auditui noſtro, *Eſa.* 53. *v.* 1. Ut ægroti ferventiùs appetũt, quod ſeveriùs prohibetur à Medico: ſic quò pluribus monitis inſtamus, eò minùs proficimus. Num autem omnia impunè abitura cenſetis? Veniet dies, ubi nõ cõſiſtent in judicio impii, *Pſalm.* 1 *v.* 5. ſed peribunt, *v.* 6. & cum horribili ſocietate diabolorum æternis flammis ſubjicientur.

II. Ad Chriſtum acceſſio. Dicitur enim de leproſis, quòd Chriſto caſtellum ingredienti *occurrerint.* O felix occurſus, per quem Medico adpropinquat patiens! ſanctum deſiderium, quo Chriſti expectant auxilium! Quia civitates & oppida non debebant ingredi ob lepram, in ipſo itinere Chriſto prodeunt obviam. Non negligenda eſt occaſio ſalutis: quærendus medicus, ut reſtituatur ſanitas. Væ illis, qui ſui immemores hanc diligentiam non adhibent! Quibus eſt apud Regem negotium, cuncta aditus media obſervant: Ad Chriſtum ſemper patet aditus, & tam ſocordes erimus, ut nunquam veniamus? Ipſe ſolus eſt Sanator noſter, *Exod.* 15 *v.* 26. & cœleſtis Medicus, *Eſa.* 63. *v.* 1. quis non lubenter accederet? Sunt quidam Medici qui juvare poſſunt, ſed non volunt: ſunt alii qui juvare volunt, ſed non poſſunt. In Chriſto utrumq; concurrit, tùm *facultas*, quia omnipotens; tum *voluntas*, quia miſericors. Nõ eſt abbreviata manus ejus, *Eſa.* 50. *v.* 2. Ipſe potẽs eſt omnia facere ſuperabundanter, *Eph.* 3. *v.* 20. Ipſe ad ſe vocat ægrotos quoſvis, *Matth.* 11. *v.* 28. & neminem vult ejicere venientem, *Iohan.* 6. *verſ.* 37. *Ambroſius* ſcribit:

2. Ad Chriſtum acceſſio.

Christum eo loco esse crucifixum, quo primi parentes lapsi sunt sepulti, ut ostenderetur, ipsum totius humani generis esse sanatorem. Sic enim inquit: *Ubi jacet ægrotus, ibi suspensus est Medicus.* Procedamus igitur cum leprosis, & occurramus Christo tàm benigno medico, quod fit, si sæpe conveniamus in templo. Hoc enim illud castellum est, quod lubenter ingreditur, in quo ægroti sanantur. Ibi vox ejus personat, qua lætificantur corda, *Psal. 19. vers. 9.* per quam concipitur fides, *Rom. 10. v. 17.* in sanguinem ejus, qui nos mundat ab omni peccato, *1. Ioh. 1. v. 7.*

Humilis morbi agnitio.

III. Humilis morbi agnitio. A longè steterunt isti leprosi, quia se immundos esse agnoverunt, & propterea Legi Mosaicæ obedire voluerunt. Præceptum erat *Levit. 13. v. 46.* ne leprosi sanis se immiscerent, sed potiùs publicè clamarent: *Immundus sum, immundus sum.* Hujus legis memores steterunt πόῤῥωθεν agnoscentes suam tùm infirmitatem, tùm indignitatem. Laudabile hoc factum, & imitatione dignum est. Non sanatur ægrotus, si sibi videtur validus. Qui sanitatem præsumit, ad illum Medicus non accedit. Morbum fateri debet, qui curari exoptat. Non ergò diffiteamur peccata, ne postmodum conqueramur cum Davide ex *Psalm 32. v. 3.* Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. Fateamur & clamemus cum leprosis? *Immundi, immundi sumus,* quia in multis labimur omnes, *Iac. 3. v. 2.* nec est homo, qui non peccet, *Eccl. 7. v. 21.* Confessio humilis primus ad sanationem gradus est. Multi videntur sibi valentes & sani: verùm si manum cum Mose mitterent in sinum suum, mox

lepro-

leprosos se esse animadverterent, *Exod. 4. vers. 6.* *Triplex lepra.*
Triplex inter Judæos lepra fuit: 1. *Corporum*, 2. *Vestium*, 3. *AEdium*. Idem malum mystico sensu in nobis reperitur. Laboramus lepra *corporum*, „ si membra præbeantur iniquitati organa & vo- „ luptatibus indulgeatur. Laboramus leprâ *vesti-* „ *um*, si quis pomposè nimis & splendidè incedat, „ ut dives epulo, *Luc. 16. v. 19.* Laboramus leprâ *ædi-* „ *um*, si magnificæ domus extruantur, & pauperum „ bona per fas & nefas corradantur, de quo Domi- „ nus conqueritur, *Esa. 5. vers. 8.* Has ergò maculas nostras humiliter agnoscamus, quia *Notitia peccati est initium salutis*, juxta Bernardum. Fidelis Deus est, & remittit, si confiteamur, 1. *Ioh. 1. v. 9.* Stemus igitur à longè cum leprosis, *partim* agnoscendo infirmitatem, *partim* nos humiliando coram Christo. Ita stetit Publicanus & descendit justificatus præ Pharisæo, *Luc. 18. v. 14.* Mitis est Salvator, qui humilitatē nostram videns propiùs accedere jubet. Fratres Josephi visâ ejus majestate, & admissi criminis memores, propiùs accedere non audebant, *Gen 45. v. 3.* sed ipse clementer advocat, v. 4. *Accedite, Ego sum frater vester, nolite pavere.* Pari modo omnes confitentes & pœniten- „ tes suaviter compellat Christus: *Accedite, ego Immanuel, ego frater & sponsus vester sum.* „ Absit timor, pro salute vestra misit me Deus, ut vos sanem & salvos faciam. O alloquium blandissimum! Quis non lubens accedere, ut tantâ gratiâ frui posset?

IV. Misericordiæ imploratio. Levaverunt leprosi vocem, dicentes: *Iesu Præceptor miserere nostri.* Nullum in quavis infirmitate præ- „ *4. Misericordiæ imploratio.*

 sentius

sentius remedium est, quàm clamor ad Deum, & fidelis precatio. In cruce & tentatione quidam sunt 1. Silentes, 2. Ejulantes, 3. Murmurantes, 4. Blasphemantes. Sed omnes errant, & peccata peccatis cumulant. Nos cum leprosis clamantes simus, & *Miserere* ingeminantes. Nam ut Poëta dixit:

Per Miserere mei, tollitur ira Dei.

Filius prodigus, quum in summam miseriam incidisset, reversus est ad patrem, *Luc.* 15. *v.* 20. Sic post dilapidata Charismata divina, & contractam infirmitatē, nullum restat aliud refugium, quàm Dei misericordia. Nihil magis displicet Deo, quàm fiduciam præter ipsum ponere in alio: hinc reprehenduntur Judæi, *Ierem.* 2. *v.* 31. *& seqq.* & Assa derelinquitur à Domino, 2. *Par.* 16. *v.* 7. Adeamus ergò non nisi thronum gratiæ, ut inveniamus misericordiam, *Heb.* 4. *v.* 16. Fecerunt hoc leprosi, & ad primam vocem exauditi sunt. Imitemur illos: non frustrâ precabimur. Agnoscunt Christum esse 1. Jesum, h. e. Salvatorē, 2. *Dominū*, ἐπιστάτην vel præceptorem. 3. *Misericordem*, quia ad miserendum provocant. Fuit hæc precatio 1. *Humilis*, quia steterunt à longè, 2. *Ardens*, quia clamaverunt, 3. *Sapiens*, quia Messiam agnoverunt, & totum invocarunt, 4. *Fidelis*, quia ex gratia nō merito exaudiri voluerunt, 5. *Vnita*, quia junctim vocem levaverunt, dicentes: *Miserere nostri.* Iisdem requisitis preces nostræ sint præditæ, si cœlū penetrare & misericordiā impetrare debeāt.

Anshelmus: Vox magna significat vocem devotam potius quàm clamosam. Leprosi sunt aliàs rauci sed fiducia animi reddit eos vocales.

5. Ministerii veneratio.

V. Ministerii veneratio. Christus nil aliud respondet, quàm ut abeant, & sacerdotibus se

ſe oſtendant. Factum hoc 1. *Vt* Lex Moſis obſervetur, *Levit.* 13. *v.* 9. quâ judicium de leprâ ſacerdotibus delatum eſt. Iis ergò nec honorem, nec præmia inde expectanda voluit Chriſtus detrahere. 2. *Vt* fides & obedientia leproſorum probaretur. 3. *Vt* Meſſias à Sacerdotibus per hoc miraculum agnoſceretur. 4. *Vt* leproſi miniſterium ſemper venerari diſcerent.

Papicolæ hinc confeſſionem auricularem ſtabilire præſumunt: Stolidè. Nec enim ad peccata enumeranda, ſed ad indicium de lepra percipiendum ablegantur. Ut autem juſſi erant, ita faciunt. Chriſtus vix dederat mandatum, mox ſequitur obſequium. Res mira! Sacerdotibus ſe debent oſtendere, nec tamen erant ſanati. Nulla igitur fuit oſtendendi ratio, quia Sacerdotes leprã ſanare nõ poterant, ſed tantùm declarare an verè ſit ſanata. Iſti tamen rationem non conſulunt, nec multum diſputant, ſed ſimplici fide obediunt. Diſcamus ab ipſis tum obedientiam, ne cum Naamo indignemur, 2 *Reg.* 5. *v.* 11. nec modum præſcribamus cum Regulo, *Ioh.* 4. *v.* 49. *tum* inprimis reverentiam erga miniſterium. Hi ſunt legati Dei, 2. *Cor.* 5. 20. ſunt os Domini, 2. *Pet.* 1. *v.* 21. & oculi Eccleſiæ, *Eſa.* 21. *v.* 6. *Ezech.* 3. *v.* 17. Ad hos remittimur, ut morbos noſtros aperiamus. His concredita eſt animarum cura. Illorum ergò conſiliis utamur, & reverenter obſequamur. Hos qui audit, Chriſtum audit: qui ſpernit, Chriſtum ipſum ſpernit, *Luc.* 10. *v.* 16. Horum judicium ita confirmatum eſt, ut quod in terris ſolvunt, ſolutum; quod ligant, ligatum maneat in cœlis, *Matth.* 18. *v.* 18. In tota igitur anima tua

time Dominum, & Sacerdotem illius venerare *Syr.7.v.31.* Ab his enim diſces ſapientiam, & cuncta quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Hujus verò moniti ſi obliviſcantur homines, ſæpè immittit morbos Dominus, qui ſunt citationes ad miniſterium. Pauci hoc curant, ſed per infirmitatem ſæpè adiguntur ut curent, & ſuos nævos oſtendant. Quod ne fiat, libenter audiamus miniſtros, dum adhuc valemus. Ita cum leproſis inter eundum & audiendum ſanabimur, & ab omni infirmitate liberabimur.

PARS II.

De noſtro officio poſt ſanationem.

UT Chriſti miſericordia magna fuit: ſic leproſorum gratitudo magna eſſe debuit. Omnes mundati ſunt, ſed non omnes ad Chriſtum redeunt. Similes erant quoad morbum, & idem ſentiebant auxilium; ſed diſſimiles fiunt poſt mundationem. *O rem deplorandam!* Ex denario fit unitas: ex novenario nullitas. Decem mundati ſunt à lepra corporali: ſed novem inficiuntur leprâ ſpirituali. Fiunt enim ingrati, & revertuntur ad vomitum. Unus Samaritanus accepti beneficii memor eſt, & Chriſto, quas meruit gratès agit. Novem ergò reliqui abeant, nos Samaritanum hunc intueamur, qui noſtri ſuo exemplo nos officii luculenter admonebit.

Quatuor partes noſtri officii.

I. Redeundum eſt. Ut enim Samaritanus fuit egreſſus: Ita nîl moremur alios, ſed revertamur ad Chriſtum. Multi ſunt, qui nos ad mundi avia vocant, *Sap.2.v.1.ſeqq.* ſed non ſequamur,

1. Redeundum eſt.

mur. Sint alij ingrati, nos redibimus. Pergant alij in ſcelerum viâ: nos nova in Chriſto creatura erimus. Fas enim eſt, ut illi nos ſociemus, à quo beneficia accepimus. Naaman mundatus ad conſilium Eliſei revertitur cum univerſo comitatu, & obtulit munera, *2. Reg. 5. v. 15.* Quantò magis poſt mundationem animę cum tota familia nos debemus convertere ad Chriſtum. Non poſcit munera, ſed tantum cor fidele & pœnitens. Hoc ſi offeras, ſatis eſt: nî afferas, pœnam attrahis. Semper ergò iſtius memor ſis, quod dictum Joh. 5. v. 14. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.*

II. Procidendum eſt. Samaritanus cecidit in faciē ante pedes Chriſti, quia cordis humilitas in gratiarum actione inprimis requiritur. Sua qui merita jactat cum Phariſæo, *Luc. 18. v. 11.* contumeliâ Deum afficit. Is autem Deum honorat, qui cum Davide canit ex Pſalm. 115. verſ. 1. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam,* & cum Daniele fatetur ex cap. 9. v. 7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei.* Nunquam enim ſuperbi placuerunt Deo, ſed humiles inprimis reſpicit, *Pſal. 113. v. 6.* Angeli quùm procidere nollent coram Deo ex ſuperbia; pulſi ſunt cœlo. NebucadNezar, quùm efferret animum, ejectus eſt in exilium, *Dan. 4. v. 30.* Nos ergò procidamus humiles, & præparemus corda ad laudes Dei decantandas.

2. Procidendum.

III. Pſallendum eſt. Ut Samaritanus hic antè levavit vocem precando: Ita nunc iterum levat celebrando. Magnâ enim voce gratias egiſſe

3. Pſallendum.

dicitur. Egregia virtus est gratitudo, Deo & hominibus accepta, Sir. 38. v. 1. præceptum est: *Honora Medicum*; Christus est summus optimúsque Medicus; quis ergò non honoraret? Ut se mundatum vidit Samaritanus, mox in laudes solvitur. Videte & vos fratres, quantam charitatem Deus dederit! O quis vel cogitando tantum exhauriret abyssum beneficiorum divinorum? Videte, ut vitam dederit, & conservet! Videte, ut in adversis defenderit, in cruce liberârit & sustentârit! Hîc sunt beneficia *universalia*, toti generi humano collata: hîc sunt *specialia*, fidelibus in Ecclesia liberaliter concessa: hîc sunt *singularia*, unicuique nostrûm privatim exhibita. Venite ergò & procidamus coram Domino: Psalmum dicemus nomini ejus, & misericordiam annunciabimus in generationes. Magnificet anima nostra Dominum, & exultet Spiritus noster in Deo salutari nostro. Fecit enim nobis magna qui potens est, sit nomen ejus benedictum in seculum. Opera enim Dei revelare & confiteri, honorificum est, *Tob. 12. v. 7.* Si Samaritanus tàm gratus fuit ob mutationem corporis, quid nobis agendum, qui tot beneficia accepimus.

Sed ô extremam hominum ingratitudinem! Decem mundantur, vix unus gratias agit. Ubi, ubi sunt novem reliqui? O quàm multi bona impetrant, sed quàm pauci Deum celebrant? Dedecus profectò magnum est, tantam ingratitudinem in Christianos cadere! Surgit Deus, & propterea conqueritur, *Esai 1. vers. 2.* Surgent pagani, & nos condemnabunt. De astris suis sacrificia obtulerunt: victoribus statuas erexerunt, nihil in-

termit-

termittentes, quod ad declarandam gratitudinem pertinere videbatur. Nos ſcimus verum Deum, nos accipimus innumera ab ipſo munera: quis verò eſt, qui agnoſcat, qui prædicet? Tobias dimidiam bonorum partem Angelo comiti dare voluit, *cap. 12. v. 6.* Quid verò angeli iſtius beneficia, ſi cum divinis conferas? Quid igitur Deo dignum, quod dare poterimus? Nullas ipſe opes exigit, nullas victimas. Sola gratitudo eſt, quam debemus. Si offerre volumus, ſacrificium laudis offeramus, exclamantes cum Davide, ex Pſ. 31. v. 20. *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi ſit gloria in ſecula, *Rom. 11. v. 36.*

IV. Perſeverandum eſt. Non ſufficit Deum laudare ore, ſed gratitudo inprimis conſiſtit in opere. Conſtanti fide credamus in Chriſtum, & ſatis celebravimus. Fecit hoc Samaritanus, qui non receſſit à Chriſto, ſed fideliter adhæſit, & per fidem ſalvus factus eſt. Cæteri novem benè cœperant, ſed non perſeverant, ideoque iram Chriſti graviſſimam incurrunt. Multorum eſt incipere, ſed paucorum perſeverare, quia multi vocati, pauci electi, *Matth. 20. v. 16.* In via fidei & virtutis plerumque principium fervet, progreſſus tepet, exitus friget. Nos autem Samaritanum imitemur, & cum illo perſeveremus, ut ſalvi fiamus, *Matth. 10. v. 22.* Cuſtodem fidum denotat vox Samaritani. Cuſtodes ergò ſimus, ne extinguatur lampas fidei. Eſto fidelis usque ad mortē, & corona dabitur, *Apoc. 2. v. 10.* Inter virtutes ſola perſeverantia coronatur, dicēte *Bernardo.* Qui retrò reſpicit, regno Dei non eſt aptus, *Luc. 9. v. 62.* *4. Perſeverandum.*

v. 62. Quid juvat prior ſanitas, ſi quis recidivam patiatur? De juſtitia juſtus ſi ſe averterit, liberare illum non poterit, *Ezech. 33. v. 12.* Deum igitur invocamus devoti, ut ab omni infirmitate mundati, ſemper ipſi adhæreamus, ſanctum ejus nomen memori mente in æternum celebremus, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

Matth. 6. à verſ. 24. uſque ad fin.

De Interdicto vanæ ſolicitudinis.

v. 24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει· οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ Μαμμωνᾷ.	NEmo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio proſequetur, & alterum diliget: aut unum honorabit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & Mamouno, *divitÿs.*	NJemand kan zweyen Herren dienen / Entweder er wird einen haſſen/vñ den andern lieben/ Oder wird einem anhangen/ vnnd den andern verachten. Jr könd nicht Gott dienen vnnd dem Mammon.
25. διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν τί φάγητε, καὶ τί πίητε,	Propterea ego dico vobis: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid eſuri ſitis, & quid bibituri,	Darumb ſage ich euch: Sorget nicht für ewer Leben/was jr eſſen vñ trincken werdet/

μηδὲ

μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσησθε· οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος;

nec corpori vestro, quâ re sitis induendi. Nonne anima plus est quàm alimentum, & corpus *plus quàm* vestimentum?

Auch nicht für ewren Leib / was jhr anziehen werdet. Ist nicht das Leben mehr denn die Speise? Vnnd der Leib mehr denn die Kleidung?

26. ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά· οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν;

Advertite ad volucres cœli, quæ nec serunt nec metunt, neq; cogunt in horrea, & Pater vester qui est in cælis alit eas; nonne vos estis eis præstantiores.

Sehet die Vögel vnter dem Himmel an / sie seen nit / sie ernden nicht / sie samlen nicht in die Schewren / vnnd ewer Himmelischer Vatter nehret sie doch. Seid jhr denn nicht viel mehr / denn sie?

27. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;

Quis est autem ex vobis qui solicitus possit addere ad staturam suam cubitum unum?

Wer ist vnter euch / der seiner Lenge eine Ele zusetzen möge / ob er gleich darumb sorget?

28. καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ πῶς αὐξάνει. οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει.

Ac de vestimento quid anxij estis? considerate lilia agri quomodo crescant, quæ neq; laborant, neq; nent.

Vnnd warumb sorget jhr für die Kleidung? schawet die Lilien auff dem Felde / wie sie wachsen / sie arbeiten nicht / auch spinnen sie nicht.

29. λέγω

29. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ ὁ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.

Ego verò dico vobis, ne Schelemoũ quidem in tota gloria sua sic amictum fuisse ut unum ex eis.

Jch sage euch/ dz auch Salomon in aller seiner Herrligkeit nicht bekleidet gewesen ist/ als derselben eins.

30. εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ σήμερον ὄντα καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον ὁ θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς ὀλιγόπιστοι;

Quòd si gramen agri, quod hodie extat, & cras cadit in clibanum, Deus ita vestit, nonne vos multò magis, modicâ fide præditi?

So denn Gott das Graß auff dem Felde also kleidet/ das doch heute stehet/ vnd morgen in dẽ Ofen geworffen wird / Solt er das nit viel mehr euch thun / O jhr kleinglåubigen?

31. Μὴ οὖν μεριμνήσητε λέγοντες, τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν ἢ τί περιβαλώμεθα;

Ne igitur anxij sitis, neve dicatis: Quid edemus? quidve bibemus? quove operiemur?

Darumb solt jhr nit sorgen/ vnd sagen: Was werden wir essen? Was werden wir trincken? Womit werdẽ wir vns kleiden?

32. πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ. οἶδε γὰρ ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος ὅτι χρῄζετε τούτων ἁπάντων.

Hæc enim omnia gẽtes hujus mundi quęrunt sibi. Pater autem vester qui in cœlis est, novit quòd & vobis requiruntur hæc omnia.

Nach solchem allen trachtẽ die Heiden / Denn ewer Himlischer Vatter weiß / daß jhr das alles bedůrffet.

33. ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ,

Sed quærite primò regnum DEI, & justitiam ejus,

Trachtet am ersten nach dẽ Reich Gottes / vnd nach seiner Gerechtig-

καὶ ταῦτα πάντα προσεθήσεται ὑμῖν.

& hæc omnia adjicientur vobis.

keit / so wird euch solches alles zufallen.

34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς· ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

Ne sitis igitur anxij de crastino, nã crastinus dies curam habebit sui ipsius: sufficit diei malum suum.

Darumb sorget nicht für den andern Morgen / denn der morgende Tag wird für das seine sorgẽ. Es ist gnug / das ein jeglicher Tag seine eigene Plage habe.

Homilia.



Pia & sapiens est precatio Salomonis, Prov.30.v.8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* Nam utrobiq; periculum est, quia ex divitiis elatio, ex mẽdicitate desperatio sæpè oritur. Proximũ contemnunt, qui abundant: crebrò decipiunt, qui egent. Moderatæ igitur opes sunt optimæ, & in vitâ humanâ perquàm necessariæ. Sunt *adminicula* virtutis acquirendæ; sunt *ornamenta* acquisitæ: sunt *instrumenta* charitatis & magnificentiæ. Pietati non contrariatur opum *acquisitio*, si justa sit; non *possessio*, si absq; avaritia sit; non *usurpatio*, si modus teneatur, & proximus juvetur. Quot verò sunt inter homines, qui medium servant? Pauci cũ Salomone solis necessariis contenti sunt: Pleriq; in excessu peccant, & cum Mida Phrygum rege exoptant, ut quicquid tetigerint, in aurum mutetur. Omnia cogitata, cuncta studia tantùm ad opes corra-

Salomonis precatio.

corradendas dirigunt, adeoq; tum se beatos prædicant, si arcæ nummis, & horrea frumentis tumeant. Secus si eveniat, mox diffidunt, & de vitæ conservatione desperant.

Summa Evangelij. Ab hac autem vana solicitudine, nimióque opum amore graviter nos dehortatur Christus præsenti Evangelio. Scivit, nos imprudentes esse non tantùm in spiritualibus, sed quoque in temporalibus. Hinc verba fecit *tum* alibi de animæ, *tum* hîc de corporis cura; & monstravit modum, qui in opum collectione teneri debeat. Quærendum est regnum Dei ante omnia, & adjicientur cætera. Jactemus curam in Dominum, ipse nos sustentabit, *Psal. 55. v. 23.* Totum igitur Evangelium in duo præcepta moralia resolvi potest. Alterum est *negativum*, ne simus nimiùm soliciti; alterum *affirmativum*, ut primùm quæramus regnum Dei. Nos utrumque considerabimus, audituri

Partes.

Propositio.
1. *De vana solicitudine fugienda.*
2. *De Regno Dei quærendo.*

Christus Præceptor noster suam aspiret gratiam, ut attenti simus in auscultando, & parati in obtemperando, Amen.

PARS I.

De vana solicitudine fugienda.

Duplex cura. DUplex cura vel solicitudo est. *Alteram* vocamus sanctam & necessariam: *Alteram* verò profanam, & Ethnicam.

Prior ab ipso Deo requiritur & notat industriam in demandato munere. Ministri curent, ut Dei voluntas patefiat, & impij convertantur, *Ezech. 3. v. 17. seqq.* Curent Magistratus, ut boni defen-

defendantur, mali puniantur, *Rom. 13. v. 1. ſeqq.* Curent parentes, ut educent filios in diſciplina & correctione Domini, *Epheſ. 6. v. 4.* Curet quivis in vocatione ſua, ne opus Domini faciat fraudulenter, *Ierem. 48. v. 10.* Hanc muneris curam Chriſtus probat, non improbat, injungit, non prohibet; præmiis, non pœnis afficit.

Eſt verò alia ſolicitudo, circa res temporales tantùm occupata, ex mera diffidentiâ enata, quùm homines ſine modo ſunt ſoliciti de victu & amictu, ſemper ingeminantes, *Quid manducabimus, quid bibemus, quid induemus?* Exemplum hujus diffidentiæ Moſes fuit, *Num. 11. v. 21.* nec non Philippus & Andreas, *Ioh. 6. v. 5. 8.*

Grave autem hoc peccatum eſt, quod ſemper trahit ſecum alia, unde talis cupiditas vocatur *ῥίζα πάντων τῶν κακῶν*, radix omnium malorum, *1. Tim. 6. v. 10.* Adverſus hanc ventris ſolicitudinem, & mentis diffidentiam ſermonem Chriſtus inſtituit, eámque variis argumentis diſſuadet, quæ quùm ſint ponderoſa & maximè luculenta, non immeritò paulò fuſiùs conſiderari debent. *Rationes immodicã ventris curam diſſuadentes.*

Primum deſumitur ab Idololatria. Quî enim terrena nimiùm curant, & opibus tantùm corradendis intenti ſunt, ne egeant, illi fiduciam ſuam ponunt non in creatore, ſed in creaturis: non in Chriſto, ſed in nummo. Hinc avaritia vocatur ſimulacrorum ſervitus, *Col. 3. v. 5.* & avari idolorum ſervi, *Epheſ. 5. v. 5.* & Jehova conqueritur, quòd homines aurum & argentum ſuum fecerint ſibi idola, *Oſeæ 8. v. 4.* *1. Ab idololatria.*

Hanc rationem Chriſtus tangit ab initio, dicens: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Non au-

tem loquitur de Dominis ſubordinatis, quùm talibus optimè quis ſervire poſſit, (ut Deo & magiſtratui, qui miniſter Dei, *Roman.* 13. *verſ.* 6. paſtoribus & parentibus, qui loco Dei nos admonent) ſed de Dominis *oppoſitis*; qui ſibi contrariantur in omnibus. Tum enim alter diligitur, alter contemnitur, & odio habetur. Unius juſſa fiunt, alterius non fiunt. Iſtam verò theſin generalem applicat CHRISTUS ad propoſitum, & firmiter concludit: *Ergo non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.*

Vox Mammon unde. Vox *Mammonis* peregrina eſt. Plerique deducunt ex Hebr. חָמוֹן quod ſignificat cujuslibet rei copiam, ab חָמַן copioſus fuit, & uſurpatur de divitiis, *Eccl.* 5. *v.* 10 *Pſal.* 37. *v.* 16. *Ezech.* 29 *v.* 19. Mammon verò per מּ in Scriptura Hebraica non extat, ſed Syriaca lingua ut copiam & theſauros peculiari vocabulo notaret, ex Hamon, fecit Mammon; & addidit in fine Aleph unde fit Mammona, obſervante *Chemnitio* cap. 51. Harm. pag. 500.

Atque hinc patet, quòd per Mammona primariò & directè non intelligatur diabolus. Duo quidem in mundo ſunt Domini, alter de *jure*, Deus, qui ab æterno fuit Dominus, nunquam ſervus: alter de *facto*, Diabolus, qui nunquam fuit Dominus, ſed eſſe debuit ſervus, ſibi tamen dominium affectat, ideoque Deo contrarius eſt, ut qui uni ſervit, alteri ſervire nequeat; Unde ſequitur, ut „qui à Deo per avaritiam deficit, & Mammona co„lit, is per conſequens Diaboli ſervus fiat: Chriſtus tamen per ſervitium Mammonæ non in ge-

Duo in mundo Domini.

nere

nere ministerium diabolo præstitum, sed in specie opum desiderium voluit notatum.

Fiunt autem homines servi Mammonæ 1. In *acquirendo*, si per fas & nefas bona corrodant; 2. In *poßidendo*, si cor apponant; 3. In *dispensando*, si proximum egentem non adjuvent. Hi omnes serviunt Mammonæ, quod dum faciunt, duplex peccatum committunt. In omni enim idolatria duo sunt termini, *à quo*, nimirum Deus, qui deseritur; & *ad quem*, nempè idolum, quod colitur. Idem contingit in solicitâ opum corrasione. Tales 1. *Deficiunt à Deo*. Hunc enim contemnunt, hujus mandata floccifaciunt, aliàs tàm soliciti non essent. Annon autem summum est flagitium, à Deo recedere, cujus servi sumus jure creationis & redemtionis, in cujus nomen baptizati sumus, cui ministerium promisimus? *A Deo averti, cadere est; Deum nescire, mors est; Deum spernere, perire est*, inquit *Augustinus* lib. 1. Confess. cap. 4. Deus est summum & perfectissimum bonum, ut qui Deum habet, omnia habeat. Dum igitur avari discedunt à Deo, unà discedunt à summo bono, quia Deum omnia habentem & dantem deserunt, adeoque fiunt omnium miserrimi. 2. *Colunt idolum turpissimum*. Venerantur enim nummum, sicut idolatræ suum Deastrum. Recondunt in arca, custodiunt omni curâ, non audent tangere præ reverentia. Annón verò stolidissimum est, in istis rebus spem ponere, quas tinea, & ærugo absumunt, fures effodiunt? Annón miserum est hosti suo servire, & arma contra semetipsum suppeditare? Hostis tuus, *ô homo*, Diabolus est, cujus arma sunt cupiditates immodicæ. Nec studes ipsum, quæ-

Quomodo quis fiat servus Mammonæ?

1. Avari deficiunt à Deo.

2. Et colunt idolum.

quæ ipsius sunt, relinquere; sed potiùs corrasione „ opum servire? Augustinus pulcrè: *Res, quam capis,* „ *decipula est: Dum capis, caperis à Diabolo.* Quoties igitur nummis inhias, toties laqueum præbes Satanæ, ut animã tuam capiat, & in infernum dejiciat. Væ tibi ob id, & æternùm væ! Deus diligit & hunc deseres? Satan odit, & huic servies; Ne putes utrique te adhærere posse. Clara enim est „ Christi sententia: *Non potestis.* Ut dextro oculo „ cœlum, sinistro terram aspicere haut vales: sic Deo & Mammonæ simul servire haut poteris. Ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Nulla hîc partitio locum habet. Si Mammonam diligis, Deum negligis, quo pacto hîc curas, illic pœnas tibi attrahis; & in æternum exitium cum irrecuperabili damno te præcipitas.

2. A divina providentia.

Secundum petitur à divina providentia. Hanc negant & pernegant, quicunque nimis solliciti sunt. Si enim crederent, Deum sibi prospicere, non curarent tàm anxiè. Nullum sanè argumentum efficacius proferri potest contra inanes curas, quàm divinæ προνοίας consideratio. Ad illam ergo Christus nos remittens, ait: *Ne sitis soliciti, τῇ ψυχῇ*, id est, pro vita vestrâ, für ewer Leben/ uti Lutherus rectè vertit, siquidem anima pro vita sæpè ponitur, ut *Matth. 10. v. 39. cap. 16. v. 25.* „ Non enim prohibetur omnis cura, labor & nego- „ tiatio, siquidem parentes debent filiis suis the- „ sauros colligere, *2. Cor. 12. v. 14. 2. Thess. 3. v. 11.* & qui domesticis suis non providet, infideli est deterior, *1. Timoth. 5. v. 8.* sed tantùm profana solcitu- „ do diffidentiæ castigatur, & quidem argumentis „ tribus à divina curâ desumtis.

Quæ innotescit

1. A crea-

1. *A creatione nostri.* Nonne anima plus est, quàm esca? & corpus plus, quàm vestimentum? *Ecce!* Deus tibi dedit omnia, quæ habes; à Deo accepisti animam & corpus: Cur igitur diffidis, & de conservatione desperas? *Qui præstitit majora, præstabit etiã minora,* inquit Hieronymus. *Creator, priusquàm essemus, curam habuit nostri, ut fieremus,* ait Augustinus. Qui pro nobis curavit antequam essemus, idem pro nobis curabit, postquam facti sumus. *Nisi ea, quæ fecit, vellet, quàm diu vult, conservare; non creâsset, ut existerent,* dicit Chrysostomus. In illum ergo provolvamus curam nostram, *Psalm. 55. v. 23.* & dicamus cum Davide ex Psal. 22. v. 11. *In te projectus sum ex utero.* *Ex nostra creatione.*

2. *A volatilibus cœli.* Christus hominem diffidentem educit in campos: Non autem monstrat desertum, ubi per 40. annos Judæi sunt sustentati; non speluncam Leonum, ubi Daniel conservatus, siquidem excipi posset, ista esse singularia, sed aviculas cœli ostendit, & curam Patris cœlestis pro iis prædicat. *Respicite,* inquit, *volatilia cœli, non seminant, non metunt, & tamen à Patre cœlesti aluntur. Nonne vos longè præcellitis?* Quot aves circumvolitant in aere, & tamen sustentantur? Quot feræ circumcursitant in sylvis, & tamen sustentantur? Quot pisces circumnatant in aquis, & tamen sustentantur? Deus est, qui alit apiculas per flores, arenas per muscas, corvorum pullos per rorem, vel per vermiculos, qui in nidis nascuntur: Hæ creaturæ omnes creatori suo fidunt, nec quicquam congerunt, sed patienter cibum expectant, *Ps. 145. v. 15.* Et nos homines tamen erimus diffidentes, & soliciti? Annõ dedecus est, majorem *Ex avium pastura.*

esse avium fiduciam, ac nostram? Fidunt enim Deo, quùm nullum habent apparatum. Nos possidemus horrea, promtuaria, apothecas: nos serimus, metimus, colligimus, & tamen diffidimus? O extremam hominum malitiam! qui in ipso cócursu adminiculorum præstare nolunt id, quod naturali quadam inclinatione irrationales aviculæ præstant, sine hujusmodi adminiculis!

Et florum vestitu.

3. *A liliis agri.* A Deo vestiuntur illa sine labore proprio; & ita vestiuntur, ut omnem Salomonis gloriam vincant. *Quòd si fœnum agri, quod hodie est, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Quod sericum, quæ regum purpura potest floribus comparari? Quid ita rubet ut rosa? quid ita candet, ut lilium? Si ergò flores Deus non tantùm vestit, sed etiam exornat, cur homines de amictu dubitant, qui floribus longè sunt præstantiores, & Deo chariores?

3. Ab impossibili.

Tertium dehortationis argumentum ducitur ab impossibili. Vanæ sunt omnes curæ nostræ. Christus declarat hoc similitudine. Si homunculus se vel maximè torqueat, ut staturæ suæ cubitum addat, nihil tamen hæc solicitudo proderit. Non fiet, quod fieri optat, sed animus tantùm cruciabitur: Ita curæ hominum sunt inanes, quia ,,tentant rem impossibilem, Deus cuiq; distribuit ,,sua dona, & dedit talentum, quo negotietur, *Matth. 25. vers. 15.* Ultra hoc si plura desideres, ,, frustrâ erit, nec quicquam efficies. Quare juxta Poëtæ monitum:

Tu præsens cura, Domino committe futura.

Nisi feceris, perpetuò irrequietus manebis. Avari enim quò plus habent, eò plus cupiunt. Hinc com-

comparantur *sacco perforato*, qui repleri nequit; *Inferno*, qui omnia devorat; *Mari*, in quod omnia fluunt, nil redundat; *Hydropico*, qui eò ampliùs sitit, quò largiùs bibit; *Igni*, cui quò plus apponitur, plus augetur, & majus fomentum desiderat. Unde fit, ut dum multa habent, nihil habeant, quia nullo contenti sunt. Nō enim opes animum satiare queunt, quia sunt 1. finitæ, 2. corporeæ, 3. transitoriæ. Anima vero est infinita, per suam capacitatem; incorporea, per suam entitatem; sempiterna, per durationem. Perpetuæ igitur curæ & molestiæ regnant in animo avari, sicut cruciatur homo, qui majorem staturam expetit. Opes enim homines faciunt *solicitos*, antequam habeantur; *timidos*, quùm habentur; *gemebundos*, quùm perduntur. Opes sunt spinæ, *Luc. 8. vers. 14.* Qui ergò amat divitias, is verè amat spinas. Uti verò spinæ corpus puncturis affligunt: sic divitiæ animum curis angunt. O *infelix*, exclamat Basilius Serm. de Avar. *Quis tui non misereatur, videns tanta te perpetientem mala! O mira & crudelis affectio, & parum distans à furore ac rabie.*

Quartum ab Ethnicismo. *Hæc omnia gentes inquirunt*, ait Christus, v. 32. Ex Christianis igitur fiunt pagani, quicunq; divitiis nimiùm inhiant. Ethnici enim quia regnum Dei non nôrunt; ideò nec curant. Tantùm spectant bona temporalia, & in illis acquiescunt (hoc enim est ἐπιζητεῖν, quę vox habetur in Græco) & si quid acquisiverunt, nō benedictioni divinæ, sed suæ id industriæ & prudentiæ acceptum ferunt. Talibus paganis assimilantur omnes avari, quia 1. temporalia conquirunt nimis solicitè, 2. in iis acquiescunt plenè, 3. pòst

4. Ab Ethnicismo.

Deo diffidunt, & 4. omnia ſuis curis adſcribunt, quæ indubitata gentiliſſimi ſunt τεκμήρια. Sic igitur avari fœdus, quod cum Deo iniêre in Baptiſmo, abnegant, & à Chriſtianiſmo turpiter deficiunt. Davidis votum erat Pſalm. 27. v. 4. *Vnum petij, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:* Sed avari contrà laborant, ut membra Eccleſiæ eſſe deſinant, & pagani fiant. Ita nimirum *fœnus pecuniæ fit funus animæ*, juxta Leonem: *Et lucrum in arca, fit damnum in conſcientia*, juxta Auguſtinum.

5 A Patris cœleſtis dilectione.

Quintum & ultimum à Patris cœleſtis dilectione. Nos ſolicitè conquirimus, quæ nobis neceſſaria putamus: ſed Deus, ut Pater noſter rectiùs hoc intelligit, quàm nos ipſi; Cur ergò nos fruſtrà macerabimus? filij, & ſervi nîl curant, ſed ſua faciunt, cætera parentibus dominisq; committunt. Nos magni Jehovæ filii ſumus & famuli: Ergò curam ſuſtentationis noſtræ, ipſi relinquamus, & noſtro interim munere diligenter fungamur. Quis parens pateretur ſibi à filio præſcribi; *Hæc mihi ſunt neceſſaria, unde ſumes? quomodo me veſties?* Et Deum id paſſurum arbitramur? Nolite igitur ſoliciti eſſe: Deo curæ eſt de vobis 1. *Petr.* 5. *v.* 7. Ipſe Pater eſt, non proſpiciat? Ipſe noſter eſt, non diligat? Ipſe in cœlis eſt, non valeat? Ipſe novit egeſtatem noſtram, non miſereatur? Nullas igitur dubitandi cauſſas habemus. In dubium vocari nequit Dei *poteſtas*, quia eſt in cœlis, hoc eſt, omnipotens: non *voluntas*, quia Pater noſter eſt: non *providentia*, quia novit, quibus indigeamus: Hæc qui non attendunt, ſed in vana ſolicitudine pergunt, hi Deum pro Patre ſuo non

agno-

agnoſcunt, ſed ſemetipſos è numero filiorum excludunt. Non enim ita curarent, ſi filii eſſe, & manere vellent. Nos autem Deo Patri noſtro adhærebimus, cujus oculus non dormit, & qui indigentiam noſtram optimè novit. Si enim nos, qui mali ſumus, filiis noſtris bona damus, quantò magis Pater cœleſtis dabit, quæ petierimus? *Luc. 11. verſ. 13.*

Pars II.

De Regno Dei quærendo.

HActenus præceptum Chriſti negativum vidimus, ſequitur affirmativum, v. 35. *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Si alicui omninò animus eſt diteſcere, is Chriſtum audiat, & veram τέχνην χρηματιστικὴν docebit. Sic autem inquit: *Quærite*, ζητεῖτε, quæ vox notat ſingularem induſtriam, quando animus in rem unam totus intenditur. Quid autem quærere debemus? *Regnum Dei*; Eſt hoc triplex, *Potentiæ* in mundo, *Gratiæ* in Eccleſia, *Gloriæ* in cœlis. Regnum *potentiæ* intelligi nequit, quia id à nobis nec quæri, nec comparari poteſt. Notatur ergò *tum* regnū gratiæ in quod aſſumimur, ſi à peccatis ad Deum convertamur, de quo *Rom. 14. v. 17.* *tum* regnum gloriæ, quò ſuſpirare, nec terrenis animum apponere debemus, *Philip. cap. 3. verſ. 20. Coloſſ. cap. 3. verſ. 2.*

Triplex regnum Dei.

Via eò perveniendi eſt *Iuſtitia Dei*, nempe illa quâ juſtus ex fide vivit, *Rom. 1. v. 17.* & quâ juſtificamur, *Rom. 3. v. 24.* Sic ergò Chriſtus utrumque copulat, ut cogitemus 1. de *Regno Dei* tanquam ultimo fine, 2. de medio conſequendi illum, quod eſt juſtitia fidei.

Sed quodnam hujus induſtriæ erit præmium? Hoc nimirum, quòd omnia ad præſentem vitam neceſſaria *adjicientur* ex benedictione divina. In Græco eſt προςεθήσεται, quod de benedictione Dei uſurpatur, *Deut.* 1. *verſ.* 11. *Pſalm.* 115. *v.* 14. *Proverb.* 11. *verſ.* 24. Ita ergò poteſt hoc verbum explicari, ſicut Græci dicunt ἐν προσθήκης μέρει, quod per ſe nullo loco habetur, ſed quaſi appendix & acceſſorium eſt alterius, eine Zugabe. Tam promtus nempe Deus eſt ad dandum temporalia, ſi modò primùm quærantur cœleſtia. Nolite igitur, ô amici, theſauros colligere in terra, ſed potiùs in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Audite monentem ita Salvatorem, ne cogamini audire indignantem, *Matth.* 25. *verſ.* 41. *Diſcedite à me maledicti.* Quam tremendam ſententiam ne audiamus, ſed ut ante omnia regnum gratiæ quæramus, regnum gloriæ expectemus, & cætera nobis adjiciantur, faxit is, qui facere poteſt omnia, Pater noſter, qui in cœlis eſt, Deus ſemper benedictus & laudandus in ſecula, Amen.



EVAN-

EVANGELIUM

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS,

Luc. 7. à verſ. 11. usque ad 18.

De Viduæ in Nain reſuſcitato filio.

v. 11. ΚΑὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς, ἐπορεύετο εἰς πόλιν καλουμένην Ναΐν, καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοὶ, καὶ ὄχλος πολύς.

ET factum eſt poſtero die, ut proficiſcerent in civitatem nomine Nain, & diſcipuli ejus cum eo, cœtusq; multus.

Vnnd es begab ſich darnach/ das er in eine ſtatt/ mit Namen Nain gieng/ vnnd ſeiner Jünger giengen viel mit jhm/ vnnd viel Volcks.

12. Ὡς δὲ ἤγγισε τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς, υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ, καὶ αὕτη ἦν χήρα· καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ.

Quum autem appropinquavit portæ civitatis, vidit comitantes mortuum, qui unicus fuerat matri ſuæ, ipſaq; mater erat vidua; & turba multa filiorum civitatis (*civium*) erat cum ea.

Als er aber nahe an das StattThor kam/ ſihe/ da trug man einen Todten herauß/ der ein einiger ſohn war ſeiner Mutter/ vñ ſie war eine Witwe/ vnd viel volcks auß der ſtatt gieng mit jhr.

13. καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ κύριος, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ, μὴ κλαῖε.

Vidit autem Jeſchua & miſertus eſt ejus dixitq; ei: Ne fleas.

Vnd da ſie der HErr ſahe/ jammerte jhn derſelbigen/ vnd ſprach zu jhr: Weine nicht.

καὶ

14. καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ, οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν. καὶ εἶπε, νεανίσκε σοὶ λέγω, ἐγέρθητι.

Et profectus tetigit loculum, ij autem qui bajulabāt eum, subſtitêre, & ait; Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

Vnd trat hinzu/ vnnd rühret den Sarck an / vnd die Träger ſtunden. Vnnd er ſprach: Jüngling/ Jch ſage dir/ſtehe auff.

15. καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν. καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

Et reſedit defunctus ille, cœpitque loqui, & dedit eum Matri ſuæ.

Vnnd der Todte richtet ſich auff/ vñ fieng an zu reden. Vnd er gab jhn ſeiner Mutter.

16. ἔλαβε δὲ φόβος πάντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν, λέγοντες, ὅτι προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

Et invaſit omnes tremor, & glorificabant Deum, ac dicebant : Sanè Propheta maximus ſurrexit inter nos, & invaſit Deus populum ſuum.

Vnd es kam ſie alle eine forcht an/ vñ preiſeten Gott/ vnd ſprachẽ: Es iſt ein groſſer Prophet vnter vns auffgeſtanden / vnd Gott hat ſein volck heimgeſucht.

17. καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

Exiit de eo ſermo iſte in univerſam Jihoudæam, & in univerſam regionem circumjacentem.

Vnd dieſe Rede von jhm / erſchalt in das gantze Jüdiſche Land/vnd in alle vmbligende Länder.

Homilia.

Miſeria hominum.



Erum humanarum perpetua eſt viciſſitudo, adeò, ut nihil firmum ſit, nihil in eodem ſtatu permaneat. Valuiſti ad tempus? mox lectum petes, morbisq; variis excruciaberis. Vixiſti

xisti per annos aliquot? Dispone domui tuæ cum Ezechia, Morieris, & non vives, *Esa.38.v.1.* Quid anni nostri aliud sunt, quàm fabula? *Psal.90.v.10.* O quàm pravi & parvi sunt dies peregrinationis nostræ? *Genes. 47. v. 9.* Pravi sunt, ob vices varias; parvi, ob vitæ brevitatem, & mortis appropinquantis velocitatem.

Sanè, si diligenter hominis conditionem attendas, tres status invenies, se invicem subsequentes & excipientes. *Primus* est status sanitatis, ubi cibo & potu indigemus. *Secundus* est status ægritudinis, ubi medicinâ opus habemus. *Tertius* est status mortis, ubi in terram revertimur, è qua sumti sumus. In *primo* statu homines plerunque fiunt nimiùm soliciti: In *secundo* nimiùm mœsti: in *tertio* non pauci desperant, & cum gemitu fremituque hinc decedunt. Solicitudini verò opponenda est providentia Dei: mœstitiæ, auxilium Christi: denique desperationi spes futuræ vitæ, & resurrectionis beatæ. *Tres status hominum.*

De providentia Dei audivimus ante *octiduum*: de Christi auxilio in morbis, ante *dies quatuordecim*: de spe resurrectionis nos informat *præsens Evangelium.* Nam geminum nobis speculum in uno adolescente proponitur, *tum* mortis, *tum* vitæ. Mortuus erat, quum mater minimè putâsset: Sed in vitam revocatur à Christo, quum minimè sperâsset. Quod autem adolescenti isti contingit, nobis omnibus usuvenire potest. Semper defuncti efferuntur, & mors quotidiè nos insequitur. Pauci verò sunt, qui hoc perpendant, ideoque malè hinc exeunt, quia sibi exeundum esse rarò cogitârunt. Ut igitur ad mortem maturè *Summa Evangelii.*

nos

nos præparemus, propterea sapiens antiquitas præsens Evangelium quotannis explicari voluit.

Partes. Tres ejus sunt partes:

Prima describit Adventum Christi in Nain, *vers.* 11.

Secunda ipsum miraculum, *v.* 12. 13. 14. 15.

Tertia subsequentem effectum, *v.* 16. 17.

Propositio. Nos aliquid *de recta moriendi arte* dicemus in genere, propposituri quasdam *Regulas*, ad beatam dissolutionem facientes.

Dux vitæ largiatur gratiam, ut omnia cedant in ædificationem nostram, *Amen.*

Ἐ'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

PLatonici Philosophiam dixerunt esse *Meditationem mortis*, *tum* quia per rerum contemplationem animus solvatur quasi à corpore, *tum* quia per virtutis studium abstrahatur à terrenis, & mortalitatis crebrò memor sit. Verùm rectiùs hoc de Theologia & Christianismo affirmari potest. Ibi discimus *tum* originem mortis, *tum* remedia adversus mortem, *tum* rectam præparationem ad mortem, ut meritò Christianismus noster *meditatio mortis* nuncupari debeat.

Christianismus est meditatio mortis.

Quatuor Regulæ ad beatum obitum pertinentes. Idem sensus est præsentis Evangelii, in quo aliquot continentur requisita, ad beatam mortis παρασκευὴν necessaria & perquàm fructuosa. Ista quibusdam Regulis includemus, quarum ductū si sequamur, non tantùm piè vivemus, sed suo etiam tempore benè moriemur.

1. Christū sequere. *Prima* est Christum sequere. Sanârat ille Centurionis famulum in Capernaum, *Luc.* 7. *v.* 1. *seq.* sed altero die proficiscebatur in oppidū Nain,

quod

quod duobus millibus passuum à monte Thabor situm fuisse Hieronymus refert. In isto itinere magnum Christus comitatum habuit. Sequebantur enim eum 1. Apostoli, 2. discipuli, 3. turba copiosa, ut dicitur in principio Evangelii. Exemplũ hoc nos imitari convenit, si tranquillè mori voluerimus. Nisi enim quis Christũ sequatur, in pace nunquã expirabit. Duo duces sunt hominum, 1. *Christus*, qui ducit in cœlum, & 2. *Diabolus*, qui abducit in infernũ. Vis ergò ut anima tua portetur in sinũ Abrahæ, Christũ priùs cũ discipulis sequere. Qui verò non sequitur, Christo non est dignus, & perdit animam suam, *Matth.10.v.37.*

Sequamur verò Christum 1. *Constanter credendo*, Fides enim est apprehensio, *Ioh.4.v.12.* adeoque per fidem copulamur cum Christo. Si ergò doctrinæ illius assentiamur, si meritum apprehendamus, tum Christum sequimur, & piè moriemur. Fides est victoria nostra, *1.Ioh.5.v.4.* quâ mortem omnesq; hostes nostros prosternimus. Fide igitur qui instructus est, lubenter abit è mundo, & dicit cum Simeone ex Lucæ 2. vers. 29. *Domine, nunc dimittis servum tuum*, cum Paulo ex Phil. 1. v. 22. *Cupio dissolvi & esse cum Christo*: cum Eliâ ex 1. Reg. 19. v. 4 *Sufficit Domine, tolle animam meam.* *Constãter credendo.*

2. *Piè vivendo.* Qui vitiis indulget, & mundo adhæret, Christi comes esse nequit. Ipse sanctus est. Ergò & nos sanctos esse convenit, *Levit. 19.v.2.* Discite à me, inquit ipse *Matth. 11. v. 29.* & invenietis requiem animabus vestris. Arcâ præcedente universus populus sequebatur, *Iosu. 3. v.11.* Sic Christo, arcâ fœderis, præeunte bonis exẽplis, cur non sequamur? Omnis Christi actio sit nostra *Piè vivẽdo.*

instructio,

instructio, ut quod ipsum vidimus facere, similiter faciamus, quemadmodum Gedeon suis militibus injungit, *Iud. 7. vers. 17.* Fuit autem ipse obediens Patri, *Phil. 2. v. 8.* mitis & humilis in conversatione, *Matth. 11. v. 29.* patiens in cruce, *Esa. 53. v. 7.* uno verbo, typus bonorum operum. In his quantum fieri potest ipsi conformemur: & tum veniente mortis horâ, similiter obdormiemus placidè, dicentes ex Luc. 23. v. 46. *Consummatum est, Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Diligenter laborando

3. *Diligenter laborando.* Quivis sit in officio suo fidelis, si Christum sequi voluerit. Erat ipse filius Altissimi, *Matth. 16. v. 17.* sed quia missus erat ad docendum homines, *Iohan. 3. v. 2.* idcircò non erubuit perambulare terras, & hinc inde prædicare Evangelium. Prolixo sermone erudiit Apostolos in monte, pòst docuit in Capernaum: Jam pergit, & Nainitis viam veritatis annunciare cogitat. Si Christus tam fuit industrius in officio, annon sequi nos oportet? Omnes sumus à Deo missi ad certa vocationis munia obeunda. Væ illis, qui exequi nolunt! Stat sententia Jer. 48. v. 10. *Maledictus, qui opus Domini facit negligenter.* Hæc verba erunt fulmina in moribunda conscientia; si negligens fuerit in officio.

Cœlestia respiciendo.

4. *Cœlestia respiciendo.* Christus licet in terris versatus fuerit, semper tamen cœlestia cogitavit. Ipse venit è cœlo, locutus est de cœlo, & ascendit in cœlum. Sequamur ergò, quærentes ante omnia regnum Dei, *Matth. 6. vers. 33.* & ea quæ sunt sursum, *Col. 3. v. 1.* In Nain hodie Christus proficiscitur, urbem amœnissimam, quæ à

נעם pulcritudine nomen habet, quasi Schön-ſtatt. Cœlum eſt talis pulcerrima Nain: ibi eſt noſtrum πολίτευμα, *Phil.3.v.20.* ibi ſunt amœnitates multæ, *Pſal 16. v.11.* Eò igitur tendamus, eò cum Chriſto proficiſcamur. Multi ſunt, qui voluptates mundi quærunt: ſed vanitas eſt. Nulla hîc vera Nain datur, ſed nihil aliud, quàm labor & dolor habetur, *Pſalm. 90. v.10.* In cœlo patria & plena jucunditas eſt: quò ſemper aſpiremus, ut aliquando cum Chriſto aſcendamus.

5. *Lubenter moriendo.* Viatoris eſt ducem ſuum ſequi, & juſſa ejus capeſſere. Dux noſter Chriſtus eſt, nos viatores ſumus. Ipſum ergò ſequamur, quando nos aliò vocat, & ex vita hac migrare imperat. Gloriabatur Centurio, quòd ſi militi dicat, vade, mox vadat, & alii, veni, mox veniat, *Matth. 8. v. 9.* Homo homini ſi adeò obtemperat, quantò magis Chriſto obedire nos oportet? Summus ipſe Imperator eſt, qui nos velut exercitum ſuum in hac terræ plaga ſuſtentat, & quemvis in certâ ſtatione locat. Quando ad tempus pugnatũ eſt, mox huic, mox alii dicit: *Vade, diſpone domui, colligeris ad Patres tuos.* Hîc noſtrum eſt, non querulari, ſed ſequi & promto animo hinc excedere. Non enim fortè fortunâ morimur, ſed ad juſſum ducis noſtri. Is ſolus vitam dedit, & ſolus iterum aufert, *Sapient. 16. v. 13.* In ejus manibus ſunt ſortes noſtræ, *Pſalm. 31. v 16.* Ipſum igitur ſequamur promti, non pœnitebit, ſed ex miſeriâ ducet in gloriam, ex valle lacrymarum in veram Nain, & æternæ beatitudinis palatium.

Lubenter moriendo.

Secunda Regula: Mortem crebrò intuêre. Quum Chriſtus appropinquaret urbi, non-

2. Mortem crebrò intuere.

dum eam ingressus, excipitur sub ipsa porta à funere adolescentis. Nam ecce! *defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* Habemus ergò hic imaginem mortis, cujus sæpè recordari debemus. Quis putâsset in urbe tàm amœnâ mortem inveniri? Matris spes omnis posita erat in filio, sed *Ecce!* nunc mortuus effertur ante ipsam. Ita quotidiè ante oculos nostros efferuntur defuncti, & nos suo tempore sequemur. Pactum stat & stabit. *Exeundum est, moriendum est.* Veniet dies, quo cum Aarone vestes deponere & mori jubebimur, *Num. 20. v. 25.* Pulvis es, quisquis es, ideoque in terram, unde sumtus, revertêris, *Gen. 3. v. 19.* Omnibus positum est semel mori, *Heb 9. 27.* scripti & numerati sunt omnes dies nostri, *Psal. 139. v. 16.* & terminus jam ab æterno constitutus est. Abrumpitur vita, velut à texente, *Esa. 38. v. 12.* Ut gallinula citò capitur, sic homo à morte sæpius ex improviso rapitur. Omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in terram, *2. Samuel. 14. v. 14.* Flos sumus, qui facilè marcescit, *Psalm. 90. v. 6.* fœnum sumus, quod subitò arescit, *Esa. 40. v. 8.* Bulla sumus, quæ perit, quando intumuit. Vita nostra non tàm vita, quàm nebula, quàm fumus & umbra est. Figuli officinam quando ingrederis, vasa multa frangi, alia formari videbis. Totum hoc mundi theatrum, quid aliud ac talis officina est? Nos vasa sumus, Deus est figulus, rota est rerum cõmutatio. Si quidam nascuntur, mox decedunt alii: videre hîc datur perpetuas fractiones, collisiones, concussiones. Has crebrò meditari, has menti debemus infigere. Nemo hîc exceptionem fingat: Mors omnes expectat. Vivis loco

Omnes morti sumus obnoxii.

cō amœno & ſalubri? Nîl refert. Nam urbs erat amœniſſima, mors tamen penetravit. Quid pulcrius fuit Paradiſo? Et tamen ibi mors primum nata eſt, *Gen.3.v.19*. Degis in loco munito? Mors aſcendet per feneſtras, & ingredietur domum tuam *Ier.9.v.21*. Solaris de juvenili ætate; Verùm non eſt in morte numerus vitæ, *Syr.41.v.7*. parvus & magnus moriuntur, *Iob.3.v.19*. Ecce adoleſcens effertur mortuus ex Nain: imò ne quidem infantibus mors parcit, exemplo filioli Davidis, *2. Samuel.12.v.18*. Num in opibus & dignitate ſpem ponis? O ſpes vaniſſima! ſimul inſipiens & ſtultus peribunt, *Pſal. 94. v.11.* Ipſi Dii moriuntur ſicut homines, *Pſal.82.v.6*. Nemo igitur præſumat annos plurimos, ſed memor ſit ſententiæ illius, diviti œconomo datæ, Luc. 12. v. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parâſti, cujus erunt?* Rectè Ambroſius; *Vitæ hujus exordium mortis principium eſt, & non priùs incipit augeri ætas, quàm minui: cui quicquid accedit ſpatii temporalis, non accedit ad hoc ut maneat, ſed ad hoc, ut tranſeat.*

Hæc mortis meditatio ſumma eſt ſapientia, cum maximo fructu conjuncta. 1. *Nihil ſic revocat homines à peccatis, quàm imminentis mortis cogitatio*, Auguſtin. lib. 2. de Gen. contra Man. cap. 28. Memorare noviſſima & in æternum non peccabis, *Syr.7.v.40.* Seipſum enim ardentius corripit, qui de morte frequentius cogitat.

Vſus ex crebra meditatione mortis redundantes.

2. Inducit contemtum rerum mundanarum, ut Eſavi exemplum oſtendit, qui ſe moriturum cogitans, *Ecce*, inquit, *ego vado ut moriar, & quid mihi proderunt primogenita?* Geneſ. 25.

v.32. Rectè Hieronymus ad Paulinum: *Facilè cõtemnet omnia, qui se citò credit moriturum.*

3. Est superbiæ remedium, *Syr 10. v.13.* & avaritiæ ἀντιφάρμακον, 1. *Tim 6 v 7 Baruch 3. v. 18. 19.* deprimitur luxuria, si cogitemus putredinem nobis fore patrem, *Iob 17. v. 14.* & frangitur invidia, siquidem omnium idem est exitus, *Iob. 14. v. 21.* Sic igitur mortis meditatio facit peccata fugere, mundum contemnere, seipsum despicere, vitam præsentem rectè regere, lætitiam mundi temperare, & ad placidam dissolutionem se præparare.

Defunctos comitare.

Tertia: Defunctos comitare. Quum enim filius Nainiticæ viduæ efferretur, multa civitatis turba erat cum ea. Laudabile hoc factum est, & Christiano inprimis dignum. Rectè curanda sunt funera, ut passim monemur in Scriptura. Syracides ferè omnia conjungit, quæ ad curam istam pertinent, *cap 38. v 16.* & possunt præcepta exequialia in duas classes dividi. Quædam enim *consanguineos*, quædam *alios* spectant.

Officium consanguineorum.

Consanguinei 1. *Mortuum deplorent,* exemplo Josephi, *Gen 50. v. 3.* civium in Jabes Galaad, 1. *Reg. 31 v ult* Israëlitarum, *Num. 20 v. 30. Deut. 34. v. 8.* Christi & Mariæ, *Ioh 11 v. 31.* Finis est, non ut juvetur proximus, sed ut testemur nostrum amorem, & defleamus humanam fragilitatem, unà cum peccatis, ex quibus illa oritur. Sit autem luctus temperatus, *Levit. 19. v. 28. Deut. 14. vers. 1.* ne simus instar gentium, 1. *Thess. 4 v 13.* quæ spem resurrectionis non habuerunt.

2. *Corpus contegant*, ne cadavera projiciantur nuda. Sic involutus fuit Lazarus, *Iohan. 11. v 44.*

v. 44. & Chriſtus, *Matth 27. v. 60.* Uuguenta inſuper adhibuerunt; inprimis Orientales, ut eò magis honorarent ſuos, & teſtarentur ſpem reſurrectionis.

3. *Sepulturam curent.* Semper enim in populo Dei fuit uſitatum, ut corpora terræ, omnium matri mandarentur, adeoq; ſatisfieret ſententiæ Dei, *Gen. 3 v. 19.* Graviter hîc hallucinati ſunt Ethnici. *Schytæ* defunctos ſuos devorârunt, *Hircani* canibus objecerunt, *Parthi* carnes volucribus expoſuerunt, oſſa ſepelierunt: *Lotophagi* in mare ſuos projecerunt: *Græci & Romani* rogis ardentibus impoſuerunt, & cineres mundis vaſculis incluſos aſſervârunt. Sed valeat iſta barbaries Ethnica: ex verbo Dei ſcimus, ſepelienda eſſe corpora defunctorum. Ita fecit vidua Nainitica, & ante illam Abrahamus, *Geneſ. 23. verſ. 4.* Jacobus, *Geneſ. 35. v. 19.* Joſephus, *Geneſ. 50 v. 1.* Fit hoc *partim* ut honor tribuatur corporibus piorum, quæ fuerunt membra Eccleſiæ, *Eph. 5. v. 30.* & templa Spiritus S. 1. *Cor. 6. v. 19. partim* ut indicemus fidem noſtram, illa ipſa corpora ex pulvere terræ olim reſurrectura eſſe.

Quod *alios* concernit, eorum officium patet ex veterum ceremoniis. *Officium aliorum.*

1. *Convenerunt in domo defuncti*, quod procul dubio & hîc factum eſt, leguntur que exempla ſimilia, *Matth. 9. v. 23. Actor. 9. v. 30.* Hinc monet Salomon, Eccleſ. 7. v. 3 *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.*

2. *Convenerunt in habitu lugentium*, quod ex *Exech. 24 v. 17.* colligi poteſt.

3. *Planctum inſtituerunt* ad teſtandam συμ-

πάθειαν, *Gen.50.v.10. Ier.6.v.26. Act.9. v.1.* quod tamen non tàm de ululatu, quàm sermone funebri intelligendum est.

4. *Defunctorum propinquos comitati sunt,* sicut hîc multa turba exit cum vidua Nainitica. Simile narratur, *Gen.50.v.7. 2.Sam.3.v.31. Ioh.11.v.19.* 33; Hæc exempla imitari debemus, (1) *ob* mandatum Dei, *Rom.12.v.15.* (2) *ob* Charitatem Christianam, quæ hoc postulat. (3) *ob* honorem sanctis tribuendum. (4) *Ob* mortis considerationem. (5) *Ob* similem præparationem. (6) *ad* resurrectionis spem alendam & confirmandam, quam in nostris Ecclesiis expreſsè profitemur cantione illâ clausulari, ex Zach. 14. v. 1. 6. desumta: *Ecce Dominus veniet, & omnes sancti ejus cum eo, & erit in die illa lux magna.*

4. Christi bonitatem perpende.

Quarta: Christi bonitatém perpende. Mors amara est, *Syr. 1. v. 1.* & omnium malorum terribilissimum. In promtu igitur habeamus solatium, quod huic malo opponamus. Nullum verò efficacius dari potest, quàm Christi recordatio. Multifariam ille testatus est in hodierno Evangelio suam bonitatem, unde viva oriri potest consolatio.

Consideretur Christi Adventus.

Consideremus 1. *Christi Adventum*, ipse procedit morti obviam, & advenit non vocatus. Quid faciet, si devotè ipsum invocaveris? Mortem approperantem vides? Timere noli, Christus veniet qui est vita, *Ioh.11.v.25.* & faciet, ut per mortem transeas in vitam.

Cor misericors.

2. *Christi cor misericors.* Nam quum vidisset viduam flentem misericordiâ motus est. Ne putes, Christum ignorare dolores & agones tuos:

Videt

Videt invisibilis, nec videt tantùm, sed miseretur. Ah quàm mansuetus est Dominus, *Matth.* 11. 29. facilè commoventur ejus viscera, *Matth. cap.* 15. *vers.* 32. ut miserando misereatur, *Ierem. cap.* 31. *vers.* 30.

3. *Christi vocem amicißimam.* Dixit enim viduæ, *Noli flere*, Cur inani gemitu te maceras? Ecce opitulator adsum. Non te dimittam absque auxilio: tene modum: satis ploratum est, confide mihi, ego reficiam. Semper ergò in auribus nostris personet hæc vox Christi, *Noli flere.* Repetit eam *ante mortem*, liberando è malis, *in morte*, suggerendo solatium, *post mortem*, abstergendo lacrymas, & transferendo in Paradisum Cur igitur mors nobis amara esset? cur flemus in obitu? Ecce Christus adstat lectulo, & repetit istud: *Noli flere*, jam tempus venit beatæ migrationis. *Noli flere*, Jam malorum finis erit. *Noli flere*, jam anima tua portabitur in sinum Abrahæ, & fruetur æterno gaudio. Quis non sequatur Dominum, tàm suaviter nos alloquentem? *Vox amicißima.*

4. *Christi contactum.* Accessit enim & tetigit loculum. Efficax fuit hic attactus, quo ostensum, carnem ejus vivificam esse. Tanget eâdem vi nostros loculos in die ultimo, aperiet illos, ut prodeamus vivi. Cur igitur hinc exire timemus? cur sepulcrum formidamus? Accedet Christus suo tempore, tanget terram, in qua dormimus, ut nos iterum reddat & dimittat. *Contactus.*

Denique 5. *Christi vocem resuscitantem.* Ait enim, *Adolescens, tibi dico, surge.* O fortem Imperativum, quo mors devicta est, & mortuus iterum loqui cœpit! Quanta est potentia nostri Redemtoris? *Et vox resuscitans.*

demtoris? Deducit ad inferos, & reducit, *1. Sam. 2. v. 6.* Uno verbulo pellit mortem, & defunctum revocat in vitam. Eadem spes nos sustentet. Licet hîc efferamur mortui, tamen iterum resuscitabimur. E cœlo vox omnipotens veniet: *Surgite mortui*, cujus vi coibunt ossa nostra, & circumdabimur pelle, ut visuri simus Deum oculis nostris, & lætaturi in æternum.

Hæ fuerunt istæ 4. Regulæ, quibus ad beatum ex hac vitâ discessum præparamur. CHRISTUS in secula vivens, imò qui ipsa est vita, & dux vitæ, det nobis ex gratia, ut ipsum sequamur promti, & mortem meditemur devoti, quò ejus bonitati confidentes, mortem vincamus, & ex morte transeamus in vitam, ex terra miseriæ veniamus in cœlestem Nain, ubi vita erit sine morte, sanitas sine morbo, jubilum sine luctu, ubi erit mera jucunda felicitas, felix æternitas; Ipsi cum Patre & Spiritu sancto sit laus, & sempiterna benedictio. Amen.

EVANGELIUM
DOMINICA XVII. POST TRINITATIS,

Luc. 14. à vers. 1. usque ad 12.

De hydropico die Sabbati curato.

v. 1. ΚΑὶ ἐγένετο, ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινος	ET factum est, quũ ingressus fuisset domum u-	VNnd es begab sich/daſs er kam in ein Hauſs eines

τῶν

τῶν ἀρχόντων τῶν Φαρισαίων Σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον, καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν.

nius ex primoribus Perischæis, ut ederet panem die Sabbati,& ipsi observabunt eum.

Obersten der Phariseer auff einen Sabbat das Brod zu essen / Vnnd sie hielten auff jhn.

2. καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς ἔμπροσθεν αὐτοῦ.

Et ecce homo quidam, qui congregaverat aquas (*Hydropicus*) erat coram eo.

Vnd sihe/da war ein Mensch für jm/ der war Wassersüchtig.

3. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ Φαρισαίους, λέγων, εἰ ἔξεστι τῷ Σαββάτῳ θεραπεύειν;

Et respondit Jeschua, & dixit Scribis & Perischæis, Licétne Sabbato sanare?

Vnd Jesus antwortet/vnd sagt zu dē Schrifftgelehrten vñ Phariseern/ vnnd sprach: Ists auch recht/auf den Sabbat heilen?

4. οἱ δὲ ἡσύχασαν· καὶ ἐπιλαβόμενος ἰάσατο αὐτὸν καὶ ἀπέλυσε.

Illi verò tacuerunt. Et prehendit eum ipse, ac sanavit eum, dimisitque,

Sie aber schwigen stille. Vnnd er griff jhn an / vnnd heilet jhn/vnd ließ jhn gehen.

5. καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε, τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται.

Et subdit eis, Quis est ex vobis, si ceciderit filius ejus aut bos ejus in puteum die Sabbati.

Vnd antwortet/ vnd sprach zu jnen: Welcher ist vnter euch/dē sein Ochse oder Esel in den Brunnen fellet.

6. καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Σαββάτου; καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα.

Qui non statim hauriens educat eum? Et non poterant ei dare respõsum super hac re.

Vnd er nit alsbald jn herauß ziehet am Sabbattage? Vñ sie kundten jm darauff nit wider antwort geben.

7. ἔλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν, ἐπέχων πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς.

Dicebat autem Parabolam iis, qui fuerant illic invitati, eo quod conspiceret eos eligere loca primorum accubituum.

Er saget aber ein Gleichniß zu den Gästen/ da er mercket/ wie sie erwehleten oben an zu sitzen/ vnd sprach zu jhnen:

8. ὅταν κληθῇς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, μήποτε ἐντιμότερός σου ᾖ κεκλημένος ὑπ᾽ αὐτοῦ.

Quùm invitatus fueris ab aliquo ad domũ convivij, (*ad nuptias*) ne abieris accubitum primo cõsessu, ne fortè illic sit invitatus aliquis te honoratior.

Wenn du von jemand geladẽ wirst zur Hochzeit/ so setze dich nit oben an/ das nicht etwa ein Ehrlicher denn du von jm geladẽ sey.

9. καὶ ἐλθὼν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας ἐρεῖ σοι, δὸς τούτῳ τόπον, καὶ τότε ἄρξῃ μετ᾽ αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν.

Veniátq; is qui te & eum vocavit, ac dicat tibi, da huic locum: & pudore suffunderis, quùm assurrexeris & obtinueris aliũ locum.

Vnd so deñ kommet/ der dich vnnd jhn geladen hat/ spreche zu dir: weiche diesem/ vnd du müssest denn mit scham vntẽ ansitzẽ.

10. ἀλλ᾽ ὅταν κληθῇς, πορευθεὶς ἀνάπεσε εἰς τὸν ἔσχατον τόπον, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκώς σε, εἴπῃ σοι, φίλε, προσανάβηθι ἀνώτερον· τότε ἔσαι σοι δόξα ἐνώπιον τῶν συνανακειμένων σοι.

Sed quùm invitatus fueris, vade discubitum in ultimum locum, & quũ venerit is qui te vocavit, dicat tibi, Amice mi, ascẽde superius, & erit tibi gloria coram omnibus qui tecũ discumbunt.

Sondern wenn du geladẽ wirst/ so gehe hin/ vnd setze dich vnten an/ auff das/ wenn da kommet/ der dich geladen hat/ spreche zu dir: Freund/ rucke hinauff/ deñ wirst du Ehre haben/ für denen/ die mit dir zu Tische sitzen.

11. ὅτι



11. ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

Quoniam omnis qui extollit sese, deprimetur, & qui sese depresserit, extolletur.

Denn wer sich selbst erhöhet / der soll erniedriget werden / Vnd wer sich selbst erniedriget/der soll erhöhet werden.

Homilia.



Magna ingratitudo mundi.

INter cætera humani generis peccata non postremum est *ingratitudo.* Quò enim Deo magis devincti sunt homines, eò magis fiũt ingrati. Exépla passim suppeditat historia Evangelica. Ex unâ parte audimus de bonitate Christi, ex altera de ingratitudine mundi. Christus suam testatus est benevolentiam *tum* prædicando, *tum* adjuvando: sed ô quàm multi fuerunt empectæ invidi, & irrisores malevoli! Verissimum est illud Bernhardi: *Christus habuit observatores in dictis, calũniatores in factis, & persecutores in paßionibus.*

Exempla sunt Pharisæi.

Inter hos inprimis excelluerunt *Pharisæi*, hostes Christi ἄσπονδοι. Nihil tam rectè dictum fuit ab ipso, quod non carpserint; nihil tam benè factum, quod non irriserint. Animum hunc suum lividum satis declarant in hodierno Evangelio. Tria facit Salvator, veri amoris plenissima. *Accedit* ipsos, ut amicus: *Curat* hydropicum, ut Medicus: *Docet* invitatos, ut Doctor cœlestis, cui Dominus dedit linguam eruditam, *Esai. 50. v. 4.* sed quùm accessisset ut amicus, Pharisæi observant eum, ut inimici. Quùm sanâsset hydropicum, violati ipsum Sabbati tacitè accusant. Quùm traderet Regulas convivales, multi procul dubio

falsè riserunt, quòd de rebus leviculis sermonem faceret. Ita nusquam tuta fides & optimè dicta pessimè accipiuntur.

Hæc summa est hodierni Evangelij, cujus tres imprimis partes sunt.

Partes Evangelij. *Primâ* describitur convivium Pharisaicum, *vers.* 1.

Secundâ Christi miraculum, *vers* 2. 3. 4. cum Sermone Apologetico, *v.* 5. 6.

Tertiâ monitum convivale, *à vers.* 7. *usque ad finem.*

Nos priores duas percurremus, & præcipuas tantùm doctrinas paucis annotabimus.

Christus Iesus, cœlestis Doctor, intret mentes nostras, curet infirmos, & doceat indoctos, propter meritum suum sanctisimum, Amen.

PARS I.
De Convivio Pharisaico.

ABsolon, quùm struere vellet insidias Ammoni fratri, nullum convenientius medium esse putavit, quàm convivium. Hoc igitur instruxit, & ad istud Ammonem invitavit: sed sub specie amoris merum odij & invidiæ venenum subdolè occultavit, 2. *Sam.* 13. Eandem fabulam egeruntPharisæi, qui convenientes in domo sui principis, Christum accersunt, non ex amore vero, sed fucato; non ut benefacerent, sed ut singula observarent, & tendiculas necterent. Circa istud verò Convivium Pharisaicum tria notatu digna occurrunt.

Circa convivium Pharisaicum notari debet

I. Epuli præparatio. I. Epuli præparatio. Convenerunt enim Pharisæi, & cum iis Christus ad manducandum

panem

panem, quo nomine juxta vulgatum Hebraismū, cibus & potus in genere intelligitur, uti quoque vox ista sumitur, *2. Reg. 6. v. 34. Exod. 18. vers. 12.* Unde discimus, honesta convivia diebus feriatis non esse prorsus improbanda. Antiquus hic mos fuit Judæorum, ut postquàm sacra sua peregissent, amici convenirent ad convivium, quod patet ex *Nehem. 8. v. 10. Tob. 1. vers 2.* Invitandi verò sunt, non tantùm divites & cognati, quemadmodum filij Jobi inter se convivia agitabant *Iob. 1. v. 4.* sed etiam egeni, *Luc. 14 v. 13.* & peregrini, exemplo Abrahæ, *Gen. 21. v. 8.* & juxta monitum Apostoli, *Hebr. 13. v. 2.* Finis & usus conviviorum est 1. Honesta recreatio. 2. Amicitiæ plantatio. 3. Nonnunquam aliorum conversio, sicuti Christus divertit ad Matthæum, *Matth. 9. vers. 10.* & Zachæum, *Luc. 19. v. 17.* ut Publicanos & Peccatores converteret; Abusus est, si cōvivia instituantur (1.) animo heluandi, ut factum in tonsura Nabalis, *1. Samuel. 24. v. 28.* & epulo Belsazaris, *Dan. 5. v. 2. &c.* (2.) Animo observandi, & convivarum dicta calumniandi, quo fine hîc convenerunt Pharisæi. (3.) Animo insidiandi & occidendi, ut fecit Absalon, *2. Samuel. 13. v. 28.* Talia convivia Deus abominatur, boni execrantur, & ipsi rerum naturæ adversantur, siquidem convivium à vita nomen habet, non à morte. *Qualia debeant esse convivia.*

II. Christi accessio. Erant Pharisæi progenies viperarum, *Matth. 3. v. 7.* generatio prava, *Matth. 12 v. 39.* Cæci, *Matth. 23. v. 16.* & hypocritæ, *Luc. 13. v. 14.* Erat Christus omniscius, & benè noverat, se insidiosè ab illis invitari ad convivium. Nihilominùs accedit, & quidem princi- *2. Christi accessio.*

pis

pis domum ingreditur, qui inter reliquos versipelles observatores facilè primas obtinuit. Hoc pacto geminum nobis exemplum reliquit:

Commendatur humanitas erga inimicos.

1. *Humanitatis erga inimicos.* Nec enim intravit, ut repleret ventrem, sed ut informaret rudes, & converteret etiam hostes suos. *Ecce!* quàm misericors est Dominus, qui viam salutis monstrat inimicis. Hic est ille Pastor bonus, qui quærit oves perditas, *Ioh.* 10. *v.* 11. Hic est ille filius hominis, qui venit salvare, quod perierat, *Luc.* 19. *vers.* 10. Hic est ille Medicus, qui propter ægros & malè habentes de cœlo descendit, *Matth.* 9. *v.* 12. Nos imitatores simus, & inimicis pariter benefaciamus. Multi putant cum Pharisæis, satisfieri præcepto de dilectione proximi, si diligantur amici. Sed aliter declarat Christus, *Matth.* 5. *v.* 43. *seqq.* Uti Deus solem oriri facit super malos & bonos, *v.* 45. Sic nos, qui ad Dei sumus imaginem conditi, inimicis & amicis benefacere debemus. Hinc & Salomon de pascendo inimico esuriente præcipit, *Proverb.* 25. *v.* 21. & Moses de bove inimici sublevando scribit, *Exod.* 23. *v.* 4. 5. *Levit.* 19. *v.* 18 Non autem diligamus verbo & linguâ tantùm, sed opere & veritate, 1. *Ioh.* 3. *v.* 18. quæ dilectio consistit 1. in benevolo cordis affectu. 2. In amica salutatione. 3. In mutua precatione. 4. In injuriarum oblivione. 5. In reali beneficiorum exhibitione; de quibus alibi solet disseri prolixiùs.

Et conversatio cum hæreticis.

2. *Conversationis cum hæreticis.* Si enim Christus cum Pharisæis cibum capere non est veritus, cur non liceat cum hæreticis conversari? Sic Abraham tempore famis commoratus est apud Ægyptios, *Gen.* 12. Isaac cum Philistæis familiariter

vixit,

vixit, *Gen. 26.* & Salomon cum Rege Hiram amicitiam coluit, *1. Reg. 5.* Cum omnibus enim pacem debemus habere, *Rom. 12. v. 18.* imò ſectari, *Hebr. 12. v. 14.* Neq; hoc contrariatur Apoſtolo, qui talem converſationem videtur improbare, *1. Cor. 5. v. 12. 1. Theſſ. 3. v. 14. 2. Ioh. v. 10.* Nam Chriſtianus in hoc mundo quaſi duplicem vitam agit. *1. Eccleſiaſticam*, & ſpiritualem, quoad fidem & Sacramenta. *2. Politicam*, & externam, quoad cohabitationem & contractus civiles. Reſpectu *prioris* ſegregare nos ab hæreticis debemus, ne ipſorum ἀποστασίαν approbemus: reſpectu *poſterioris*, nos ſegregare ſemper non poſſumus, niſi è mundo exire velimus. Præterea loquuntur Apoſtoli citatis dictis non de quovis hæretico, aut ſeducto, ſed partim de excommunicato, & extremè malitioſo, ut *1. Cor. 5. verſ. 12.* partim de ſeductore aperto & blaſphemo, ut *2. Theſſ. 3. v. 14. & 2. Ioh. v. 10.* Cum talibus converſari facilè non licet ob periculum, ideoq; hîc cautè eſt agendum, & ſequentes Regulæ, converſationem externam moderantes, probè ſunt obſervandæ.

1. *Ne amicitiam hæreticorum ultrò appetamus*, ſed cum ijs tantùm converſemur vel urgente neceſſitate, vel invitati, uti Chriſtus non niſi vocatus acceſſit. *Cujus modus declaratur.*

2. *Ne nimis frequenter*, ſed rariùs cum illis colloquamur.

3. *Ne muti ſimus*, vel ad errata ipſorum conniveamus, ſed diſſenſum noſtrum publicè profiteamur.

4. *Ne in errore illos relinquamus*, ſed partim

duriter

duriter, partim leniter tractemus, & omnia conversionis media adhibeamus.

5. Tandem *ut* si contumaces fuerint, *discedamus*, eósq; devitemus, juxta *Tit. 3. v. 10.* in quibus omnibus suo Christus exemplo nobis præluxit.

3. Pharisæorũ observatio.

III. Pharisæorum observatio. Invitârunt hi Christum subdolè, non ut honorarent, sed ut observarent, numquid inter convivandum dicturus esset liberius, quod postmodum exagitarent, & calumniando perverterent. Hic nimiùm perversus mundi mos est, ut mali bonis insidientur, & Christo Christíque discipulis ponant retia. Artem hanc didicerunt à Satana, cujus duo sunt arma præcipua: 1. *Vis* seu violentia. 2. *Lis* seu fraudulentia. Vel enim *leonem* agit, & sævit; vel *draconem*, & fallit. Hinc comparatur *serpenti*, qui partim tortuosus, *Esa. 27. v. 1.* Rectus venit, quando Ecclesiam manifestâ vi aggreditur: *tortuosus*, quando per cuniculos agit, & occasionem nocendi callidè observat. Tali actu decepit Evam, *Gen. 3. v. 1.* & implevit uxorem Potipharis adversus Josephum, *Gen. 39. v. 14.* Satrapas Darij adversus Danielem *cap. 6. v. 5.* Aman adversus Judæos. *Esth. 3. v. 8. 9.* Pharisæos adversus Christum, *Matth. 22. v. 17.* Simeonem Magum adversus Petrum, *Act. 8. v. 9.* Judæos adversus Paulum, *Act. 21. v. 27.* Eadem Praxis postremâ mundi ætate familiarissima est. Quid vulgarius, quàm aliud loqui, aliud sentire? Multi eos ad convivia invitant, quorum mortem exoptant. Mel est in ore, fel in corde: Laus est in dictis, sed fraus in factis. Amicitiam prætendunt, & interim insidias struunt. Imò quod dolendum, res eò devenit, ut grande hoc

pecca-

peccatum prudentiæ nomen adeptum ſit. Laudantur ut boni politici, qui ſunt obſervatores callidi. Simplex & ſtolidus vocatur, qui ſimulare & diſſimulare veretur. Sed audi *progenies Phariſaica*, quid de hoc inſtituto cenſeat Scriptura. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, *Pſalm. 55. v. 24.* Is habitat in Tabernaculo Domini, qui non concipit dolum, nec decipit, *Pſal. 15. v* 1. 3. 5. Non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina, & non eſt cogitatus peccatorum prudentia, *Syr. 19. v 19.* Vindex eſt Dominus de eo, qui circumvenit fratrem, 1. *Theſſ.* 4. *v. 6.* Non eſt iſta ſapientia de ſurſum, ſed terrena, animalis, diabolica, *Iac. 3. v.* 15. Caveatis ergò hoc vitium (1.) ob interdictum divinum, 1. *Pet. 2. v. 1.* (2.) ob ſummam turpitudinem, *Syr. 5 verſ. 7 cap 21. verſ. 17. 31.* quâ Deo & hominibus abominabiles reddit. (3.) Ob pœnas graviſſimas, *Syr. 21. verſ. 30. Pſalm. 55. v. ult.* quibus hujusmodi obtrectatores certiſſimè afficientur.

Argumentum cōtra ſimulationem politicam.

PARS II.

De Chriſti Miraculo.

DUo hîc obſervanda veniunt: 1. *Ipſum Miraculum*, 2. *Tempus miraculi*. Deſcribitur enim ſanatio hydropici, facta die Sabbati.

De Miraculis ſæpè audimus, quòd ſint ſigna virtutis divinæ, ſigilla doctrinæ Evangelicæ, teſtimonia de officio & bonitate Chriſti, quæq; alia pertinent ad doctrinam de Miraculis in genere.

Hîc duo notentur in ſpecie: 1. *Hydropicus tacens.* Non enim de ipſo refertur, quòd Chriſti opem imploraverit, ſed tantùm dicitur fuiſſe

Hydropici ſilentium.

ante illum. Cæteri, quibus ſubvenit Chriſtus, vel clamârunt ipſi, *Matth.* 15. *v.* 27. *Luc.* 17. *v.* 23. vel pro iis interceſſerunt alij, *Ioh.* 4. *verſ.* 47. *Matth.* 8. *v.* 5. Verùm tacet hydropicus, neque pro eo intercedunt Phariſæi. Res mira! cujus fortè cauſa non fuit alia, quàm quòd hydropicus teſte conſcientiâ erat convictus, ſe propriâ intemperantiâ morbum iſtum attraxiſſe. Non igitur audebat loqui, ob recordationem ſcelerum, & vitam malè transactam. Proinde nos eò diligentiùs peccata caveamus, quùm deformitate ſuâ preces impediant, & ora noſtra obſtruant.

Chriſti cura. 2. *Chriſtus ſanans.* Licet taceret hydropicus, reſpondit tamen Chriſtus. *Reſpondit* nempè, non ad externa verba, ſed ad internos gemitus. Nam & cordis ſuſpiria ſunt clamor apud Deum. Reſponſionem mox excipit cura. Hydropicum enim apprehendit, ſanat, dimittit. *O Redemtorem benevolum!* Reſpondet tacentibus: curat illos, pro quibus nemo intercedit: ſanat enim iſtos, qui morbum ſuis peccatis attraxerunt. Tanta nimirum eſt miſericordia ejus, ut videns miſeriam, cõmoveantur viſcera, *Oſeæ* 11. *v.* 9. nec unquam confringat calamum quaſſatum, *Eſai.* 42. *v.* 3. *Matt.* 12. *verſ.* 10. Nos modo ſiſtamus ipſi, non in ædibus Phariſæi, ſed in templo Domini, ubi prædicatur verbum & diſpenſantur Sacramenta, omnem infirmitatem animæ ſanantia. *Verùm* ſatis de miraculo.

Pergimus *ad tempus*, quod eſt *dies Sabbati*. Chriſtus enim videns Phariſæorum cogitationes, putantium non licere Sabbato curare, factum ſuum brevi Apologiâ defendit, & doctrinam de operi-

bus

bus Sabbato faciendis illustrat. Utilis est hæc informatio, pertinens ad veram tertij præcepti intelligentiam: ideoque hac occasione, quæ de Sabbato scienda sunt, paucis annotabimus.

Sabbatum non est vox Græca, *uti* putat Plutarchus, derivans à Sabbo seu Baccho, vel ἀπὸ τȣ̃ σαβάζειν, quod est debacchari & genialiter vivere: sed *Hebræa*, notans quietè, à rad. שבת hoc est, quievit, vel cessavit Numerantur autem distinctæ Sabbati species à Theologis, & eorum inprimis quatuor. *Vox Sabbati.*

Primum vocant *Creationis*, quod est quies Dei, die septimo cessantis ab opere, quod fecerat, *Genes. 2. v. 2. Heb. 4. v. 4.* Notat verò illa quies non aliquam in Deo defatigationem, non operum desertionem; sed omnimodam potiùs perfectionem, & à creando cessationem. *Quatuor species Sabbati.*

Secundum nominant Sabbatum *Redemtionis*, quo Christus expiato peccato, quievit in sepulcro à passionibus suis & doloribus mortis.

Tertium appellatur Sabbatum *Consummationis*, quod non datur in hac vitâ, sed speratur in futura, ubi Sabbatum celebrabunt beati ex Sabbato, *Esa. 66 v 23.* & cessabunt ab omnibus miseriis.

Quartum denique est Sabbatum *Sanctificationis*, quod est quies diei septimi, quem Deus cessationi ab operibus servilibus, & occupationi in divinis destinavit.

Hoc est illud Sabbatum, de quo Christus hic loquitur, & cujus in tertio Decalogi præcepto fit mentio.

Adhuc verò observandum venit, quòd Sabbatum Sanctificationis sit duplex:

Sabbatum Ceremoniale.

1. *Ceremoniale*, ſeu temporaneum, quod ſpectat ad V. Teſtamentum, fuítq; dies hebdomadis ſeptimus, à Deo inſtitutus, *Gen. 2. v.3.* & per Moſen confirmatus, *Exod. 20. v. 19.* partim ut recordarentur Judæi primæ Creationis, quæ die ſeptimo abſoluta, partim ut eſſet μνημόσυνον liberationis ex Ægypto, die ſeptimo factæ, *Exod. 12. v 17. Deut. 5. v. 15.* partim ut eſſet ſignum diſcernens populum hunc ab aliis gentibus.

Sabbatum morale.

2. *Morale*, ſeu perpetuum, quod eſt aliquis ſeptimanæ dies, divino cultui peculiariter deſtinatus, quem Apoſtoli in Novo Teſtamento, valere juſſo die ſeptimo, in primum mutârunt, eúmq; à Reſurrectione Domini, *diem Dominicum* vocârũt. Olim quoque dictus eſt dies *Panis*, à Sacramento Cœnæ: dies *Lucis*, à Baptiſmi adminiſtratione: dies *Solis*, à Chriſto, juſtitiæ Sole, *Mal. 4. v 2.* omnes umbras Vet. Teſtamenti diſſipante. Hujus diei expreſſa fit mentio, *Apoc. 1. v. 10.* obſcurè, *Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2.* Nemo igitur dicam nobis ſcribat, ob mutationem diei ſeptimi.

Nemo nos vituperet ob mutationẽ diei ſeptimi.

Nam (1.) deeſt Mandatum Chriſti, (2.) adeſt factum Apoſtolorum, (3.) ipſum præceptum non agit de Sanctificatione diei ſeptimi, ſed Sabbati ſeu quietis. (4.) Excuſat nos libertas Chriſtiana. (5.) Semper addita eſt determinatio ad Judæos, quando diei ſeptimi fit mentio. Unde colligimus, ſanctificationem ejus tantùm reſtrictam eſſe ad Synagogam Judaicam, quæ juxta *Auguſtinum*, à Chriſto cum pompa eſt deducta ad tumulum. Nec minùs inde pateſcit, quòd præceptum tertium ſit *partim* ceremoniale; in quantum ordinat diem ſeptimum, *partim* morale, quatenus in genere

nere

nere diem ſeptimanæ certum cultui divino ſacrandum præſcribit.

Cauſæ igitur Chriſtiani Sabbati ſunt, 1. *Vt* colatur Deus. 2. *Vt* recreentur homines & jumenta. 3. *Vt* ſit μνημόσυνον rerum creatarum, & 4. *Typus* æterni atque ſpiritualis Sabbati. In cultu Dei autem conſiſtit inprimis *Sanctificatio*, illo die facienda, quam ſitam eſſe dicimus. 1. *In* beneficiorum divinorum celebratione. 2. *In* Verbi lectione & auſcultatione. 3. *In* aſſidua precatione. 4. Sacramentorum participatione. 5. Eleemoſynarum erogatione, & ſimilibus pietatis exercitiis, quæ ſancta ſunt, ſi fiant, (1.) Ob mandatum Dei, ſine quo fruſtrà colitur, *Eſai. 29. v. 13. Matth 15. v. 9.* (2.) ex fide, ſine qua nemo placet; *Hebr. 11. v. 6.* (3.) in honorem Dei, *1. Cor. 10 v. 31.* (4.) abſque opinione meriti, *Eph. 2. v. 8.* Ab aliis verò operibus die Sabbati eſt abſtinendum, nempè à ſervilibus, uti declaratur *Levit. 13. v. 7. 8.* quæ fiunt lucri causâ, & cultum divinum impediunt. Cætera verò ſunt licita, quod ut breviter teneantur, ſciendum, *quod* opera noſtra *vel* ſacra ſint, *vel* humana. *Sacra* verè ſanctificant Sabbatum. *Humana* vel ſunt *charitatis*, ut ægrotos viſitare, curare, ſolari, & hæc ſunt licita, Deóq; placent, quâ in parte Phariſæi peccârunt, nimis ſuperſtitioſi, ut putârint, illicitũ eſſe, hydropicum ſanare: *vel recreationis*, ut exſpatiari, convivia inſtituere, quod licet poſt peractum cultum, ſi modus teneatur: *vel commercij & ſervitutis*, quæ ſunt illicita, ſive ſint Ruſtica, ſive Urbana, ſive Domeſtica, excepto tamen caſu neceſſitatis, quæ non habet Legem.

Cauſa Chriſtiani Sabbati.

Modus ſanctificationis.

Plura de Sabbati ſanctificatione & profanatio-

ne videantur in libellis methodicis. Nos hîc concludimus, *Deum venerati supplices*, ut nos curet ab hydrope peccati, quô hîc Sabbatum sanctificationis rectè celebremus, donec peracto Sabbato in sepulcro, transferamur in cœlum, & fruamur Sabbato consummationis in æternum, ipsi sit laus & virtus & gratiarum actio, Amen.

EVANGELIUM DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

Matth. 22. à vers. 34. usque ad finem.

De Summâ Legis & Evangelij.

V. 34. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες ὅτι ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους, συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό.

35. καὶ ἐπηρώτησεν εἷς ἐξ αὐτῶν νομικός τις, πειράζων αὐτὸν καὶ λέγων.

36. διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ;

37. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ, ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν

PErischæi verò quũ audiissent eum imposuisse silentium Zadoukeis, congregati sunt simul.

Et interrogavit eum unus ex eis peritus Legis cùm tentaret eum.

Doctor, quódnã est præceptũ maximum in Lege?

Jeschua autẽ dixit ei: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota

DA aber die Phariseer höreten/ daß er den Sadduceern das Maul gestopffet hatte/ versamleten sie sich.

Vnd einer vnter jhnen/ein Schrifftgelehrter/ versucht jhn/ vnd sprach:

Meister/ welches ist das fürnembste Gebott im Gesetz?

Jesus aber sprach zu jhm: Du solt lieben GOTT deinen HErren/ von gantzem Hertzen/ von

ὅλῃ

ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.	anima tua,&ex toța virtute tua,&ex tota mente tua.	gantzer Seelen/ von gantzem Gemůt.
38. αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή.	Iſtud eſt Præceptum maximum& primum.	Das iſt das fůrnembſte vnd gróſte Gebott.
39. δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.	Et ſecundum ſimile eſt ei: diliges proximum tuum ſicut animã tuam (*teipſum.*)	Das ánder aber iſt dem gleich/ Du ſolt deinen Nechſten lieben als dich ſelbſt.
40. ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ Προφῆται κρέμανται.	Ab iſtis duobus Præceptis pendent Lex & Prophetæ.	In diſen zweyen Gebotten hanget das gantze Geſetz/ vñ die Propheten.
41. συνηγμένων δὲ τῶν Φαρισαίων, ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς.	Quùm autem cõgregati fuiſſent Periſchæi, interrogavit eos Jeſchua inquiens:	Da nun die Phariſeer bey einander waren / fraget ſie Jeſus/vnd ſprach:
42. λέγων, τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; τίνος υἱός ἐστι; λέγουσιν αὐτῷ, τοῦ Δαβίδ.	Quid dicitis de Meſchicho? cujus eſt filius? Dicũt ei: Filius eſt Davidis.	Wie dúncket euch vmb Chriſto? Wes Sohn iſt er? Sie ſprachen: Davids.
43. λέγει αὐτοῖς, πῶς οὖν Δαβὶδ ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ, λέγων:	Dicit eis: Quomodo ergò perSpiritum vocat eum Dominum? Ait enim:	Er ſprach zu jhnen: Wie nennet jhn deñ David im Geiſt einen Herrn? Da er ſagt:
44. εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ	Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextra mea, usq; dum ponam	Der HErr hat geſagt zu meinem Herrn: Setze dich zu meiner Rechten biß daß ich lege

τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.	hoſtes tuos ſubter pedes tuos.	deine Feinde zum Schemmel deiner Füſſe.
45. εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι;	Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?	So nun David jhn einen Herren nennet / wie iſt er denn ſein Sohn?
46. καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο αὐτῷ ἀποκριθῆναι λόγον· οὐδὲ ἐτόλμησέ τις ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτᾷν αὐτὸν οὐκέτι.	Et nemo poterat ei reddere rationem: nemoque auſus eſt amplius ab illo die interrogare eum.	Vnd niemand kund jm ein Wort antworten: Vnd durft auch niemād von dem Tage an hinfort jn fragen.

Homilia.



Duæ partes Chriſtianiſmi, Fides & Charitas.

CHriſtianiſmus noſter, à quo Chriſtiani denominamur, in duobus præcipuè capitibus cōſiſtit, in *ſinceritate fidei, & exercitio bonorum operum.* Innuit hoc Apoſtolus, monens Timotheum, ut retineat *fidem & bonam conſcientiam,* 1. Tim. 1. v. 19. Per *fidem*, doctrinæ puritas notatur, *bona conſcientia* ex operibus Deo placentibus oritur.

Utrumq; conjunxit *Anaſtaſius* Epiſcopus Nicenus, qui hanc Catechiſmi ſui primam quæſtionem eſſe voluit; *Quod eſt ſignum boni Chriſtiani?* Et reſpondit: *Fides & bona opera.* Idem ante ipſum B. Martyr *Ignatius* tetigit, Epiſt. 7. ſic ſcribens: *Totus noſter Chriſtianiſmus nihil eſt aliud, quā fides in Deum & charitas in proximum.* Hinc in Epiſtolis Paulinis nihil aliud inculcatur, quàm πίστις καὶ ἀγάπη, verus de Deo ſenſus, & genuinus

Dei

Dei cultus, ut rectè apprehendatur veritas, & devotè exerceatur pietas. Quam ipſam ob cauſam duæ vulgò, quaſi partes Theologiæ ſtatuuntur, quarum *altera* eſt περὶ τῶν πιςῶν, *altera* περὶ τῶν πρακτῶν, & *illa* exponit credenda, *hæc* facienda, *illa* de fide agit, *hæc* de charitate; *illa* docet Chriſtianos rectè credere, *hæc* piè vivere. *Hoc enim eſt mandatum Dei, ut credamus in nomine filii ejus & diligamus alii alios*, 1. Joh. 3. v. 23.

Fides prima Chriſtianiſmi pars eſt, quâ Deo promittenti credimus, & meritum Chriſti nobis applicamus. Ex fide fiunt *bona opera*, ſiquidem per hæc illa eſt efficax, *Gal. 5. v. 6.* Radii ſolares, quodcunque tangunt, calefaciunt: Sic fides juſtificans ubicunque micat, ardorem bonorum operum excitat. E formis proprietates ebulliunt, ex bona arbore fructus boni certò naſcuntur: Ita fidem juſtificantem charitas & bona opera ſemper comitantur.

Duæ partes doctrinæ Chriſtianæ, lex & Evangelium.

Uti verò duæ Chriſtianiſmi partes, ſic & duo diſtincta doctrinæ Chriſtianæ capita ſunt, nempe *Lex & Evangelium*. Lex opera requirit, & obedientiam urget, unde *Lex factorum* dicitur, *Rom. 3. v. 24.* Sed Evangelium monſtrat Mediatorem, & inculcat fidem, unde *Lex fidei* nuncupatur, v. 28. Hi ſunt duo illi baculi, doloroſus & amænus, quibus Eccleſia in his terris regitur, *Zach. 11. v. 7.* Hæc ſunt illa prima principia, in quæ totus Chriſtianiſmus noſter reſolvitur.

Summa Evangelij.

Utrumque autem præſenti Evangelio breviter docetur, & illuſtratur, quod propterea non immeritò *nucleus Evangeliorum & doctrinæ Chriſtianæ ſummarium* appellari poſſet. Duas enim par-

tes continet, in quarum *prima* de Lege, Legisque mandato magno agitur; quod in dilectione Dei & proximi consistit, *à v.34. usque ad 41.* In *Secunda*, Evangelii summa proponitur, de Persona Christi, quòd non tantùm sit Davidis filius, quoad humanitatem, sed etiam Davidis Dominus, quoad divinitatem, *à v 41. usque ad finem.*

Partes. Nos primam duntaxat partem considerabimus, acturi de *maximo primoq; Legis præcepto*, quo Deum ex toto corde, & ex tota anima diligere jubemur.

Propositio. Faxit Magister summus, ut attentè auscultemus, & promtè obediamus, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

Conventus Sadducæorum & Pharisæorum. QUotiescunque impii consociantur, de novo plerunq; flagitio consultant, quia iniquitatem trahunt funibus vanitatis, *Esa. 5. v. 18.* Exemplum suppeditat hodiernum Evangelium, in quo Sadducæi & Pharisæi adversus Christum conspirant.

Sadducæi fuerunt Epicuri de grege porci, non credentes esse resurrectionem mortuorum, vel Angelum, vel Spiritum, *Act. 23. v. 8.* *Pharisæi* scientiã Legis sibi solis arrogabant, foris sancti, *Matth. 6. v. 2.* intus rapinâ pleni, *Matth. 23. v. 25.*

Hæ Sectæ aliâs erant divisæ, & sibi invicem contrariæ, ut patet ex Synaxi illa, *Act. 23.* descripta. Nunc tamen amicè coëunt, & contra Christum unanimi voto consilium capessunt. Confuderat ille *Sadducæos*, de septem fratrum uxore quærentes, quibus errorem & Scripturæ ignorãtiam objecit, quoniam à terrenis ad cœlestia non sit firma consequentia. Ægrè hoc tulerunt *Pharisæi*,

risæi, honorem Christo invidentes, & ob populi admirationem dolentes. Conveniunt ergò, instar Herodis & Pilati, deque Christo confundendo amicè deliberant.

Ut igitur fine suo potiantur, Legisperitus quidam ablegatur, præ aliis turgens & impudentiâ, & scientiæ opinione. Hic Christum accedit tentandi animo, & thrasonicè quærit, vers. 36 *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Jactas te doctorem, & gloriaris ob confusos Sadducæos; sed ego te severiùs examinabo: Ego legem teneo; Accede, & mecum disputa, si Magistri titulum velis defendere. Nosti plurima Legis præcepta numerari, Dicas ergò, quod inter illa sit maximum, ut appareat te notitiam habere omnium. *Quæstio de mandato magno.*

Erat hoc tum temporis *vexatißimum Problema*, & ob sententiarum discrepantiam odiosissimum. Legem enim in *præcepta & interdicta* diviserunt. *Præcepta* in Mose dicebant reperiri trecenta & sexaginta quinque; quot nempè dies in anno numerentur. *Interdicta* verò ducenta & quadraginta octo juxta illos constituebantur. In tanto igitur Legum numero difficilimum videbatur, præcisè determinare, quodnam esset mandatum maximum vel præcipuum. At Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi *Col. 2. v. 3.* longâ meditatione non indiget, sed ad propositum ζήτημα ex tempore promtóq; respondet. Erat de Lege quæstio, ad Legislatorem igitur Mosen remittit hunc Pharisæum tumidum. Moses *duas* à Deo *tabulas* accepit, ut innueretur, duo Legis esse objecta primaria, quorum alterum *Deus* ipse est: alterum *proximus*. Uterq; diligi debet, *Deus* juxta primam; *Duæ tabulæ & duo objecta Legis.*

primam; *proximus*, juxta ſecundam tabulam. Dilectio Dei præſcribitur, *Deut.6.v.5.* proximi, *Levit.19.v.18.* Hæc duo præcepta Chriſtus ex Moſe repetit, & Phariſæo reſponſi loco proponit. De præcepto primo, dilectionem Dei ſpectante, diſertè ait: *Hoc eſt maximum & primum mandatum.*

Quomodo præceptum de dilectione Dei ſit maximum

Verè *maximum* eſt *tum* abſolutè & ratione ſui, quia de DEO agit, quo nihil majus & ſublimius: *tum* reſpectivè, ratione legum, quæ omnes ex illo fluunt, & in illud refluunt, quum omnia ad Deum referenda, & propter ipſum facienda ſint. Quum igitur hoc ſit ſummum maximumq; præceptum, utique diligentem requirit expoſitionē. Floſculi & aromata quò crebriùs manu teruntur, eò frangrantiùs ſpirant: Sic mandatum hoc Jehovæ preſſiùs conſideratum, & fortiùs nos percellet, & jucundiùs afficiet.

Circa primum præceptum, tria ſunt conſiderāda.

Tria verò pro genuino iſtius legis intellectu obſervanda & explicanda veniunt, *1. Natura dilectionis. 2. Cauſſa. 3 Modus ejusdem*, de quibus ſuccinctè & ordine diſſeremus.

1. Natura dilectionis.

I. Quid Dei dilectio notet ac involvat?

Non erit hoc cognitu difficile, ſi naturam amoris in genere penſitemus. Satis ea nota eſt, quum nullus ſit, qui non vel amet, vel ametur.

Quæ tria includit.

Tria verò includit (1) *Affectum benevolum,* quo rem amatam proſequimur, laudamus, colimus, defendimus, qualis affectus fuit inter Davidem, & Jonathan, *1. Sam.18.* (2) *Fiduciam,* quæ ponitur in perſonam dilectam. Huic enim arcana cuncta concredimus, de illius fide & auxilio nulli dubitamus, unde oritur gaudium, & tran-

quillitas

quillitas mentis. Ita Simſon ex amore nimio aperuit omne cor ſuum Delilæ, *Iud. 16. v. 17.* (3) *Gratificandi ſtudium*, dum amantes, quod placere ſciunt, ſibi invicem præſtant, mutuisque officiis certare contendunt. Sichem in gratiam Dinæ ſuæ ad circumciſionem promtè ſe obtulit, *Geneſ 34. v. 19.* Hæc ſunt illa tria amoris ſigna & requiſita generalia, quæ multò magis requiruntur in verâ Dei dilectione.

Deo debetur à nobis Reverẽtia.

Adeſſe debet 1. *Reverentia*, ut illum ſuper omnia colamus, ipſique inſerviamus. Tria nobis membra principalia conceſſit: *Cor, linguam, manus*: Corde meditamur, linguâ loquimur, manibus operamur. Hæc omnia ad Dei honorem unicè directa eſſe debent. Cor noſtrum ſemper de illo cogitet, illum quærat, in illo acquieſcat, exemplo Davidis, *Pſal. 42 v. 12. &* Aſaphi, *Pſal. 73. v. 26. 27.* Sponſa deſiderio ſponſi perpetuò flagrat, eumque illo uniri exoptat. Noſter ſponſus Jehova eſt *Eſa. 54 v. 5. Oſe. 2. v. 19.* Ipſi ergò adhæreamus, & gratiſſimam ejus præſentiam avidè expectemus. Lingua eundem celebret, & omni die laudes ejus prædicet ex *Pſalm. 103. v. 1. Pſalm. 106. v. . & ſeq.* Ipſe in Cantico nos ſuam ſponſam, columbam, cervam, amicam vocat; quantò magis nos illum honorare & gloriam ejus decantare debemus? Manus & omnia membra Deo ſervire, & ſanctificata eſſe oportet. Oculi eleventur ad ipſum, *Pſalm. 121. v. 1 Pſalm. 123. v. 3.* Aures ſint attentæ ad audiendum, ne obdurentur corda, *Pſalm. 95. v. 8.* Pedes ſint celeres ad ſtandum in atriis Jeruſalem, *Pſalm. 122. verſ. 2.* Manus ſint promtæ ad ſubveniendum, nec ſemper ſciat ſiniſtra,

ſtra, quid faciat dextra, *Matth. cap. 6. verſ. 3.* Hoc modo ſi omnia membra ad Deum honorandum ſint compoſita, verè ipſum, & ſine fuco amabimus.

Confidentia. Adeſſe debet 2. *Confidentia*, ut in ſolo Deo ſpē ponamus, & firma mentis fiduciâ ipſi adhæreamus. Ægrè fert amans, ſi pars altera diffidat: Idem de Deo cogitandum eſt. Docet hoc exemplum Aſæ, qui peregrinum auxilium quærens, varia ſibi attraxit incommoda, 2. *Paral. 16. v. 27.* Simus igitur animoſi, & confidamus Deo. Ipſe refugium & virtus noſtra eſt, propterea non timebimus, *Pſal. 46. v. 1.* In ipſum ſperemus, ita non confundemur in æternum, *Pſalm. 71. v. 1.* Bono nobis exemplo præivit Abraham, *Gen. 22. v. 8.* & Daniel, *cap. 6. verſ. 10. 22. 23* & Petrus, *Actor. 4. v. 19.* quos imitari convenit, ut Deum ſincerè diligamus.

Obediētia. Adeſſe debet 3. *Obedientia*, ut ſoli Deo obtemperemus, & in viis ejus ambulemus. Non eſt indicium amoris, ſed odii, ſi alter alterius dicta ridet, & quæ diſplicere ſcit, faciat. Obedientiâ opus eſt ſi de amore Dei gloriari velis. Melior enim eſt obedientia, quàm victima, 1. *Sam. 15. v. 22.* Cuſtodite igitur mandata Domini, *Deut. 4 v 2.* Non addatis quicquam nec minuatis, *cap. 12. v. ultim.* Cum Samuele promti ſimus, & ad exemplum ipſius dicamus, *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus*, 1. Sam. 3. v. 9. Cum Davide oremus ex Pſal. 119 v. 5 *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!* Ita ergò ſi vitam noſtram inſtituamus, tum præceptum de amore Dei rectè implebimus.

II. Quibus

II. Quibus de caussis Deus diligendus sit? Tardi sunt homines ad benè operandum, nisi excitentur; & legem divinam negligunt, nisi caussæ obediendi inculcentur. Eas igitur afferemus, ut somnolentos, veluti calcaria, ad amorem Dei, fortiter instigent. *Causæ dilectionis.*

Moveat ergò nos 1. *Officii ratio.* Non in nostro arbitrio ponitur Dei dilectio, sed à nobis ut debita requiritur. Severum enim Altissimi mandatũ est, *Diligas*, Du solt lieben. Miles suo capitaneo sic obstrictus est, ut omnia ejus jussa teneatur expedire. Unde Centurio ille suorum satellitum commendat obsequium, *Matth.* 8. *v.* 9. Jam verò & nos milites sumus, summo induperatori Deo ad quævis servitia obligati. Sui autem amorem imperat: Obediendum igitur, & quod postulat, faciendum. Omnes creaturæ Deo, ut opifici obsecundant: & ita suum amorem contestantur. Hominem verò solum exorbitare, & Deo immorigerum fieri, annon deplorandum est? Indignatur herus, si non expedit famulus, quod jubetur: Quantò magis Deum putabitis irasci, si præceptum de dilectione neglexerimus. Ipse enim ignis consumens est, *Deut.* 4 *v* 24. & nisi convertamur, gladium suum acuit. *Psal.* 4. *v.* 13. *Officii ratio.*

2. *Operis dulcedo.* Non enim postulat Deus, vel ut omnia ipsi bona afferamus, vel ut corpora nostra flagellemus, sed amorem unicè expetit & exoptat. Amore verò nihil dulcius, nihil est jucundius. Et quia Deus amari vult, utiq; objectum amabile erit. Est omninò, & in ipso concurrunt omnia, quę amores caussare solent. Amamus aliquem ob *dignitatem*, & autoritatem quâ pollet: Deo autem *Operis dulcedo.*

quid

quid dignius, quid ſublimius? Ipſe eſt altiſſimus, *Luc. 1. v. 32.* Ipſe in excelſis habitat, *Luc. 2. v. 14.* in cœlis, *Matth. 6 v. 9.* in ſolio elevato. *Eſa 6.v.1.* Quis ergò non diligeret tàm excelſum & ſublimen Dominum? Amamus aliquem ob *prudentiam* & ſapientiam, quâ eſt præditus, Unde Regina Sabæ Salomonis cauſsâ Hieroſolymam abiit, *1. Reg. 10.* Deo autem quid ſapientius? Ipſe ſolus eſt ſapiens, *Rom. 16 v. 26*, imò ſapientia ipſa, *Proverb. 1. v. 20.* quæ ſapienter creavit omnia, & adhuc ſuſtentat. Quis non diligeret tàm ſapientem Dominum? Amamus aliquem ob *pulcritudinem*, quâ ornatus. Deo autem quid pulcrius? quid formoſius? Ipſe lux eſt, *Ioh. 1. v. 5.* & in luce habitat, *1. Tim. 6. v. 16.* Ideoq; lucidam fecit faciem Moſis in monte commorantis, *Exod. 34. v. 29.* Aſpice hunc mundum, Dei opificium, & æſtima inde opificis pulcritudinem: Quis non diligeret tàm formoſum Dominum? Amamus aliquem ob *potentiam* & opulentiam, quâ excellit. Deo autem quid vel potentius vel opulentius? Ipſius eſt robur & fortitudo, *Matth. 6. v. 13.* Ipſe ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores ejus ſunt quaſi locuſtæ, *Eſa. 40. v. 22.* Omnes theſauri ſunt in manu ejus, & ab ipſo deſcendit omne donum optimũ, *Iac. 1. v. 17.* Quis non diligeret tàm potentem & opulentum Dominum? Amamus aliquem ob *humanitatem* & bonitatem ſuam, quam exercet. Deo autem quis humanior aut benevolentior? Ipſe diligit populos, *Deut 33 v. 3.* Ejus deliciæ ſunt apud filios hominum, *Prov. 8 v. 37.* Ipſe ſolus bonus eſt, *Matth. 19. v 17* Hinc ſe noſtrum vocat Medicum, *Exod. 15. v. 26.* & Paſtorem, *Pſalm. 23. v. 1.*

v.1. & Patrem, *Psal.*103.*v*.13. & Matrem, *Esa.*49.
v.13. & Sponsum, *Ier*.3.*v*.14. & Murum, *Zach*.2.5.
& excubitorem, *Ps*.121.4. Quis non diligeret tàm
benevolum mitemq; Dominum? Si Rex desertam
famulam in matrimonium posceret, blandéque
compellaret, illa verò amorem renueret, annón
pro stultâ meritò censeretur? Rex regum nos a-
mat, amicéq; alloquitur: & nos tàm dementes e-
rimus, ut non redamemus?

3. *Dominii consideratio.* Vocatur enim *Domi-* *Dominii consideratio.*
nus, qui amorem postulat, dicendo: *Diliges Domi-*
num tuum. Dominatur autem nobis jure tũ *crea-*
tionis, quia è limo terræ formavit hominem, *Gen.*
2.*v*.7. tum *conservationis*, quia in ipso sumus, mo-
vemur & vivimus, *Act*.17.*v*.28. tum *redemtionis*,
quia nos lapsos è potestate Satanæ eripuit, & sibi
vindicavit, *Luc*.1.*v*.24. Quum ergò Dominus sit,
nostrum erit servire & diligere, ne conqueratur
ex Mal. 1.v.6. *Si Dominus sum, ubi est timor meus?*
Oculi servorum observant dominos suos, *Psal*.123
v 2. quantò magis Dominus dominantium à no-
bis observari & amari debet? Angeli, cœlestes
Spiritus, Deo assistunt, & promti ex amore servi-
unt, *Dan*.7.*v*.10. Et nos Angelis longè inferiores,
non diligemus? non ministrabimus?

4. *Dei appellatio.* Diliges, ait Legislator, *Do-* *Dei appellatio.*
minum Deum. Nominato autem Deo, omnis ma-
jestas, omnis potestas, omnisque bonitas nomi-
natur, & ipsa statim conscientia, & Lex naturæ
indita nos ad venerandum amandumq; admonet.
Deus enim ens summum est, à quo dependent o-
mnia: Ipse creator est, qui è nihilo produxit o-
mnia: Ipse fecit nos, & non ipsi nos, *Psal*.100.*v* 3.

Pater noſter eſt,& fictor,nos lutũ,*Eſa.64.8*.Honorem⁹ igitur,&diligamus eũ,ut probi filii:ne maledictio nos tangat. Abſalon odio proſequens, & perſequens Patrem Davidem, haſtâ Joabi transfoditur, *2. Samuel. 18. v.14*. Videamus, ne major pœna nos maneat, ſi cœleſtem Patrem odio, non amore proſequamur.

Additi pronominis meditatio. 5. *Additi pronominis meditatio. Tuus* enim vocatur, quem amare debet, ſiquidem expreſsè dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum*. Tuus verò eſt ob varia beneficia, tibi præſtita. O quàm multa, & quàm magna ſunt, quæ nobis fecit Dominus! Ab illo vitam, ſanitatem, & ſuſtentationem habemus. Ille nos vocat, regenerat, & S. Spiritu illuminat, ut cum Jacobo exclamandum ſit, *Domine, minor ſum cunctis miſerationibus tuis*, Gen. 31. v.10. David hanc bonitatem, & munerum divinorum multitudinem conſiderans, *Quis ego ſum*, inquit, *Domine Deus? & quæ domus mea? quia adduxiſti me huc uſque? 2*. Sam. 7. v. 18. Idem fateri quivis neceſſe habet, ſi vitæ ſuæ curriculum diligenter expendat. Quum igitur tot & tanta accepimus, porroq; plura accepturi ſimus, annon intimo DEUM amore ut complectamur, æquitas ipſa efflagitat? Pauper ſi à divite ſublevetur,& dona ſuſcipiat, ſummè diligit benefactorem ſuum, & ſatis verborum vix invenit, quibus animum amantiſſimum declaret. Nos verò fuimus pauperrimi, egentes gloriâ Dei, *Rom.3.v.23*. Sed ipſe nos fecit divites, & benedixit nobis in Chriſto, *Eph.* 1. *v.3*. qui propter nos egenus factus,ut illius inopiâ divites eſſemus, *2. Cor.* 8. *v. 9*. Annon igitur ſummè obſtricti ſumus ad diligendum hunc benefa-

benefactorem nostrum optimum maximumq;?
Quare cum Apostolo concludimus, & palàm dicimus: *Si quis non amat Dominum, sit Anathema, Maramatha*, 1.Cor.16.v.21.

III. Quomodo Deum diligere debeamus? Hoc exprimitur verbis istis, *Ex toto corde, animâ & mente.* Diligendus nimirum est Deus. *3. Modus dilectionis.*

1. *Totaliter*, vel ex toto corde, ne hoc dividatur inter Deum & Creaturas. Cor enim integrum requirit, & sicuti vera mater nolebat infantem dividi, 1.*Reg.3.v.26.* ita Deus, cœlestis Pater, nullam cordis nostri partitionem admittit. Nam impossibile est, duobus Dominis contrariis, DEO & mundo, adhærere, *Matth.6. vers.24.* Perierunt Reges, qui non ex toto corde dilexerunt Dominum. Maledictus enim est, qui in alio confidit, *Ierem.17.v.5.* *Diligendus est Totaliter.*

2. *Constanter*, vel ex anima, ut Deum diligamus, quamdiu illa in nostro manet corpore. Nec enim sufficit incepisse: Perseverandū est in amore, & cultu divino, usq; ad emigrationem animæ. Uxori Lothi nihil egressus è Sodomâ, seditioso Core nihil exitus ex Ægypto profuit, quoniam illa respexit, & in statuam salis mutata est, *Gen.19. v.21.* hic à Mose defecit, & vivus in infernum descendit, *Num.16.32.* Quare adhæreamus Domino cūctis diebus vitæ nostræ: Ita vicissim ab illo diligemur, & omni benedictionū genere implebimur *Constăter.*

3. *Ardenter* vel ex totâ mente, ut omnes animi cogitationes in Dei honorem unicè dirigantur, & omnia, quæ intra nos sunt, nomini sancto ejus benedicant, *Psal.103.v.1.* Pharao Israelitarum *Ardenter.*

oves & armenta ſibi ſervare volebat, *Exod. 10. 24.* Sed Moſes reſpondet, *v. 26. Non remanebit tibi ungula.* Sic quando infernalis Pharao de noſtris cogitationibus, vel actionibus ſibi aliquid vendicare præſumit, nihil ipſi relinquamus, dicentes: *Soli Deo me ſacravi, tibi nihil penitùs remanebit.* Hoc modo Deum ſi dilexerimus, reciproco amore nos proſequetur, & conſilium dabit in dubiis, auxilium in adverſis, ſolatium in tentationibus, quia honorantes ſe glorificat, *1. Sam. 2. 30.* & diligentes ſe diligit, *Prov. 8. v 27.*

Hic Deus Pater optimus, qui ipſa eſt charitas, *Ioh. 4. v. 16.* Sancto Spiritu corda noſtra accendat, ut ipſum conſtanter diligamus, & ita viciſſim ab ipſo diligamur, tandemq; ſuaviſſimo cœleſtium amatorum choro in gloria adjungamur, propter Chriſtum ejus filium, noſtrum fratrem dilectiſſimum, Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS,

Matth. 9. verſ. 1. usque ad 9. Marc. 2. verſ. 1. Luc. 5. verſ. 18.

De Sanato Paralytico.

v. 1. Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.

ET conſcendit navem, trajecitq; & venit in civitatem ſuam.

Da trat er in das Schiff / vnd fuhr wieder herüber / vnnd kam in ſeine Statt.

2. Καὶ ἰδοὺ προσέ-

Et obtulerunt

Vnd ſihe / Da

φερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον. καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ, θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

ei paralyticum decumbentem in lecto: viditque Jeschua fidem eorũ, & ait paralytico illi, Bono sis animo fili mi, remittuntur tibi peccata tua.

brachten sie zů jhm einen Gichtbrůchtigen / der lag auff einem Bette. Da nun JEsus jhren glaubẽ sahe/sprach er zu dem Gichtbrůchtigen: sey getrost/ mein Sohn/ deine Sůnde sind dir vergeben.

3. καὶ ἰδού τινες τῶν γραμματέων εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, οὗτος βλασφημεῖ.

Quidam verò è Scribis dicebant in anima sua, Iste blasphemat.

Vnd sihe/etliche vnter den Schrifftgelehrten sprachen bey sich selbst: Dieser lestert Gott.

4. καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν, ἵνα τί ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

Jeschua autem sciens cogitationes eorum, dixit eis, Quid cogitatis mala in corde vestro?

Da aber JEsus jhre Gedancken sahe/sprach er: Warumb dencket jhr so arges in ewren Hertzen?

5. τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον; εἰπεῖν, ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι καὶ περιπάτει.

Utrum enim facilius est, dicere, remittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula.

Welches ist leichter zu sagen? Dir sind deine Sůnde vergeben / Oder zu sagen: Stehe auff vnd wandele.

6. ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας (τότε λέγει τῷ παρα-

Ut autem cognoscatis, filium hominis habere potestaté in terra remittendi pecca-

Auff das jhr aber wisset / das deß Menschen Sohn macht habe auff erden die Sůnde zu

λυτικῷ,) ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.	ta, (dixit paralytico illi) Surge, tolle lectum tuum,& abi domum tuam.	vergeben/ sprach er zu dem Gichtbrüchigen: Stehe auff/ hebe dein bett auff/ vnd gehe heim.
7. καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.	Surgens itaq; abiit domum suam.	Vñ er stund auff/ vnd gieng heim.
8. ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν θεὸν, τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις.	Quæ quum vidissent turbæ illæ, timuerunt, Deumque laudibus evexêre, qui dedisset talem potestatem hominibus.	Da das Volck das sahe/ verwundert es sich / vnnd preiset GOtt / der solche Macht den Menschen gegeben hat.

Homilia.

Duo præcipua hominis bona.



Nter universa hominis bona, duo præcipuè excellunt 1. *Dei gratia* in cœlis. 2. *Recta corporis valetudo* in terris. O felices & beatos, quibus isthæc habere contingit! Primum thesaurum *Dei gratiam* nuncupamus,quę ad purgandam labem congenitam inprimis requiritur. Omnes enim in peccatis concipimur, *Psal.51. v.7.* divisi à Deo, *Esa.59 v.2.* inimici ejus, *Rom.5.v.10.* iræ filii. *Eph.2.v.3.* & sub maledictione, *Gal.3.v.13.* Ab his igitur malis, ut liberemur, reconciliatione opus est, & gratiâ divinâ, quam Christus peperit, quippe mediator unicus: 1. *Tim. 2. v.5.* Deo nos reconcilians, 2. *Cor.5.v.19.* & sanguinem pro nobis effundens, *Matth.26.vers.28.* Non autem prodest Christi meritum, nisi applicetur fide, siquidē hæc ex parte nostri, manus est, quâ gratiam oblatam

1. Gratia Dei.

apprehendimus. Hæ ſunt tres illæ ſcalæ myſticæ; quibus ad Deum aſcendimus in cœlum, nempè fides ſincera, Chriſti meritum & Dei gratia. Per *fidem* imputatur Chriſti *meritum*, quod conciliat Patris *gratiam*, ut è cœlo deſcendat miſeratio, & peccatorum remiſſio, quia *Deus ex gratia, propter meritum Chriſti per fidem pœnitẽtes juſtificat.* Hæc ſi adſint, quieto hilariq; ſemper animo eſſe poſſumus. Quid enim eſt, quot turbare nos queat? Incidunt *pericula?* Satis eſt, quòd Deum in cœlis propitium habemus. Ipſe murus erit in circuitu noſtro, *Zach. 2. v. 5.* & potenter defendet. Premit nos *egeſtas?* Divitem ſupra nos Patrem habemus, qui bonis implet eſurientes, *Luc. 1. v. 53.* Ingruunt *tentationes?* Fidelis Deus eſt: non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, *1. Cor. 10. v. 13.* Accuſat *dæmon?* Chriſtus pro nobis intercedit, quippe qui venit, ut opera Satanæ deſtrueret, *1. Johan. 3. v. 8.* Mors & terminus vitæ appropinquat? Miſerebitur noſtri Dominus, & emittet ſuos Angelos, ut portetur anima in ſinum Abrahæ, *Luc. 16 v. 22.* Ita nihil nocere poteſt illi, qui gratiam cœleſtis Patris impetravit, ſed cuncta potiùs cooperabuntur in bonum, *Rom. 8. v. 28.*

Alter theſaurus eſt *corporis ſanitas*, quum rectè valemus, membriſque noſtris benè uti poſſumus. Magnum hoc eſt beneficium, quod Plato commendat, dicens: *Primum bonum eſt benè valere.* Lecto decumbere, è templo exulare, officio fungi non poſſe, miſerrimum ſanè, & doloris pleniſſimum eſt. Tobiæ cæco, & infirmo dicebat Angelus: *Gaudium tibi ſit ſemper,* cap. 5. v. 11. Sed reſpondebat, v. 22. *Quale gaudium mihi erit, qui in*

2. Sanitas corporis.

tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Indicans nimirum nihil exhilarare posse eum, quem corporis ægritudo deprimit. Quia verò in morbos sæpè ob peccatum incidimus, maturè díscamus artem convalescentem, ut ita utroq; bono, *tum* gratiâ Dei, *tum* sanitate corporis potiri valeamus.

Summa Evangelij. Quod ipsum quî impetrari possit ac debeat, in exemplo Paralytico ostendit hodiernum Evangelium. Illi enim 1. peccata per Christum remissa sunt. 2. Curata est paralysis, ut surgere & ambulare potuerit, quo pacto vera nobis monstrantur media, *tum* Dei gratiam consequendi, *tum* sanitatem amissam recuperandi.

Propositio. Nos de primo tantùm dicemus, pauci expositur, *Quid nos Deo acceptos reddat, & quo pacto nostra civitas & habitatio Christi civitas & domicilium fieri & permanere semper valeat.*

Rogamus autem Altissimum, ut hunc sermonem in sui nominis gloriam, & ædificationem nostram clementer dirigat, *Amen.*

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

Gergesenorum stultitia & malitia. Refert Matthæus sub finem *cap. 8. vers 28.* Christum venisse in regionem *Gergesenorum*, & ibi ex duobus obsessis ejecisse sævos dæmones, qui veniâ impetratâ gregem porcorum invaserunt, & in mare præcipites egerunt. Quod quum nunciaretur incolis, dolore correpti sunt, & rogârunt Christum, ut discederet, ne plurium bonorum jacturam paterentur. Tam perversi nempè sunt plurimi, ut temporalia æternis præferant, & lubentiùs animas perdant, quàm porcos, juxta versiculum:

Cura ſuum major, quàm vera cura ſalutis.
Chriſtus igitur, qui non vult ſanctum canibus dare, *Matth. 7. v. 6.* ceſſit ſuibus, & aſcendens in naviculam, transfretavit, venítque *in civitatem ſuam*, ut *v.* 1. hujus Evangelij Matthæus loquitur.

Quo ſenſu & quas ob cauſas Capernaum dicatur civitas Chriſti?

Quænam illa fuerit, Marcus indicat, expreſsè vocans Capernaum, *cap.2.v.1.* quæ erat urbs maritima, in tribu Zabulon & Naphthalim ſita, metropolis totius Galilææ, *Matth. 4. v. 13.* Quo illa ſenſu Chriſti civitas vocetur? in quæſtionem venit. Dominus enim eſt non unius urbis, ſed omnium quoad divinitatem, & hoc dominium cõmunicavit carni aſſumtæ, quæ tamen ſe ad tempus exinanivit, *Phil.2. v.7.* ut non haberet, ubi caput ſuum reclinaret, *Matth. 8. v. 20.* Cur ergò Capernaum in ſpecie, & quidem tempore ἐλαττώσεως Chriſti civitas appelletur, dubium eſt. Aliæ ſunt urbes, quæ hoc titulo digniores videntur, ut Bethlehem, in qua natus, *Luc.2.v.5.* & Nazareth, in qua educatus, *Matth.2. verſ.ult.* Neutra tamen Chriſti civitas vocatur, ſed hic titulus ſoli Capernaum tribuitur.

Nonnulli ergò allegoriam quærunt dicentes כָּפַר unde eſt Capernaum, duo notare, (1.) tegere ſordes, vel expiare offenſam, ut *Deut. 21. verſ.8. Pſal.79. v. 9.* (2.) operire bitumine, contegere, ut *Gen. 7. v. 14.* Unde eſt כַּפֹּרֶת tectorium, vel operculum arcæ, ut ita Capernaum notet *partim* expiationem Leviticam, Eine Verſöhnſtatt/ *partim* caſulam quidem vilem, amœnitate tamen & conſolatione non carentem, Eine Troſtſtatt. Chriſti ergò civitatem dici Capernaum, *tum* quia ve-

nerit ad expianda peccata, & tegendas sordes: *tum* quia venerit in tuguriolum nostrum vile, & veram consolationem attulerit. Sic igitur finem Incarnationis, & Christi officium innuit, quando Capernaum ejus civitas nuncupetur.

Sed nonnihil hæc remota, & longiùs petita sunt: Aliam nominis causam inveniemus, si historiam Evangelicam consuluerimus.

Legitur *Matth.* 4. *v.* 12. quòd Christus post Johannis traditionem secesserit in Galilæam, & relictâ Nazareth habitaverit in civitate Capernaũ, quam ob causam & τὸ δίδραχμα solvit; *Matth.* 17. *v.* 27. vulgóque dicimus: *Bethlehem genuit, Nazareth educavit, Capernaum suscepit, & domicilium præbuit.* Legimus porrò, quòd multos in Capernaum sermones instituerit, *Matth.* 4. *v.* 16. & plurima miracula ediderit, quæ ipse exaggerat, *Matt.* 11. *vers.* 13. Legimus tandem, quòd amicos inibi non paucos habuerit. Ibi fuit Centurio magnæ fidei, *Matth.* 8. *v.* 5. ibi fuit Jairus princeps Scholæ; *Marc.* 5. *v.* 22. Ibi fuerunt fideles alij, qui verbum ejus diligenter audierunt, retinentes illud in corde sincero, & fructum afferentes in patientia, *Luc.* 18. *v.* 15.

Sic ergò triplex causa est, Cur Capernaum Christi civitas indigitetur, nempe, 1. *quia* ibi tantùm habitavit, 2. *ibi* crebrò prædicavit, 3. *ibi* suos amicos habuit, cum quibus libenter conversatus est. *O verò beata civitas, quæ nominaris Christi?* exclamat *Augustinus.* Magnum est ab Imperatore aliquo denominari, ut Tiberias, Adrianopolis, Constantinopolis: sed maximum est, à Regum Rege appellari, Christíque civitatem vocari.

Jam verò si nostram Witebergam paulò accuratiùs intueamur, sanè hanc ipsam præ aliis prærogativam obtinet, ut Dei Christíque habitaculum verè nuncupari possit. Hæc enim est illa civitas, quæ Christo in Papatu exulanti, ejúsque Evangelio reflorescenti primùm præbuit domicilium. Hæc illa est civitas, in qua & præclari sermones instituti, & per Ecclesiæ reformationem ac Antichristi revelationem permagna facta sunt miracula. Hæc denique illa est civitas, in qua suos Christus amicos, doctores, præconésque fidelissimos habuit.

VViteberga etiam est civitas Christi.

Non autem satis est Christi civitatem fuisse, videndum magis, ut porrò sit, sempérque maneat, Erat Capernaum exaltata usque ad cœlum, sed ob securitatem & ingratitudinem suam descendit in infernum, *Matth. 11. v. 23.* Ne simile contingat, maturè providendum est ; eúmque in finem ad thematis propositi, cujus causâ isthæc præmisimus, explicationem solidam accessum faciemus, audituri: *Quî nostra civitas, Christi civitas, quî singulorum corda & ædes, Christi domicilia & ædes fieri, esse & manere valeant?* Ostenditur hoc in præsenti Evangelio, & *sex* inprimis requisita sunt, quibus quælibet civitas Christi civitas constitui potest, quæ recto jam ordine commemoranda veniunt.

Sex requisita civitatis Christi.

Primum requisitum est Christi susceptio. Fecerunt hoc Capernaitæ, qui Christum à Gergesenis rejectum, lubenter receperunt, & aviditate magnâ audierunt. Testis est Lucas, qui *cap. 8. v. 40.* ita scribit: *Quùm rediisset Iesus, excepit illum turba. Erant enim omnes expectantes eum.* Imitemur

1. Susceptio Christi.

hoc, ſic Chriſti civitas efficiemur. Non rejiciamus eum cum Gergeſenis, ſed recipiamus cum Capernaitis. Attollite portas veſtras, ut intret Rex gloriæ, *Pſal. 24. v. 8.* Non claudendum eſt cordis oſtium: Nemini ſe obtrudit invito. Venit ipſe & pulſat, *Apoc. 3. v. 20.* ſed niſi aperias, diſcedit. Pro delicijs habet, cum filijs hominum eſſe, *Prov. 8. v. 31.* Indignabitur ergò & maledicet, ſi ſpernas vel expellas. Lætabitur autem & benedicet, ſi animo promto excipias. Abraham non patiebatur apparentem Dominum tranſire, ſed ut diverteret, rogabat, *Gen. 17. v. 3.* & benedictionem adeptus eſt, *v. 10.* Domui ObedEdom benedixit Jehovah, quia ſacram fœderis arcam lubens ſuſceperat, *2. Sam. 6. v. 11.* Pari modo, ſi promti ſumus in Chriſto recipiendo, varijs divinorum munerum generibus implebimur. Suſcipite ergò Salvatorem veſtrum *per* diligentem verbi auditum, quo ſolo in corda noſtra illabitur. Suſcipite illum *per* frequentem Sacramentorum uſum, quæ ſunt divina ὀχήματα & ſalutaria organa: Suſcipite illum *per* pœnitentiam, *per* novam obedientiam, bonorúmq; operum continuatum exercitium. Si tranſire velit, urgendus eſt cum Abrahamo, & orandus cum Emaunticis: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit,* Luc. 24. v. 29. Sic corda noſtra ſanctificabit ſibi in templa, & noſtra civitas CHRISTI JESU civitas rectiſſimè appellari poterit.

2. Verbi prædicatio.

II. Verbi prædicatio. In Capernaum Chriſtus ſæpè conciones inſtituit, & multos auditores habuit, eámq; ob cauſam *Chriſtopolim* vocant Evangeliſtæ. Perquàm neceſſarium eſt hoc requiſitum,

tum, sine quo titulus iste nulli civitati competit. Verbum enim cœleste vehiculum est, quo Christus ut medio sui Adventus utitur. Verbum divinus baculus est, *Psal. 23. v. 4.* quem quùm apprehendimus, unà Christum attrahimus. Verbum mysticum candelabrum est, *Apoc. 1. v. 12.* cui Christus semper adstat, ideoque altero recepto, simul adest alterum. Ita enim promisit Joh. 14. vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Magni ergò & verbum & verbi præconium æstimemus. Absit securitas & fastidium: Lubenter auscultemus, si Christi civitas esse volumus. De Capernaitis refert Marcus *cap 2. v. 2.* quòd audientes Christum præsentem, subitò in domum multi convenerint, ita ut non amplius caperent eos nec illa loca, quæ erant circa januam. Erubescant ad hoc nostri homines, qui & parcè & rarò ad audiendum verbum conveniunt. Non impunè abibit contemtus iste: Discedit Christus, & movet candelabrum de loco, quùm homines nauseabundi fiunt, & hunc thesaurum negligunt. Exiit ab Antediluvianis suâ gratiâ, ut perirent in diluvio, quia Spiritum Dei castigantem spernebant, *Gen. 6. v. 3.* Exiit à Sodomitis, ut absumerentur igne cœlesti, quia in tanto numero non decem justi sunt reperti, *Gen. 18. v. 32.* Exiit ab Ægyptijs, ut suffocarentur in rubro mari, quia voci Jehovæ noluerunt obedire, *Exod. 14. v. 27.* Ita nempe fit, ut quùm adversus Christum, ejúsq; discipulos fit congregatio, ipse discedat, dicátq, *Surgite, eamus hinc*, Joh. 14. v. ult. Væ autem eis; quùm discessero, ait Dominus,

Osea

Oseæ 9. v. 12. Christo enim discedente, discedit lux nostra, quæ illuminat, *Iohan. 1. v. 9.* discedit panis vitæ, qui vivificat, *Iohan. 6. v. 48.* discedit veritas, quæ sanctificat, *Ioh. 14. v. 6. cap. 17. v. 17.* Discedit Medicus, qui sanat, *Exod. 15. v. 26.* Discedit Pastor, qui cibat & defendit, *Psalm. 23. v. 1. seqq.* Arcam fœderis quùm amisissent Israelitæ, omnem gloriam esse translatam, dicebat uxor Phinees, *1. Sam. 5. v. 21.* Sic nulla major vel miseria vel ignominia est, quàm si Christus à nobis exeat; & verbum suum transferat. Hactenus quidem ejus præconium inter nos servavit: Videte, ne in posterum amittatis. Quod enim ex gratia concessit, ob securitatem hominum auferre consuevit. Intuemini Ecclesiam Romanam: Cogitate florentem Græciam: Utraque fuit domus Dei, & receptaculum verbi divini. Fecit autem ingratitudo & contemtus, ut ibi Papa Occidentalis, hîc Turca Orientalis AntiChristus, tyrannidem suam nunc exerceat. Timete igitur, & salutem vestram cum timore operamini, *Phil. 2. v. 12.* Nolite errare, Deus non irridetur, *Gal. 6. v. 6.* Nisi fueritis conversi, emittet famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbum Domini, *Amos 8. v. 11.*

3. Fiducialis apprehensio.

III. Fiducialis apprehensio. Nec enim sufficit verbi auditus, sed requiritur assensus, & fidelis ad Christum accessus, quia sine fide impossibile est placere, *Hebr. 11. vers. 6.* Suo iterum exemplo Capernaitæ præeunt; Ut nihil dicam de Centurionis fide, *Matth. 8. vers. 8.* saltem præsens Evangelium considerabimus. Geminum in eo speculum fiduciæ occurrit. *Alterum* præbent bajuli, *alterum* ipse paralyticus. *Illi* fidem suam testantur

ſtantur offerendo; *hic*, omnem in Chriſto ſpem ponendo. De illis dicitur expreſsè, v. 2. *videns Jeſus fidem eorum*, hunc credidiſſe patet inde, quia remiſſionem peccatorum adeptus eſt. Juſtus enim ex fide *ſua* vivit, non aliena, *Heb. 2. v. 34.* Noſtrum eſt imitari, & ſimilem in cordibus noſtris fiduciam concipere. Hoc enim ſanctum illud retinaculum eſt, quo Chriſtus detinetur; hoc vinculum illud eſt, quo ligamus, ne à nobis abeat. A Jacobo quùm vellet diſcedere poſt luctum, fide animosâ tenuit, dixítque: *Non dimittam te, niſi benedixeris*, Geneſ. 32, v. 26. Sic abiturientem teneas plenâ fiduciâ: & hæc vis erit gratiſſima. Secus ſi fiat, ad alios ſi confugias, firmiter niſi adhæreas, mox diſcedit, gratiámq; ſuam ſubtrahit. Parentes Chriſti quùm remiſſiùs curarent filium, amisêre illum, *Luc. 2. v. 43.* nec alibi quàm in templo invenerunt, *v. 46.* Ita niſi apud ipſum ſemper maneas, mox amittes, nec alibi quàm in templo & inter doctores verbi reperies. Eccleſia ſponſum amiſſum quærit, & invenit inter vigiles, *Cantic. 3. v. 3. 4.* Hi præcones verbi ſunt: per hos fides accenditur, *Rom. 10. v. 17.* ut denuò cum Chriſto conjungi, & in gratiam cum illo redire valeas. Verbum igitur diligenter audi, ut credas, & perſeveranter crede, ut Chriſto ſemper placeas, ejúsque templum permaneas.

IV. Mutua dilectio. Hac Capernaitæ fuerunt inſigniter imbuti, quia compatiuntur paralytico, quærunt offerre Chriſto, aſcendunt tectũ, & demittunt per tegulas, ut liberetur à paralyſi, *Luc. 5. v. 18. 19.* Eximia hæc virtus eſt, quæ facit, ut aliqua civitas verè ſit Chriſto accepta civitas. Inte- *4: Mutua dilectio.*

meratus

meratus amor, & constans concordia præstò sit, Deo si placere volumus. O quàm bonum est, & quàm jucundum, fratres habitare in unum! illic mandavit Dominus benedictionem, *Psal. 133. v. 1. 3.* Cohabitemus igitur pacificè, & condoleamus fraternè. Et nobis sunt paralytici, h.e. varij ægroti. Afferamus ad Christum, & preces fundamus ut sanentur. Orent Pastores pro ovibus suis, ut impleantur agnitione verbi, *Ephes. 1. v. 16.* Orent pro Magistratu subditi, ut quietè possint vivere in omni pietate, *1. Tim. 2. v. 2.* Orent pro parentibus liberi, ut repleantur divinâ benedictione: Orent singuli pro omnibus sanctis, *Eph. 6. v. 16.* ut sint unum cor, & una anima, *Actor. 4. vers. 32.* Nec enim Christopolis vocabitur, ubi rixæ & contentiones audiuntur. Unum patrem habemus in cœlis, ideoque fratres sumus, quos altercari turpissimum est. Unum caput habemus, & unius corporis membra sumus: Si ergò nos invicem mordemus, pereundum erit. Unum Dominum habemus, & omnes Dei domestici sumus, qui nos ut concives in hoc mundo conjunxit: Annón dedecus est in hac Altissimi domo litigare? Deus pacem diligit, Dei ergò civitas esse si volumus, pacificè vivamus. In hoc enim agnoscent omnes, quòd discipuli Christi sitis, si dilectionem habueritis ad invicem, *Ioh. 13. v. 34.*

5. Malarum cogitationum repressio.

V. Malarum cogitationum repressio. Erant & impij in Capernaum, videlicet Scribæ, qui audientes, Christum peccata remittere, dicebant inter se; *Hic blasphemat*, v. 3. Sed Christus καρδιογνώστης vidit & increpavit: *Vt quid*, ait, *cogitatis mala in cordibus vestris?* v. 4. Nullum, *Charissimi,*

rißimi, dubium eſt, inter nos quoque invenire tales, qui Chriſti auditores ſunt, & nihilominùs mala cogitant. O ſi paterent corda hominum, quàm perverſas cogitationes apud multos deprehenderemus? Alij ratione in divinis conſulunt, alij turgent ſuperbiâ, quidam marceſcunt invidiâ, quidam pleni ſunt avaritiâ, libidine, & verbi nauſeâ. Sed Chriſtus inter vos eſt, Chriſtus adſtat medius, & ſingulis etiamnum acclamat: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Habet enim oculos majeſtatis, omniſcius eſt, videt omnia ſecreta, videt, inquam, & vindicabit, ipſe novit corda, 1. *Reg.* 8. *v.* 39. & probat renes hominum, *Ierem.* 17. *v.* 10. Sic ergò vivite, ne perverſis cogitationibus abigatur. Fœtor enim ſunt ante ipſum, quem tolerare non vult. Per fumum & fœtorem è conclavi pelluntur hoſpites. Mala cogitatio fœtor & fumus eſt coram Domino. Diſcedet igitur è corde tuo, diſcedet è civitate noſtrâ, niſi pravæ cogitationes maturè abjiciantur. Mundus quidem opinatur, cogitationes eſſe liberas; Gedancken ſein Zollfrey/ modò externa rectè ſe habeant: Verùm Deus cor inſpicit, & ſecundùm illud de dictis factiſque noſtris judicat, juxta dictum Gregorij M. *Apud homines corda æſtimantur ex verbis, ſed apud Deum verba ex corde.* Purges igitur cor tuum ante omnia, & removeas figmenta impia: Sic Chriſti templum, ſic Spiritus Sancti domicilium eſſe poteris.

VI. Denique ſextum requiſitum eſt. Divini nominis celebratio. Nam turbæ Capernaitarum videntes miraculum à Chriſto editum, admiratæ ſunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit *6. Divini nominis celebratio.*

 pote-

potestatem talem hominibus, *v. 8.* Miremur nos etiam & prædicemus divinam bonitatem. Magna sunt & multa, quæ fecit nobis Dominus. Ab illo accipimus beneficia *universalia*, creationem, conservationem, gubernationem: Ab illo accipimus beneficia *specialia*, vocationem, justificationem, sanctificationem: Ab illo accipimus beneficia *singularia*, dum alios sapientiâ, alios formæ elegantiâ, alios divitiis & honore exornat. Glorificemus ergò tam benignum Patrem, canentes cum Davide, ex Psalm. 103. v. 1. *Benedic anima mea Domino*, cum Maria ex Luc. 1. v. 46 *Magnificat anima mea Dominum, Deus& exultavit Spiritus in Deo salutari meo.* Cum Zacharia, Luc. 1. vers. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemtionem plebi suæ.* Jerusalem sancta erat civitas, in qua Deus & ignem & caminum suum habuit, *Esai. 31. v ult.* Si causam quæras, redditur, *Psal. 122. v. 3. 4.* quòd ædificata sit, ut illuc ascendant tribus ad confitendum nomini Domini. Vultis, ut & nostra civitas Deo sit accepta? Templum intrate & Altissimum extollite. Ubi enim laudes ejus decantantur, ibi præsentiam promisit. Ezechiel civitatem sanctam postremis capitibus descripturus, hoc nomen imponit. *Dominus ibidem*, cap. ult. vers. ult. Participes erimus ejusdem tituli, si in cultu & præconio divino simus assidui. Dicetur de nostra etiam civitate: *Ibi Dominus*, qui creavit: *Ibi Dominus*, qui redemit: *Ibi Dominus*, qui sanctificavit. *Ibi* & adoranda Sacrosancta Trinitas suum fixit Tabernaculum. O benè nobis, si hunc Dominum præsentem habeamus! quia in illo, & per illum omnia habemus.

Quatuor sunt, quæ civitatem extollunt. 1. Ampla *Privilegia*. 2. *Magistratus* clemens & munificus. 3. Firma *munitio*. 4. Rerum *copia* & ubertas. Hæc omnia gradu excellenti habere possumus, si Deo addicti maneamus ejúsque civitas simus. Ipse *Privilegia* largitur splendida, dum nos adoptat in filios, facit hæredes regni, cohæredes Christi, Reges & Sacerdotes, *Apoc.* 1. *v.* 6. Ipse *clementißimus* est, & subditos curat diligenter, ipse *murus igneus* est in circuitu nostro, *Zach* 2. *v.* 5. & vim omnem propulsat: Ipse nobis *prospicit*, & omnia, quibus indigemus, liberaliter procurat.

Quatuor res civitatem extollunt.
Quæ reperiuntur in Ecclesia.

Suscipite igitur Dominum tàm benignum: audite verbum ejus lubenti animo: apprehendite verâ fiduciâ: Diligite vos invicem; malas cogitationes abjicite: & nomen Domini exaltate. Ita civitas vestra, Dei civitas: ita cor vestrum, Dei sedes & habitaculum efficietur gratissimũ, quod ut contingat singulis, faxit is, qui potestatem faciendi omnia accepit, Dei nempè hominísque filius, Mediator unicus, semper benedictus, Amen.

EVANGELIVM DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

Matth. 22 à Vers. 1. usque ad 15.

De Nuptiis Christi cum Ecclesiâ.

V. 1. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, πάλιν εἶπεν αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς, λέγων.

ET respondit iterum Jeschua in Parabolis, inquiens:

VND Jesus antwortet/ vnd redet abermal durch Gleichnisse zu jhnen: vnd sprach:

2. ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ.	Aſſimilatur regnum cælorum viro regi, qui fecit conviviũ filio ſuo.	Das Himmelreich iſt gleich einẽ Könige/der ſeinem Sohn Hochzeit machete.
3. καὶ ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ, καλέσαι τοὺς κεκλημένους εἰς τοὺς γάμους, καὶ οὐκ ἤθελον ἐλθεῖν.	Et miſit ſervos ſuos, qui convocarent invitatos ad convivium, nec voluerunt venire.	Vnd ſandte ſeine Knechte auß / daß ſie den Gäſten zur Hochzeit ruffeten/ vnd ſie wolten nit kommen.
4. πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους, λέγων, εἴπατε τοῖς κεκλημένοις, ἰδοὺ τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα, οἱ ταῦροί μου καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα, καὶ πάντα ἕτοιμα· δεῦτε εἰς τοὺς γάμους.	Et rurſum miſit ſervos alios, inquiens: Dicite invitatis, ecce convivium meum paratum eſt, Tauri mei & altilia mea mactata ſunt; cunctaq; parata ſunt, venite ad convivium.	Abermal ſandte er andere Knechte auß/vñ ſprach/ ſaget den Gäſten/ſihe meine Malzeit habe ich bereitet/meine Ochſen vñ mein Maſtvieh iſt geſchlachtet / vnd alles bereitet / kom̃et zur Hochzeit.
5. οἱ δὲ ἀμελήσαντες ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ.	Illi autem ſpreverunt, & abiêre, alius quidem in villam ſuam, alius verò ad mercaturam ſuam.	Aber ſie verachteten das/vñ giengen hin / einer auff ſeinen Acker / der ander zu ſeiner Handthierung.
6. Οἱ δὲ λοιποὶ κρατήσαντες τοὺς δούλους αὐτοῦ, ὕβρισαν, καὶ ἀπέκτειναν.	Reliqui autem comprehenderũt ſervos ejus, & opprobrio affecerũt, ac trucidarunt.	Etliche aber griffen ſeine Knechte/ höneten vnnd tödten ſie.

7. ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ὠργίσθη, καὶ πέμψας τὰ στρατεύματα αὐτοῦ, ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνέπρησε.

Quod cum audiſſet Rex, excanduit: miſsisque exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem eorum concremavit.

Da das der König höret / ward er zornig / vñ ſchicket ſein Heer auß / vnd brachte dieſe Mörder vmb / vnd zündet jhre Statt an.

8. τότε λέγει τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ὁ μὲν γάμος ἕτοιμός ἐστιν, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.

Tunc dixit ſervis ſuis, convivium paratum eſt, illíque qui invitati fuerant, non erant digni.

Da ſprach er zu ſeinen Knechten: Die Hochzeit iſt zwar bereitet / aber die Gäſte warens nicht werth.

9. πορεύεσθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, καὶ ὅσους ἂν εὕρητε, καλέσατε εἰς τοὺς γάμους.

Ite ergò ad te exitus viarum, & quécunque inveneritis, vocate ad convivium.

Darumb gehet hin auff die Straſſen / vnnd ladet zur Hochzeit / wen jhr findet.

10. καὶ ἐξελθόντες οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι εἰς τὰς ὁδοὺς, συνήγαγον πάντας ὅσους εὗρον, πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς· καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων.

Et egreſſi ſervi illi in vias. congregârunt quoscunq; repererũt malos & bonos. Et impleta eſt domus convivij diſcumbentibus.

Vnd die Knechte giengen auß auf die Straſſen / vnd brachten zuſam̃en / wen ſie funden / böſe vnnd gute / vnd die Tiſche wurden alle voll.

11. εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους, εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου.

Ingreſſus autem Rex ut ſpectaret diſcumbentes, intuitus eſt illic hominem non indutum veſtimentis convivalibus.

Da gieng der König hinein / die Gäſte zu beſehen / Vnd ſahe allda einen Menſchen / der hatte kein Hochzeitlich Kleid an.

12. καὶ λέγει αὐτῷ, ἑταῖρε πῶς εἰσῆλθες ὧδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; ὁ δὲ ἐφιμώθη.	Et dixit ei: Socie mi, quomodo huc ingressus es, cum non habeas vestimenta convivalia? Ille verò obmutuit.	Vnd sprach zu jhm: Freund / wie bist du herein kommen/ vnd hast doch kein Hochzeitlich Kleid an? Er aber verstummet.
13. τότε εἶπεν ὁ βασιλεὺς τοῖς διακόνοις, δήσαντες αὐτοῦ χεῖρας καὶ πόδας, ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσαι ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.	Tum ait Rex ministris: Ligate manus ac pedes ejus, eúmque ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus & stridor dentium.	Da sprach der König zu seinen Dienern: Bindet jm Händ vnd Füsse/ vnd werffet jhn in dz eusserste Finsterniß hinauß/ da wird sein heulen vnd Zänklappen.
14. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.	Multi siquidem vocati sunt, pauci verò electi.	Denn vil sind beruffen/ aber wenig sind außerwehlet.

Homilia.

Duæ habitationes post mortem.



Uæ sunt habitationes hominum post mortem; *Infernus*, in quem præcipitantur impij, & *cœlum*, in quo colliguntur pij.

Infernus.

In *Inferno*, perpetuus est squalor, & dentium stridor, quia damnati habent *supra* se Deum iratum, *intra* se vermem mordenté, *juxta* se dæmones torquentes, unde nominatur lacus, in quo non est aqua, *Zach. 9. v. 11.* Carcer, *Matth. 5. v. 25.* & locus tormentorum, *Luc. 16. v. 28.*

Cœlum.

In *Cœlo* autem mera est gloria & lætitia. *Ibi* associamur Angelis & beatis. *Ibi* videtur Deus de facie

facie ad faciem: *Ibi* eſt lux ſine tenebris, pax ſine bellis, ſanitas ſine morbis, & vita ſine morte: *Ibi* eſt ſinus Abrahæ, *Luc.16.v.23.* & civitas Dei, *Heb. 12.v.22* & cœleſtis Hieroſolyma, *Apoc.21.v 1.ſeqq.* O *quando veniam eò, & apparebo, Domine, ante faciem tuam?* exclamat ex Pſalm. 42. v. 3. Auguſtinus in *Soliloq. cap. 35.*

Quùm Dei majeſtas in nube appareret, mox vivendi deſiderio tenebatur Moſes, & *Ibo,* ajebat, *ibo, & videbo viſionem hanc magnam,* Exod. 3. v. 3. Longè illuſtrior erit majeſtatis divinæ manifeſtatio in cœlo, quàm fuit in nube. Multô igitur magis ſuſpiremus eò, & cum Moſe dicamus: *Ibimus & videbimus viſionem hanc magnam.*

Neque facilè tàm demens aliquis ſuæque ſalutis adeò fuerit immemor, qui non ſeriò exoptet, beatis in cœlo adjungi. Omnes enim naturâ ſibi benè eſſe appetunt, & beatitudinem quærunt: Sed *proh dolor!* pauciſſimi ſunt, qui inveniunt. Pars hominum minima potietur optatis, & exaltabitur in cœlis. *In quod pauci perveniunt.*

Diviſus eſt mundus in *Paganos, Iudæos, Chriſtianos.* Illi & iſti, quia infideles ſunt, ſalvari nequeunt. Qui enim non crediderit, condemnabitur, *Marc. 16 v. 16.* Peribunt igitur contumaces Judæi, peribunt Turcæ & Tartari, peribit innumerabilis Barbarorum multitudo.

Porrò Chriſtianos quod attinet, hi ſunt *vel* hæretici, *vel* orthodoxi. *Hæreticorum,* & malè ſentientium, Deum immortalem! quanta ſeges: Quis neſcit Calvinianos, Pontificios, Photinianos, Anabaptiſtas, & ſimiles? Pereundum his etiam, ſi pertinacia accedat, & impœnitentia.

Supereſt *Orthodoxorum* pars minima, ob id puſillus grex dicta, *Luc. 12. v.32.* Sed neq; ex hoc grege omnes fiunt ſalvi. *Vix quarta pars* fructū facit & ſalvatur, ut Chriſtus docuit, *Luc.8. v.12. ſeqq.*

Quæ verò hujus mali cauſa? Et quî fit, quòd in cœlum tàm pauci aſſumantur? Num fortè renuit Deus omnes ſalvare? Num invidet plerisque beatitudinem.

Cauſam exponit Christus præſenti Evangelio.

Ad hoc graviſſimum ζήτημα Chriſtus ipſe jam reſpondet præſenti Evangelio, & veram, *cur plurimi damnentur*, cauſam παραβολικῶς oſtendit. Cōparat Eccleſiam & vitam æternam *nuptiis*, in quibus, *ipſe* ſit ſponſus, *Pater*, convivij ſtructor, *Præcones verbi*, invitatores, *nos*, invitati hoſpites. Parantur nuptiæ, vocantur invitati, expectat Sponſus & Pater. *Quid fit?* Renuunt, *heu!* renuunt ingrati homines, & venire nolunt. Alij quamvis veniant, immundi tamen ſunt, & veſte nuptiali carent, ideoque in tenebras mittuntur.

Hæ ſunt, hæ, inquam, ſunt præcipuæ damnationis cauſæ, nimirum *ſecuritas*, ſi venire nolimus: & hypocriſis, ſi absq; veſte nuptiali veniamus. Hinc fit, ut multi quidem vocati, ſed pauci electi ſint, id quod præcipuè hac parabolâ Chriſtus docere voluit.

Partes.

Partes cumprimis *duæ* ſunt.

Priori exprimitur *Nuptiarum præparatio*, unde apparet Dei φιλανθρωπία, *uſque ad v. 5.*

Poſteriori deſcribitur *invitatorum tum contemtus, tum indignitas & immundities*, unde ingratitudo hominum elucеſcit *à v. 5. uſq; ad fin.*

Propoſitio.

Nos *perſonas* principio Evangelij expreſſas paucis conſiderabimus, dicturi aliquid de *Deo Patre*, qui

qui parat nuptias,*& de Filio*, qui Sponſum agit in his ſacris nuptiis. *Vtrumque invocamus ſupplices, ut nos in audiendo attentos, in veniendo promtos efficiant, Amen.*

Ε'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

DAvid Propheta *Pſalm. 45.* qui Epithalamium myſticum eſt, ſic alloquitur Meſſiam, v. 3. *Speciosus formâ es, præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Verè habet ille labia gratioſa, & verba profert mellitiſſima, quod hodierno Evangelio ſatis teſtatum facit. In iſto proponit ſuaviſſimam de nuptiis parabolam & eidem totum ſalutis noſtræ negotium includit. *Simile,* inquit, *factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo*, q. d. vultis ſcire, ô homines, quomodo Pater meus cœleſtis erga vos animatus ſit? Dicam lubenter: Mihi ſimilis videtur Regi alicui potentiſſimo, qui filium deſponſat puellæ pauperculæ, & nuptias adornat ſplendidas, omnesq; ſubditos invitat clementiſſimè. O *quàm* ſuavia & gratioſa ſunt hæc verba, diligenti meditatione præ aliis digna! Nuptias celebrare, & nuptiis intereſſe jucundum eſt, ob varios lætitiæ & recreationis modos, ibi occurrentes. Jam regnum cœlorum conſideres, nuptiis ſimile eſſe, Christo teſte, comperies. Omnia igitur ibi jucunda erunt & delectatione pleniſſima, quam ob cauſſam in hanc comparationem diligenter inquirere debemus.

In vulgaribus nuptiis, quinq; cumprimis quæruntur & obſervantur: 1. *Quis* paret nuptias? 2. *Quis* ſponſus ſit & quæ ſponſa? 3. *Quale* futurum *Quæ ſpectentur in nuptiis.*

in nuptijs convivium? 4. *Quinam* sint invitatores? & 5. *Quinam* hospites? Eadem in mysticis Christi nuptiis occurrunt, quæ singula quum simul & semel pertractari nequeant; priora tantùm duo hac vice paulò pleniùs explicaturi sumus.

De Convivii cœlestis structore. qui Deus Pater.

I. De Convivii nuptialis structore. Hic nullus est alius, quàm Deus Pater, Creator cœli & terræ, qui in æterno suo arcanoq; consilio decrevit, ut unigenitus filius in mundum descenderet, Ecclesiam colligeret, collectam sibi despósaret, omnesque ad nuptiale convivium vocaret. Tribus autem modis Pater hic optimus describitur.

Describitur ille

Quoad majestatem dum Rex vocatur.

1. *Quoad majestatem*, quia *Rex* vocatur. Regis officio fungi magna est dignitas, eóque illustrior, quò amplius regnum fuerit. Jam verò qui nobis nuptias parat, Rex etiam est, imò regum Rex, & Dominus dominantium, *Apoc. 17. v. 14.* Regale igitur & magnificum instruet convivium. Reges enim quum nuptias adornant, cuncta splendidissimè apparari faciunt. Quanta fuit pompa in Ahasveri convivio, quod describitur *Esth. 1 v. 3. & seqq.* Si mundani Reges tàm sunt munifici, quid futurum putabimus in ipsius Dei nuptiis.

Deus habet quadruplex regnū

Habet verò hic Rex cœlestis regnum multiplex, & quidem (1) *regnum potentiæ*, dum totum universum gubernat, cœlumq; & terram implet, *Ier. 23. v. 23.* Hujus vasalli sunt omnes alii Reges, quippe qui ex manu ejus coronas suas accipiunt, ideoq; scribere, & fateri necesse habent: *Nos Dei gratia &c.* (2) *Regnum Iustitiæ*, quò damnati & dæmones

dæmones in inferno pertinent. Hos enim regit virga ferreâ *Psal.2.v 9.* & apud eos vindicatricem suam justitiam luculenter ostendit. (3) *Regnum gratiæ*, quod est Ecclesia, quam verbo colligit & Spiritu sancto gubernat, unde oramus: Adveniat regnum tuum, *ex Matth 6.v.10.* (4) *Regnum gloriæ*, quod est in cœlo inter beatos, quibus manifestat majestatem suam, ut perpetuo gaudio exultent, de quo regno sermo est, Matth. 25. vers. 34.

Et hæc posteriora duo regna præcipuè intelliguntur per βασιλείαν τῶν ὀυρανῶν, cujus in principio Evangelii fit mentio. Deus enim Rex cœlestis parat & celebrat nuptias, *tùm* in terris, apud Ecclesiam militantem, *tum* in cœlis apud Ecclesiam triumphantem. In hoc seculo inchoatur spirituale gaudium, & majestatis divinæ revelatio, sed in altero consummabitur.

2. *Quoad bonitatem.* Hanc Deus ostendit *tum* invitatores emittendo, de quibus alibi, *tum* omnia nobis necessaria præparando. Ita enim jubet proclamari. *Ecce! prandium meum paravi, venite ad nuptias v 4.* *Quoad bonitatem, quia paravit omnia.*

O Regem beneficum, qui omnia tàm maturè paravit in nostri gratiam! Nihil enim intermisit, quod ad salutem nostram necessarium fuit. Ipse nos dilexit, & elegit in Christo ante jacta mundi fundamenta, *Eph. 1. v. 4.* Ipse veniente temporis plenitudine, misit filium suum ex muliere factũ, *Gal. 4 v. 4.* Ipse æternam redemtionem invenit, dum iniquitates nostras in filium conjecit, *Esa.53. v. 6.* Ipse verbum suum annunciari jussit, ut ex ejus auditu consequeremur fidem, *Rom. 10. v. 17.*

Ecce, ut parata ſint omnia! ecce! paratum eſt regenerationis lavacrum, *Tit. 3. v. 5.* Parata eſt abſolutio, & peccatorum remiſſio, *Matth. 18. v. 18. Iohan. 20. v. 23.* parata eſt arrha & pignus hæreditatis æternæ, *Epheſ. 1. v. 14. Rom. 8. v 15.* Paratum eſt ſalutare viaticum Cœnæ, *1. Cor. 10. v. 16.* Parati ſunt angeli, qui excipiant animas noſtras, & portent in ſinum Abrahæ, *Luc. 16. v. 22.*

Videte, *chariſſimi*, qualem nobis Pater charitatem dederit, & quàm diligenter omnia præparârit! Ah venite ad nuptias, nec quicquam vos retardare patiamini. Invitatus ad amici convivium, juſto tempore comparet, nil moratur vel aliorum interpellationes, vel negotia in domo expedienda, ſed properat, ut hora indictâ adſit. Jam verò & nos invitati ſumus à magno cœlorum Rege: Parata ſunt omnia; & ipſe expectat: Veniamus ergò, & nos avocari minimè ſinamus. Si vel petulans caro, vel mundus in maligno poſitus, *Ioh. 5. v. 19.* remoram vult injicere, non audias, ſed dicas: *Veniendum mihi eſt, & properandum ad nuptias Dei mei. Parata ſunt omnia: Expectat Deus. Non emanebo, nec veſtras ineptias à tam ſanctis nuptiis me avocare patiar.*

Quoad juſtitiam quia recuſantes venire, punivit

3. *Quoad juſtitiam.* Hanc oſtendit, & exercuit puniendo ingratos, indignosque hoſpites. *Quidam enim noluerunt venire*: & hi ſunt ſecuri contemtores, *Quidam veniunt, ſed absque veſte nuptiali*: Et hi ſunt immundi hypocritæ, ſimulantes veram fidem & pietatem, à qua tamen alieni ſunt. Utrisque graviter ſuccenſet Rex cœleſtis. Nam contemtores perdi, & civitatem illorum ſuccendi, *verſ. 7.* Hypocritas verò ligari & in tenebras mitti, *v 13.* imperat.

Ecce

Ecce *fratres*, non tantùm bonus, & clemens est Jehovah noster, sed etiam justus & severus. *Duos pedes habet* (juxta Bernardum, Serm. 56. inter parvos) *Misericordiam & Iudicium. Neutrum debemus solum apprehendere.*

Si contemnitis misericordiam, veniet super vos judicium, & exardescet ira Altissimi. Quis princeps pateretur, si pro subditis parâsset convivium, at illi ex superbiâ emanerent? Ahasverus repudiavit Vasthi uxorem suam, quia vocata non venerat, *Esth. 1. v. 12. & seqq.* & Deus ad nostram securitatem & superbiam conniveret? Renuetunt venire ad sacras nuptias Antediluviani: Aquis absorpti sunt, *Genes. 7. vers. 19.* Sodomitæ flammas ultrices senserunt, *Gen. 19. vers. 24. 25.* Judæi succensâ urbe in varias terras dispersi sunt, juxta prædictionem Christi, *Matth. 23. v. 37. Luc. 19. v. 42.* Jam verò & nos vocati sumus: Emittit Deus servos suos, qui quotidiè per concionem verbi ad nuptias invitant: Venite igitur, nec contemnite: Regem potiùs cœlestem timete, quia gladium vibrabit, nisi conversi fueritis, *Psalm. 7. v. 13.* Servite ipsi cum tremore, ne pereatis de via. Beati autem omnes, qui confidunt in eo, *Psal. 2. vers. 11. 12. 13.*

II. De Sponso in sacris nuptiis. Hic est prædicti Regis filius. Ita enim habent verba, v. 2. *Simile factum est regnum cœlorum Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Jam uti per *Regem* Deus Pater, sic per *filium Regis*, unigenitus Dei Patris necessariò intelligendus est. Hic enim solus Ecclesiam redemit, & hic est unus ille vir, cui desponsati sumus, 2 *Cor. 11 v. 2.*

2. De Sponso in sacris nuptiis, qui Christus.

Tria

Cujus innuitur. Tria verò hîc observationem merentur:

Divinitas. 1. *Sponsi Divinitas.* Quia enim filius est Regis æterni & veri Dei, utique & ipsum Deum esse consequitur. Est omninò Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt, ut habet *Symbolum Nicenum.* Ipse est imago Dei invisibilis, *Col.1.v.15.* splendor gloriæ, & character substantiæ ejus, *Hebr.1.v.3.* Ipse est verbum, per quod omnia facta sunt, *Ioh.1.v 3.* cujus egressus est ab æternitate, *Mich.5.v.2.* qui fuit antequam Abraham esset, *Ioh.8.v.58.* Quia igitur verus Deus est, hinc sequitur, ipsum esse potentiâ valentissimum, decore formosissimum, vita immortalem, virtute præstantissimum, omniscium, omnisapientem & omnia gubernantem. Quis non lubenter avidéq; ad nuptias hujus sponsi veniret, ut ejus ornatum splendoremque intueri posset? Ipse cœlestis Salomon est, & Rex pacis, de quo Cant.3.v.11. dicitur: *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomon in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Quum Saulus in regem Israelis electus esset, accurrit omnis populus, & clamavit, *Vivat Rex*, 1.Samuel.10.v.24. Nos multò magis veniamus in occursum nostri Regis, sponsi cœlestis, & cum plausu jubiloq; illum excipiamus.

Humilitas 2. *Sponsi Humilitas*, quæ inde satis apparet, quòd ex genere humano sibi sponsam elegerit. Ecclesia enim est, vel nos miseri homunciones sumus, quos sibi desponsavit, *Ose 2.v.19 Eph.5.v.25.* Quænam quæso major posset esse humilitas, quàm quòd altissimi filius, ipse altissimus, nos

qui

qui inimici ejus, nos qui peccato infecti eramus, nos inquam peccatores adeò dilexit, ut connubiale fœdus nobiſcum iniri non dubitârit? Cogitate ipſius majeſtatem & noſtram imbecillitatem: Quàm magna ſponſi ſponſæq; diſſimilitudo ſit, facilè intelligetis. Ipſe eſt formoſiſſimus, *Pſ. 45. v. 3.* Nos pulcritudine caremus. Formavit quidem Deus parentes noſtros ad imaginem ſuam, *Gen. 1. v. 26.* Sed hei! amiſſa eſt per peccatum, & ſucceſſit ingrata deformitas. Ipſe ortu eſt Dei filius, nos caro de carne ſumus, *Iohan. 3. v. 6.* Ipſe ſolus bonus eſt, imò eſſentialis bonitas, *Matth. 19. v. 17.* nos immundi ſumus, *Iob. 14. v. 4.* & figmentum cordis noſtri malum eſt à pueritia, *Geneſ. 8. verſ. 21.* Ipſe dives eſt, & cuncta poſſidet; nos pauperes ſumus, ſpoliati à latronibus inferni, *Luc 10. verſ. 30.* Ipſe humanus & mitis eſt, *Matth. 11. verſ. 30.* Nos rebelles ſumus, & frontis ferreæ. Nihilominus tamen nos amavit, & ſibi deſponſare voluit. Pulcritudo ſibi copulat deformitatem, Deus hominem, Bonitas peccatum, Opulentia paupertatem, Manſuetudo duritiem. O gratiam ſine modo, ô charitatem ſine exemplo! Quis hæc dignè ſatis vel ore proloqui, vel cogitando aſſequi poteſt.

3. *Noſtra dignitas.* Si enim Chriſto deſponſamur, utique ad ſummum honoris gradum evehimur. Si Chriſti ſponſa ſumus, utique *Deus Pater* erit ſocer noſter, qui de neceſſariis proſpiciet: *Deus filius* erit maritus noſter, qui potenter defendet: Deus Spiritus S. erit *Amicus noſter*, qui gratiosè diriget: Sancti Angeli erunt *cuſtodes & miniſtri noſtri*, qui in manibus ſuis portabunt, & adverſus

versus hostes nostros dimicabunt. *Gloria sit in excelsis Deo*: Misericordia ejus à progenie in progenies, *Luc.2.v.13.cap.1.v.50.*

Si Christi sponsa sumus, utique nos sincerè diliget, ut Jacob suam Rachelem, *Genes.29.vers 20.* & multifariam ornabit, ut Ahasverus suam Estheram, *cap.2.vers.17.* & suaviter alloquetur, ut Tobias suam Saram, *cap.8. v. 4.* Ipse sua nobis bona communicabit omnia, & nobis adhærebit in æternum. Evam quum videret Adamus, mox amore incensus est, &, *Hoc*, inquit, *os est ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Genes.2. v. 23. Ita & Christus nos amplectetur, & cuilibet nostrûm dicet: *Tu os ex ossibus meis, & caro de Carne mea.* O honorem, ô dignitatem ineffabilem! *Gloria sit in excelsis Deo*: Misericordia ejus à progenie in progenies.

Arrha Christi, quinque gemmis coruscа.

Si Christi sponsa sumus, utique & arrham ab ipso accipiemus. Dat omninò preciosissimam arrham, insignem annulum, quinque gemmis coruscum, quæ describuntur, *Oseæ.2.v.19.* Prima gemma est *Iustitia*, quam partim imputat, partim in nobis per regenerationem efficit. Secunda est *Iudicium*, quo Ecclesiæ defensionem, & ab hostibus vindictam promittit. Tertia est *immensa gratia*, quâ nos quotidiè prosequitur. Quarta est *multiplex miseratio*, quâ nævos adhærentes tegit, & remittit. Quinta denique est *fides*, quam in nobis excitat, ut ad Deum accedere, *Roman.5. vers.8.* ignita tela extinguere, *Eph 6 vers.16.* & mundum vincere valeamus, 1. *Ioh.5.v 4.* *Gloria sit in excelsis Deo*, Misericordia ejus à progenie in progenies.

Quum

Quum igitur tanta bona in Christi nuptiis parata nobis esse sciamus, certè nos ultrò venire, & cum desiderio Christum amplecti debemus. Ita enim in hac vita præ aliis ab ipso diligemur, & tandem in æternum palatium transferemur, ubi Deus Pater veluti charissimus socer nos excipiet, ubi Christus sponsus nos amplectetur, ubi Spiritus S. exhilarabit; ubi Angelis & beatis omnibus hospites acceptissimi erimus.

Veni Domine Iesu, Sponse cœlestis, veni citò, & introduc nos in regnum tuum ad æternas nuptias, ut læti canamus ex Apoc. 19. v. *6.* & 7. *Halleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni*, Halleluja.

EVANGELIUM
DOMINICA XXI. POST
TRINITATIS,

Iohan. 4. vers. 46. usque ad fin.

De Sanato Reguli filio.

v. 46. ΚΑὶ ἦν τις βασιλικὸς οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ.	ET erat in Capharnachum servus regius quidam, cujus filius ægrotabat.	VNd es war ein Königischer / deß Son lag kranck zu Capernaum.
47. Οὗτος ἀκούσας, ὅτι Ἰησοῦς ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ ἠρώτα αὐτὸν	Iste audiit venisse Jeschua ex Jihoudæa in Galilæã, & profectus est ad eum: petiitq; ab eo	Dieser höret/das JEsus kam / auß Judea in Galileã/ vnd gieng hin zu jhm / vnd bat jhn/

ἵνα καταβῇ καὶ ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν. ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν.

ut descenderet, & sanaret filiũm suũ, propè enim erat ut moreretur.

das er hinab kãme/ vnd hülffe seinem sohn / denn er war todt kranck.

48. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτόν, ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε.

Dixit ei Jeschua, Nisi signa & miracula videritis, non credetis.

Vnd JESus sprach zu jhm/ wenn jhr nicht Zeichen vnd wunder sehet/ so glaubet jhr nicht.

49. λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλικός, Κύριε, κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου.

Dixit ei servus ille regius, Domine mi, descende priusquam mortuus sit puer.

Der Königische sprach zu jhm: HErr/ kom̃ hinab/ ehe denn mein Kind stirbt.

50. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, πορεύου, ὁ υἱός σου ζῇ. καὶ ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐπορεύετο.

Dixit ei Jeschua, Vade, filius tuus vivit. Et credidit vir ille sermoni, quem dixerat ei Jeschua, & abiit.

Jesus spricht zu jhm/ gehe hin/ dein Sohn lebet. Der Mensch glaubte dẽ wort / das JEsus zu jhm sagte / vnd gieng hin.

51. ἤδη δὲ αὐτοῦ καταβαίνοντος, οἱ δοῦλοι αὐτοῦ ἀπήντησαν αὐτῷ, καὶ ἀπήγγειλαν λέγοντες, ὅτι ὁ παῖς σου ζῇ.

Quum autem descenderet, obviam facti sunt ei servi ipsius, & annunciãrunt ei dicentes: Filius tuus vivit.

Vnd in dem er hinab gieng / begegneten jm seine Knechte/ verkündigeten jm/ vnd sprachen: Dein Kind lebet.

52. ἐπύθετο οὖν παρ᾽ αὐτῶν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε. καὶ εἶπον αὐτῷ, ὅτι χθὲς ὥραν ἑβδό-

Et sciscitatus est ab eis, quonam tempore sanitati restitutus fuisset. Dicunt ei, Heri se-

Da forschet er von jhnen die stunde / in welcher es besser mit jhm worden war. Vnd sie

μην

μὴν ἀφῆκεν ἀυτὸν ὁ πυρετός.

ptima hora reliquit eum febris.

ſprachẽ zu jm: Geſtern vmb die ſiebende ſtunde verließ jhn dz Fieber.

53. ἔγνω ȣ̃ν ὁ πατὴρ ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ ἐν ᾗ εἶπεν ἀυτῷ ὁ Ἰησȣ̃ς, ὅτι ὁ ὑιός σȣ ζῇ. καὶ ἐπίϛευσεν ἀυτὸς, καὶ ἡ οἰκία ἀυτȣ̃ ὅλη.

Et agnovit Pater ejus id contigiſſe ea ipſa hora, qua dixerat ei Jeſchua, Filius tuus vivit. Et credidit ipſe,& domus ejus tota.

Da mercket der Vater / dz vmb die ſtunde were/in welcher Jeſus zu jhm geſagt hatte. Dein Sohn lebet/vnd er glaubet mit ſeinem gantzen Hauſe.

54. Τȣ̃το πάλιν δεύτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ἰησȣ̃ς, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰȣδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

Hoc ſignum ſecundum rurſum edidit Jeſchua, quũ veniſſet è Jihoudæa in Galilæam.

Das iſt nun das ander Zeichen/ das JEſus thet / da er auß Judea in Galileam kam.

Homilia.



RÆSENS Evangelium non immeritò vocari poſſet *Speculum vitæ Chriſtianæ.* Deſcribit enim noſtrũ & ſtatum & officium in hoc mundo: *Statum* in Reguli filio: *Officium* in parẽte. Filius *patitur*; Unde Chriſtianos cruci ſubjectos eſſe diſcimus. Parens Chriſti *auxilium implorat*,& poſtquã impetravit, debitas *grates perſolvit*. Atq; hoc noſtrum eſt officium, ut nimirum ſub cruce oremus,& poſt liberationem Deum celebremus. Quatuor enim ſunt in vitâ Chriſtiani connexa 1. Pati. 2. Orare. 3 Exaudiri. 4. Grates agere. Nam quotidiè tribulamur, & idcircò Deus invocandus eſt, qui nos tandem eruit;

Hoc Evangelium eſt vitæ Chriſtianæ ſpeculum.

Quatuor connexa.

& tum à nobis glorificari debet, juxta illud Psaltis: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me*, Ps. 50. v. 15.

Studiosi requisita. A studioso tria requiruntur: 1. *Vt* matriculæ insertus Academiæ legibus se subjiciat. 2. *Vt* vitam rectè instituat. 3. *Vt* specimen aliquod suorum profectuum edat. Jam verò Christiani omnes studiosi sunt in Dei Academia, quæ est Ecclesia: Quare oportet ipsos 1. *Legibus se submittere*, inter quas & hæc est, quòd per multas tribulationes in regnum cœlorum debeamus ingredi. 2. *In Scholâ crucis rectè se gerere*; quod fit per preces indefessas & fidelem perseverantiam. 3. *Specimen exhibere*, quo nullum est præstantius, quàm ad Christum converti, & ejus gloriam propagare.

Hæc omnia Regulus suo exemplo docuit & illustravit, ut *Christianæ πράξεως idea* rectè nuncupari possit. Nam 1. Crucem ex infirmitate filii ortam patienter tulit. 2. Ad Christum confugit; & licet repelleretur, precando tamen institit, donec promissio exauditionis fieret. Tandemq; 3. & ipse & tota domus ejus credidit. Hæc vera Scholastici Christiani προκείμενα sunt, de quorum imitatione semper soliciti esse debemus.

De hisce igitur occasione præsentis Evangelii paulò pleniùs differemus, dicturi

Propositio. 1. De *Cruce*, omnibus Christianis ferenda.

2. De *nostro* sub cruce *officio*.

3. De *gratiarum actione* post crucem debita.

Deus det gratiam, ut hæc rectè meditari, & virtutes Reguli semper imitari valeamus. Amen.

PARS

PARS I.

De Cruce omnibus communi.

CHriſtianos ſingulos ſæpè affligi & plurima pati, prolixâ probatione non indiget. Quivis pius hoc plus quàm ſatis experitur, ut quotidiè gemendum ſit ex Pſal. 80. v. 6. *Ah Domine cibas nos pane lacrymarum!*

In hodierno Evangelio habemus exemplum geminum, quippe in quo ante oculos nobis proponitur: 1. Filius *Patiens.* 2. Pater *Compatiens.*

Filius erat in florida ætate conſtitutus, & abundabat omnibus, crucem tamen effugere haut potuit. Nam *infirmabatur corpore,* v. 46. quia ὁ πυρετὸς vel febris ardens, v. 52. omnes vires abſumſerat & omnia membra ſic debilitârat, ut nîl niſi mortis indicia undique apparerent. Idem apud nos multi hoc anno experti ſunt juvenes, multos lecto affixit febris æſtus; ut cum Reguli filio queri & lamentari neceſſe habuerint. *Filius patiens.*

Verùm non tantùm filium crux invaſit, longiùs progreſſa eſt, *Parentis* quoq; animum preſſit, & in mœrorem conjecit. Nominatur ille βασιλικὸς, v. 46. non quidem quòd regiâ majeſtate fuerit præditus, ſed procul dubio, quia Regis fuit officiarius, & in magnâ apud Regem exiſtimatione conſtitutus. Aſt ipſi jam parùm prodeſt vel generis nobilitas, vel reguli autoritas: Patiendum nihilominus. Videre cogitur languorem, & timere mortem filii ſui, quem interpp. putant fuiſſe unicum, quia nec nomine, nec alio ſigno diſtin- *Pater compatiens.*

diſtinguatur ab aliis, ſed dicatur abſolutè: *Reguli filius infirmabatur in Capernaum.* Hoc igitur dolorem vehementer auxit, quòd hunc unicum, & unicè charum per repentinam mortem amittere deberet. Sperabat illum fore columnam familiæ, & baculum ſenectæ: ſed nunc febri exhauſtum & morti vicinum aſpicit. Varia tentavit remedia, ſed fruſtrà: Creſcebat morbus, & decreſcebant vires, unde parentis animus magis magisq; torquebatur, ut quid conſilii ſuſcipiendum eſſet, vix invenerit.

Omnibus Chriſtianis patiendũ eſt.

Quod autem Regulo ejusq; filio contigit, hoc ſingulis & univerſis uſuvenire aſſolet. Patiendum eſt, Crux ferenda eſt: hæc ſors, hic ſtatus Chriſtianorum omnium. Erras, ſi meras tibi delicias imaginaris. Multiplex afflictio eſt quotidiana noſtra cibatio. Trübſal vnd Noht / Iſt der Chriſten täglich Brodt. Ita fuit ab initio Eccleſiæ, ita erit usq; ad conſummationem ſeculi.

Exempla ſanctorum

In Paradiſo ſtatim crux & anguſtia invaſit πρωτοπλάστους, quum audirent vocem Dei indignantis & ob lapſum maledicentis, *Geneſ. cap. 3 verſ. 10.* Quanto illos dolore putas correptos fuiſſe, quum Caini horrendum fratricidium, & Abelis innoxii cædem intelligerent? *Gen. 4. verſ. 8.* *Noachi* preſſuram inter antediluvianos, & annuam captivitatem in arca, variasque moleſtias inter animalia quis ignorat? Nec incognita eſt *Lothi* afflictio, qui ab hoſtibus abductus, *Gen. 14. v. 12.* & bonis in incendio Sodomitico, uxore ſua in itinere privatus eſt, *Gen. 19. v. 23.* Quis neſcit peregrinationes *Abrahami*, exilium *Iacobi*, carcerem *Ioſephi*,

preſſuram

pressuram *Mosis* in deserto, & reliquorum Patrum infortunia? *Iobum* exercuit Deus per ablationem bonorum & ulcera, *Davidem* per Saulum, *Ezechiam* per morbum, *Ieremiam* in lacu, *tres Viros* in fornace ignea, *Danielem* in Leonum fovea, *Baptistam* per vincula, *Stephanum* per lapides, *Paulum* per gladium, & *Apostolos* omnes per varias persecutiones.

Nec singuli tantùm sub cruce laborant: tota Ecclesia premitur, & calamitates plurimas semper experitur.

Praxis Ecclesiæ veteris.

In V. Testamento quantum pressa est in Ægypto, servitutis domo, sub Regibus gravissima onera imponentibus? Pòst, licet forti manu Domini educeretur, multa tamen pericula in deserto venerunt subeunda. His exantlatis, dimicandum fuit cum hostibus, ut expellerentur è terrâ Canaan. Nec defuerunt sequenti tempore adversarii. Testis est historia Judicum, in quantas sæpè angustias fuerint conjecti: Testes sunt Regum annales, in quibus tumultus bellici, & pressuræ populi describuntur. Invaluit inde idololatria, & piorum suppressio, unde factum ut tandem ex justa Dei vindicta in Captivitatem Babylonicam sint abducti. Patiendum tibi fuit per integros 70. Annos, quibus finitis, non nisi summa cum difficultate in patriam redierunt, & Hierosolymam ædificare cœperunt. Surrexit postmodum Antiochus, aliique tyranni, à quibus plurima sunt perpessi. Multæ insuper in doctrinam corruptelæ illatæ per Pharisæos, qui nova præcepta, variosque cultus electitios excogitârunt.

Praxis Ecclesiæ Novi Testamēti. Nec melior ſors fuit in Novo Teſtamento. Veniente Chriſto, commota eſt omnis Judæa; Apoſtolis ad prædicandum exeuntibus, varia impedimenta objecta ſunt. Diſſeminato Evangelio & quodammodo conſtitutâ Eccleſiâ, cœpit *ſeculum violentiæ*, ubi ſub Romanis perſecutoribus multa millia Chriſtianorum cæſa ſunt. Deinde ortum ſumſit *ſeculum fraudulentiæ*, ubi Eccleſia per hæreſes ſubinde pullulantes disjecta, miſeréque concuſſa fuit. Geminatum tandem eſt malum, cœpitque *ſeculum fraudulentiæ & violentiæ*, quando Romani Epiſcopi degenerârunt in filios perditionis, & Eccleſiam partim falſis dogmatibus impleverunt, partim minis armisq; ſubegerunt, quæ calamitas maximè fuit diuturna, donec Deus noſtri miſertus Eccleſiam ſuam miniſterio fidelium Paſtorum purgârit, & veram Evangelii lucem clementer reſtituerit.

Sed neque poſt reformationem illam deſunt anguſtiæ: Ex *una* parte ſævit adverſus nos *Anti-Chriſtus*, ex altera ſurgunt *hæretici & fratres falſi*, ut ita querelam Davidis cogamur repetere, ex Pſalm. 129. verſ. 1. *Sæpè afflixerunt me à juventute mea &c.*

Eandem ſortem omnes experiri cogimur. Quum igitur à primordio mundi omnes pii ſubjecti fuerint cruci, feliciorem ſanè ſortem expectare non poſſumus. Nec enim Patribus noſtris meliores ſumus: Quare ad patiendum nos maturè præparemus. Qui non bajulat Crucem ſuam, Chriſti diſcipulus eſſe nequit, *Luc. 14. v 26.* *In mundo preſſurā habebitis*, inquit Salvator ipſe, *Johan. 16. v. ult.* Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, *Actor. 14. verſ. 21.*

Nemo periculis moveatur, Nam in hoc positi sumus, *1. Theß. 3. v. 3.* Qui piè volunt vivere, persecutiones patientur, *2. Tim. 3. v. 12.* Nolite igitur, tanquam ad rem peregrinam obstupescere, *1. Pet. 4. v. 12.* Lilium estis, sed inter spinas, quæ sæpiùs pungunt, *Cant. 2. v. 2.* Milites estis, qui hostium insultus crebrò sentiunt. Viatores estis, quibus adversa multa contingunt. Nondum enim in patria, sed adhuc in via sumus, ubi jam latrones orci nos invadunt, jam tempestas persecutionum oritur, jam in solitudine versandum, aut aliud periculum subeundum est. Israelitas priùs oportuit in deserto peregrinari, antequam in terram Canaan introducerentur: Ita in cœlestem patriam venire non datur, nisi priùs in mundi deserto varios labores exantlaverimus. Ad crucem igitur ferendam maturè te componas: Patiendum est cum Regulo regulíque filio: si non decumbis ipse, amicos tamen decumbentes habes, vel aliud periculum experiri cogeris, ita quidem, ut si nunc quæstio de cujusvis statu esset instituenda, omnes absque dubio lamentaturi sint cum Davide: *Ah Domine, die ac nocte gravata est super me manus tua*, Psalm. 32. vers. 4.

Pars II.

De nostro sub cruce officio.

QUùm omnes Cruci simus subjecti, propterea veram patiendi artem eò diligentiùs addiscere debemus, Nec enim crucem ferre satis est, sed benè ferre placet Deo & compensatur præmiis. In hoc autem Regulus ad imitationem proponitur, qui nobis suo exemplo regulas *Regulæ crucis.*

præſcripſit, quas diligenter obſervare neceſſarium eſt.

1. Patienter feras. Prima ſic habet: Patienter feras. Nec enim murmurandum ſub cruce, ſed patiendum cum omni manſuetudine. Nihil legimus de Reguli impatientia: in voluntate Dei acquievit, & duriter exceptus à Chriſto, expoſtulare cum illo noluit. Hæc prima virtus eſt, à nobis requiſita, ut patientes ſimus, nec contra ſtimulum calcitremus. Carni quidem crux moleſta eſt, & ſæpius latrare illa incipit, quando calamitas accreſcit. Moſes murmurabat in deſerto, *Num. 11. verſ. 12.* Jobus maledixit diei ſuo, *cap. 3. verſ. 1. ſeqq.* David ſæpè iteravit ſuum usque quò, *Pſalm. 6. v. 4.* Nos autem reſiſtamus carni, ejúsque murmur pro virili compeſcamus, quod eò fiet faciliùs, ſi præcipuos crucis uſus cogitaverimus. Multi eorum ſunt, ſed illos tantùm videbimus, quos Reguli exemplum ſuppeditat.

Quia crux humilitatem gignit. 1. *Crux humilitatem gignit.* Nam ex morbo filij agnovit Regulus humanam imbecillitatem, quam nec generis præſtantia, nec opum abundantia poteſt avertere. Multi criſtas erigerent, niſi Deus per crucem illos deprimeret. Pharao maximè fuit elatus, *Exod. 5. v. 2.* ſed per plagas ita eſt humiliatus, ut tandem populi dimiſſionem promiſerit. NebucadNezar ob extructam Babel ſuperbiebat, *Dan. 4. verſ. 17.* ſed hominum contubernio ejectus tandem benedixit Altiſſimo, *verſ. 31.* Antiochus ſummè arrogans, per morbum ita depreſſus eſt, ut infirmitatem ſuam seriò agnoſceret, *2. Maccab. 9. v. 12.* Sic igitur diſcant ſuperbi cum Davide fateri, ex Pſalm. 119. v. 21. *Bonum*

est mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas.

2. *Crux ad Christum adducit.* Regulus hic pedem in Christi gratiam vix extulisset: sed morbus filij eum expellit, & ad Christum accurrere facit. Idem confirmat exemplum Centurionis, *Matth.* 8 *vers.* 5 Cananææ. *Matth.* 15. *v.* 5. Patris lunatici, *Matth.* 17. *v.* 14 Surdi muti, *Marc* 7. *v.* 32. & Jairi, *Luc.* 8 *v.* 41. Sagitta infixa corpori, ad remedium quærendum instigat: Sic afflictio dolorem pariens ad Deum adducit. Cervus hominem alioqui maximè timet, à canibus tamen si urgeatur, suâ sponte ad hominem fugit: sic tribulationes sæpè ad Christum compellunt homines, quem antea contemserunt. *Vnde igitur plangis quod pateris? Medicina est, non pœna*, inquit Augustinus. *Ad Christum adducit.*

3. *Crux homines devotos reddit.* Regulus jam nihil curat voluptates, & pompam seculi, sed in eo totus est, ut auxilium à Christo impetret. Hæc enim adflictionis vis est, ut à deliciis abducat. Sagittæ Dei acutæ sunt; quùm infiguntur, pungunt, & desideria mundana frangunt. Pueri amaritudine quadam à lacte matris separantur. Sic fideles per absynthium crucis à temporali voluptate avocantur. Deus nobis iter facit asperum, ne, dum delectamur in via, obliviscamur eorum quæ sunt in patria. Hinc *Lutherus* rectè: *Devotos reddit.*

Qui cruce non premitur, malè vivere creditur ille.

Quod enim flagellum grano, hoc facit tribulatio viro justo, ait *Chrysostomus* Hom. 5. in Matth.

4. *Crux orare docet.* Hactenus siluit noster Regulus; jam clamat, & Christum invocat. Ita *Orare docet.*

Crux

Crux Magiſter orandi eſt optimus. Quùm Apoſtoli viderent ſeſe in mari periclitari, clamabant, *Domine ſalva nos, perimus*, Matth. 8, v. 25. Sic eò ardentior ſemper eſt oratio, quò major crux & tentatio.

Tanta igitur bona quùm à cruce veniant, utique nullam murmurandi cauſam habemus, ſed potiùs patienter feramus, ſi adverſa incidunt. *Deus enim flagellat, ut emendet, & emendat ut ſervet*, quemadmodum pulcrè *Cyprianus* loquitur.

2. Ardenter ores. Secunda Regula eſt: Ardenter ores. Precum non obliviſcitur Regulus, ſed Chriſtum videns, auxilium ejus diligenter implorat. Orandum eſt in cruce, & precibus inſtandum apud Altiſſimum. Hic enim ſolus noſter eſt Medicus, *Exod. 15. v. 26.* & Magiſter ad ſalvandum, *Eſai. 36. v. 1.* & tutum propugnaculum, *Nahum. 1. v. 7.* Qui ergò cruce premitur, qui vel ipſe ægrotat, vel domi ægrotantes habet, is cum regulo Chriſtum accedat, & devotè dicat: *Domine,* tu potens es, ut ſanare poſſis; & bonus es, ut neminem ultra vires affliges. Juva igitur, & ſana, ut illuſtretur tua gloria. Preces hujusmodi cœlum penetrabunt, audiet Salvator & juvabit, juxta promiſſionem, *Eſa. 65. v. 24.* Si auxilium differat, inſtes precando, donec exaudiaris. Regulus durum audiebat verbum, v. 48. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis;* Nec tamen receſſit, ſed ſumto animo orare perrexit, v. 49. *Domine, deſcende, priusquam moriatur filius meus.* Increpa, *bone Ieſu*, quando velis, inſtrue quoties placet: Nunc calamitas mea non patitur moram, veni igitur & juva, ut ſanetur filius. *His precibus* fuſis mox audit verbum lætiſſimum, v. 50.

Vade,

Vade, filius tuus vivit. Tanta nimirum orationis vis est, ut vincat invincibilem, & cuncta impetret nobis necessaria. Ut enim populus Israeliticus sternebat hostem, quamdiu Moses elevabat manus, *Exod. 17. v. 11.* Ita si ad Dominum & cor & manus attollamus, sine auxilio nunquam dimittemur. Magna enim est Dei misericordia, quasi pluvia est in tempore siccitatis, *Syr. 38. v. 26.*

Tertia Regula est: Firmiter credas. In principio deesse videbatur regulo vera fiducia, ideoque Christus ait, *Nisi signa videatis, non creditis.* Pòst autem percepto responso benevolo; mox credidisse ipsum, velut admirabundus refert Evangelista, v. 50. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.* Annón enim mirandum est, hominem illum, antè infidelem, ad unius verbi prolationem tàm firmam fidem concipere, ut nihil contrà disputet, sed Christum absentem quoque sanare posse confidat? Maxima hæc virtus est, quæ vel sola in adversitatibus nos sustentat. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, *1. Joh. 5. v. 4.* Si fidem habeas, cuncta impetrare poteris, ut ex catalogo sanctorum patet, *Hebr. 11.* Habere autem illam facilè possumus, si verbo Christi diligenter attendamus. Hoc enim fidei medium est, quod omnem dubitationem adimere debet. Uti Regulus verbo statim credidit, ita & nostrum est, Christo dicenti confidere. Dubitas de ejus gratiosâ præsentiâ? Ecce verbum Matth. 18. v. 20. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum.* Dubitas de peccatorum venia? Ecce verbum Joh. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Dubitas de divino auxilio?

3. Firmiter credas.

lio? Ecce verbum Esai. 43. v. 1. *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu.* Ne ergò ambigas, sed divinis promissionibus fidem habeas, ut de te etiam dici possit: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus.*

PARS III.

De gratiarum actione post crucem debita.

Vis precationis.

FIdelem precationum semper excipit clemens exauditio. Regulus enim impetravit, quod voluit, & filium febri liberatum invenit. O verè magnam vim orationis! ô quàm multū valet deprecatio justi assidua, *Iac. 5. vers. 17.* Hæc mare divisit, *Exod. 14. vers. 21.* ora leonum obstruxit, *Dan. 6. v. 16.* & catenas dissolvit, *Actor. 12. vers. 5. 6.* Oratio terram dehiscere, *Num. 16. v. 31.* Solem stare, *Ios. 10. v. 12.* & ignem è cœlo decidere fecit, *2. Reg. 1. v. 9.* De exauditione igitur non dubitemus: Fiet nobis sicut volumus & benevolum responsum accipiemus. Post crucis verò mitigationem nostri non obliviscamur officij, sed debitam Deo gratitudinem declaremus.

Grati simus 1. Beneficium considerando.

Fit hoc 1. *beneficium divinum considerando.* Regulus interrogat Servos, & omnia inquirit, ut magis magísq; clarescat auxilium CHRISTI. Ita consideremus, quæ nobis fecit Dominus, & ejus clementiam agnoscamus. Multi è malis liberati opus Altissimi non attendunt; sed vel fortunæ, vel suæ prudentiæ adscribunt. Ingratitudo hæc est, quæ fontem benedictionis divinæ facilè exiccat.

2. *Laudes ei decantando.* Nullum est dubium, quin Regulus hymnum Eucharisticum cecinerit, pro liberatione filij. Sic & nos accepto beneficio, laudemus benefactorum Dominum. Melchisedech post cæsos ab Abrahamo hostes, benedixit Deo, *Gen. 14. v. 20.* Ita & nostram elevemus linguam, & nomen Domini prædicemus. *2. Laudes decantando.*

3. *Deum semper colendo.* Non sufficit gratiarum actio verbalis: placet Deo præcipuè realis, quando nos ad ipsum totos convertimus, & nostros in timore ejus educamus. Fecit hoc regulus, de quo dicitur vers. 53. *quòd & ipse & tota domus ejus crediderit.* Hæc optima est gratitudo, quâ nulla major est, nec DEO acceptior. O quàm benè est omnibus iis, de quibus simile affirmari, dicíque potest: *Credit hæc vir, & domus ejus universa.*

Sed de hoc alio tempore plura. *Faxit Deus benignissimus,* ut crucem, quam imponit, rectè feramus, ut auxilium ejus in cruce sentiamus, & tandem liberati debitas gratias referamus: Ipsi laus sit, & honor, & εὐλογία nunquam finienda, Amen. *3. Deum colendo.*

EVANGELIUM

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

Matth. 18. vers. 23. usque ad finem.

De magno & ingrato debitore.

V. 23. ΔΙὰ τȣ̃το ὡμοιώθη ἡ	PRopterea assimilatũ est regnũ	DArum ist das Himmelreich βασιλεία

βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε συνᾶραι λόγον μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ.

cœlorum viro regi, volenti recipere rationem à servis suis.

gleich einem Könige/ der mit seinẽ Knechten rechnen wolt.

24. ἀρξαμένου δὲ αὐτοῦ συναίρειν, προσηνέχθη αὐτῷ εἷς ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων.

Et cum incepisset recipere, obtulerunt ei quendam debitorem decies mille talentorum.

Vnd als er anfieng zu rechnen/ kam jhm einer für/ der war jhm zehen tausend Pfund schuldig.

25. μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι, ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ πραθῆναι, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἀποδοθῆναι.

Quúmq, is non haberet unde solveret, jussit eũ Dominus ejus venundari, uxorémq; ac filios ejus, quicquid deniq; habebat, ut solveret.

Da ers nun nit hatte zu bezahlen/ hieß der Herr verkauffen jhn vnnd sein Weib/vnd seine Kinder/vnd alles was er hatte/ vnd bezahlen.

26. πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος προσεκύνει αὐτῷ, λέγων, Κύριε, μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ πάντα σοι ἀποδώσω.

Et procidens servus ille, adorabat eum, inquiẽs, Domine mi, longanimis esto erga me, & omnia tibi rependam.

Da fiel der Knecht nider/ vnd betet jhn an/ vnnd sprach: Herr habe gedult mit mir/ ich will dirs alles bezahlen.

27. σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἀπέλυσεν αὐτὸν, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ.

Et misertus est Dominus servi illius, ac dimisit eũ, debitúmque ipsius remisit ei.

Da jamert den Herren desselbigen Knechts / vnd ließ jhn loß / vnnd die Schuld erließ er jhm auch.

28. Ἐξελθὼν δὲ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, εὗρεν

Exiit autem servus ille, & inve-

Da gieng derselbig knecht hinauß/

ἕνα

ἕνα τῶν συνδούλων αὐτοῦ, ὃς ὤφειλεν αὐτῷ ἑκατὸν δηνάρια, καὶ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε, λέγων, ἀπόδος μοι, ὅ, τι ὀφείλεις.	nit unum ex conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & prehensum eum suffocabat,& dicebat ei: Da mihi, quod mihi debes.	vnd fand einen seiner Mitknechte/der war jhm hundert Groschen schuldig. Vnd er grieff jn an/ vñ würget jn / vnd sprach : Bezahle mir / was du mir schuldig bist.
29. πεσὼν οὖν ὁ σύνδουλος αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, παρεκάλει αὐτὸν, λέγων μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ πάντα ἀποδώσω σοι.	Et procidens cõservus ille ad pedes ejus, rogabat eum. dicens:longanimis esto erga me, & omnia tibi rependam.	Da fiel sein Mitknecht nider/vnnd bat jn/vnd sprach: Habe gedult mit mir/ ich will dirs alles bezahlen.
30. Ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν, ἀλλὰ ἀπελθὼν ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον.	Ille verò noluit, sed abiit; conjecit eum in carcerem, quousq; redderet, quod sibi debebat.	Er wolte aber nit/ sondern gieng hin/vnd warff jhn ins Gefengniß/biß daß er bezalet/ was er schuldig war.
31. ἰδόντες δὲ οἱ σύνδουλοι αὐτοῦ τὰ γενόμενα, ἐλυπήθησαν σφόδρα, καὶ ἐλθόντες διεσάφησαν τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα τὰ γενόμενα.	Quùm autem vidissent cõservi eorum quod factum fuerat, ægrè tulerunt admodum: & venientes renunciarunt Domino suo quicquid factum fuerat.	Da aber seine Mitknecht solches sahen / wurden sie sehr betrübt/ vnnd kamen vñbrachten für jhren Herrn alles das sich begeben hatte.
32. τότε προσκαλεσάμενος αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ, λέγει	Tunc advocavit Dominus ipsius,& dixit ei, Serve ne	Da foddert jhn sein Herr für sich/ vnd sprach zu jhm:

αὐτῷ, Δοῦλε πονηρὲ, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκά σοι, ἐπεὶ παρεκάλησάς με.

quam, totum illud debitum remiserã tibi, ut qui me deprecatus fuisses.

du Schalcksknecht / alle diese Schuld hab ich dir erlassen / dieweil du mich batest.

33. οὐκ ἔδει καὶ σὲ ἐλεῆσαι τὸν σύνδουλόν σου, ὡς καὶ ἐγώ σε ἠλέησα;

Nónne oportuit & te misericordiâ commoveri ergâ conservum tuum, sicut ego cõmotus fueram erga te?

Soltest du denn dich nicht auch erbarmen vberdeinen Mitknecht / wie ich mich vber dich erbarmet habe?

34. καὶ ὀργισθεὶς ὁ κύριος αὐτοῦ, παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ.

Proinde excanduit Dominus ejus, eúmque tradidit tortoribus quo usq; persolveret, quicquid ipsi debebat.

Vnd sein Herr ward zornig / vnnd vberantwortet jhn den Peinigern / biß daß er bezahlet alles was er schuldig war.

35. οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν.

Ita faciet vobis Pater meus qui in cœlis est, nisi remiseritis suo quisque fratri ex corde vestro errata ejus.

Also wird euch mein Himmlischer Vatter auch thun / so jhn nicht vergebet von ewren Hertzen ein jeglicher seinem Bruder seine Fehle.

Homilia.

Duo capita dilectionis Christianæ.



llectionis Christianæ duo cumprimis sunt capita. 1. Egenti *benefacere*. 2. Malefacienti *remittere*. Ibi nostram liberalitatem, hîc mansuetudinem declaramus. Utrumque præ-

ceptum est, *Luc. 6. vers. 37.* ubi postulat Salvator, *partim*, ut demus, nempè bonum, quo proximus indiget: *partim*, ut dimittamus, nempè malum, quod contra nos perpetravit.

Sed rara in terris hæc virtus est, præsertim hoc ultimo, in quo vivimus, mundi tempore, quia Christiani & parci sunt in benefaciendo, & difficiles in remittendo. Refrixit enim charitas in multorum cordibus, *Matth. 24. v. 12.* & plerique sanguisugas imitantur, semper clamantes, *Affer, affer*, Prov. 30. v. 15.

Cumprimis autem vulgare est *iracundiæ vitium*, quo offensiones nimiùm exaggerantur, & cuncta reconciliationis media negliguntur. Torvum si videas, mox habetur pro injuria. Paululum si lædas, vix expectari potest venia. In illos enim dies incidimus, ubi sunt homines elati & irreconciliabiles, voluptatum magis amatores, quàm Dei, *2. Tim. 3. v. 2. 4.* *Iracundia vitiū vulgare est.*

Annón autem dedecus est sine fine indignari, & reconciliationem nullam admittere? Homines sumus, & humani aliquid sæpè patimur. In mundo vivimus, & in multis omnes offendimus, *Iac. 3. vers. 2.* Cur igitur humanæ sortis adeò immemores sumus ut mutua errata condonare nolimus? Nullum sanè adversus secundum tabulam grandius peccatum est, quàm iram in proximum fovere, & quasvis læsiunculas adeò magni æstimare. Displicet hoc DEO, qui misericors: displicet *Angelis*, qui mites & pacifici: displicet *omnibus bonis*, qui concordiâ delectantur: Infirmis prætereà datur scandalum, & adversariis calumniandi occasio: turbatur omnis ordo, & attrahun-

tur nocumenta plurima. Nihil ergò vel indecorum vel perniciosum magis esse potest, quàm animus irreconciliabilis.

De Julio Cæsare gentili, scripsit Cicero: *Nihil soles oblivisci, quàm injuriam.* O utinam inter Christianos multi essent tales Julij! Sed hoc optare, vix sperare possumus. Invaluit passim animorum exacerbatio, & inter multos vix unum reperias, ad ignoscendum facilem.

Quod ipsum, quia Salvator καρδιογνώστης prævidit inter cætera suarū concionum capita, & hoc extare voluit, quod de mutuâ offensarum remissione agit. Inculcavit hanc expressis verbis, *Matt. 5. v. 23.* nunc eandem sub parabolæ involucro doctrinam repetit. Nullus enim præsentis Evangelij scopus est principalior, quàm *dehortari ab inclementiâ*, & incitare ad longanimitatem animique moderationem.

Summa Evangelij.

Quem finem ut obtineat Salvator, commendat *primùm* cœlestis Patris misericordiam, ut illius exemplo mites, & ad condonandum proclives esse discamus. *Pòst* per contrarium servilis inclementiæ exemplum ostendit, quàm turpe sit, magni debiti remissionem impetrare, & exiguum dimittere nolle.

Partes.

Partes igitur Evangelij duæ sunt;

Prior agit, de divinâ magni debiti remissione, quam servus supplicans gratis adeptus est, à v. 23. usque ad 28.

Posterior de humanâ duritie, & immisericordiâ, quam conservus ob vile debitum immeritò expertus est, à v. 28. usq; ad fin.

Hac vice prioris tantùm partis ἐξήγησιν suscipiemus,

piemus,

piemus, & eandem tribus membris includemus acturi

1. De *ratione*, quæ ſingulis reddenda. *Propoſitio.*

2. De *magnitudine debiti*, cui non ſumus ſolvendo.

3. De *cœleſtis Regis ergà nos affectu*, qui primùm ſeveritatis & iræ, mox longanimitatis & gratiæ vultum oſtendit.

Illum ipſum veneramur devoti, ut & in dicendo, & in diſcendo nos adjuvet, in ſui honorem & Eccleſiæ ſalutem, Amen.

PARS I.

De ratione, ſingulis reddenda.

APoſtolus Petrus in præcedentibus inſtituit quæſtionem de condonandis injuriis, *Num ſatis ſit, ſepties remittere?* verſ. 21. Sed reſpondet Chriſtus, quòd potiùs ſeptuagies ſepties ſit ignoſcendum, v. 22. hoc ipſo indicans, remiſſionem offenſarum numero certo non adſtringendam, ſed quotiescunque petatur, promtè indulgendam eſſe. Quod ut declararet fuſiùs, parabolam hanc annectere voluit, quâ tum exemplo Regis miſericordis, tum ſupplicio ſervi immitis, ad facilè remittendum excitamur.

Circa exemplum Regis tria præcipuè conſideranda veniunt. 1. *Quod* rationem poſtulârit. 2. *Quantum* ſervi debitum, & 3. *Quis* Regis erga ſervum animus fuerit. Hæc autem omnia quùm ſint parabolica, maturè diſpiciendum eſt, quid iis denotetur. Neque verò longè abeundum, plana eſt expoſitio, & in hiſtoria Evangelicâ non obſcurè tradita. *Tria quoad Regem conſideranda.*

Rex ille non alius, quàm Deus ipſe eſt, qui nobis ſua bona concredidit. Hic tandem poſcit rationem; ſed reddere non valemus, quia debitum magnum per peccata contraximus. Pereundum ergò eſſet, niſi clementia Patris cœleſtis ſuccurreret. Remittit enim omne debitum ex gratiâ, ſi coram ipſo humiliemur, & veniam delictorum ſupplices precemur. Sic ergò tria nobis ad meditandum proponuntur. 1. Redditio rationis. 2. Magnitudo debiti. 3. Miſericordia Dei.

Ut autem à primo exordiamur, meminiſſe debemus, quòd diſpenſatio nobis ſit commiſſa, quódque nihil aliud, quàm œconomi ſimus Altiſſimi. Ab his verò requiritur, ut fideles inveniantur, 1. *Cor.* 4. *verſ.* 2. ideoque res ſuas ita inſtituant, ut ad rationem reddendam ſemper parati ſint. Sed, proh dolor, pauci ſunt officij ſui memores: in diem vivitur, bona tradita perduntur, debitum longè maximum contrahitur. O ſi vel tandem animos hominum percellerent ſive promiſſiones Dei ampliſſimæ, ſive comminationes ejusdem ſeveriſſimæ! Aſt invaſit pleroſq; ſecuritas, & quaſi nullum reſtaret judicium, in utramque aurem dormiunt. Ut ergò vel aliquo ſaltem pœnitentiæ ſenſu tangantur, ecce! Rationem reddendam eſſe præſenti parabolâ inculcatur. Veniet dies, veniet, *Auditores*, dies judicij, quo ad tribunal Domini ſiſtemur omnes, ad dandam diſpenſationis noſtræ rationem. Certò id futurum eſſe, tria in principio Evangelij hujus inſinuata luculenter oſtendunt.

Iudicium futurum eſſe probat

I. Bonorum concreditorum ratio. Non noſtro labore acquiſita, ſed à Deo data & com-

1. Bonorũ concreditorũ ratio.

commiſſa ſunt, quæ habemus. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit deſuper à Patre luminum, *Iac. 1. v. 17.* Quid habes, quod non accepiſti? *1. Cor. 4. v. 7.* Cuncta igitur bona, tantùm uſu noſtra, ſed origine divina ſunt. Hinc regnum cœlorum Regi aſſimulatum dicitur, qui voluit *rationem ponere cum ſervis ſuis*, v. 23. Uti verò Regis bona non fiunt Oeconomorum propria, licet illa adminiſtrent: Sic ſupremus Regum Rex multa nobis concredidit, in noſtram tamen proprietatem non ita tranſeunt, ut pro arbitrio cum iis agere liceat, quod libet. Manent ipſius omnia, unde & Dominus omnium vocatur, *Rom. 10. v. 12.* Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus, ait ipſe, *Pſal. 50. v. 12.* Ut igitur Rex tandem rationes poſcit ab œconomis: Ita procul dubio à Deo cœleſti Rege, ad reſpondendum citabimur. In Quæſtores inquiſitio ſolet inſtitui, ut quomodo res Principis adminiſtraverint, cognoſcatur: Nos ſumus Quæſtores Altiſſimi, reditus ſatis amplos quotannis accipientes. Videndum ergò, ne perdamus & decoquamus concredita: Veniet enim tempus inquiſitionis rigidæ, ubi nihil vel occultum vel inultum manere poterit. Viri prudentes magis ſunt ſoliciti in alienis, quàm in propriis aſſervandis & curandis: Et nos prudentes eſſe convenit, *Matth. 10 verſ. 16* Quùm ergò Dei, atque ſic aliena bona ſint, quæ habemus, cur non rectiùs illa collocamus?

II. Servorum appellatio, Non ipſi ſumus Domini, ſed Regis cœleſtis nuncupamur *ſervi.* Jam verò ſui juris non eſt famulus, ſed hero ſervire, & de bonis commiſſis rationem dare cogitur. *2. Servorum appellatio.*

Idem est nostrum officium: Totus hic mundus nihil aliud est, quàm familia Jehovæ, in qua nos ministros esse voluit. Non ergò insumamus, quæ sunt Domini; sed rectè curemus, & fideliter dispensemus, ne in die judicij confundamur, & condemnemur.

Multiplici jure sumus Dei servi.

Sumus autem servi Jehovæ multiplici ratione. 1. Ob *creationem*, quia ipse fecit nos, *Psal. 100. v. 3.* adeoque ministri sumus jure *nativitatis*, siquidem servi nascimur ejus domini, qui corpus & animam largitus est. 2. Ob *conservationem*, quia nos ipsos nutrire haut possumus, sed omnia ex largâ Dei manu accipimus, quippe qui implet omne animal benedictione, *Psalm. 145. v. 16.* Ita servi sumus jure *paupertatis*, quæ ipsa ad serviendum, & ad alimenta à Deo expectanda nos adigit. 3. Ob *gubernationem*; quia Deus cunctas actiones nostras dirigit, in ipso vivimus & movemur, *Act. 17. v. 18.* Ipse linguam gubernat, *Proverb. 16. v. 1.* & egressus omnes dirigit, *Ierem. 10. vers. 23.* unde servi sumus jure *infirmitatis*, quandoquidem meritò aliis subjiciuntur, qui seipsos regere haut valent. 4. Ob *redemtionem*, quia magno pretio sumus redemti, *1. Corinth. 6. v. ult.* nimirum Christi sanguine, *1. Pet. 1. v. 19.* Unde Dominus ait, Esai. 44. v. 21. *Servus meus es tu, non obliviscaris mei.* Jure igitur *emtionis* & liberationis servi Jehovæh dicimur. 5. Ob *sanctificationem*, quia nos vocavit in vineam suam, *Matth. 20. v. 1.* recepit in Ecclesiam, velut in sacram familiam, ubi cuilibet, quod agat, præscribitur, ideoque servimus jure *conductionis*, quoniam ad ministrandum vocati, & servitium fidele polliciti sumus.

Tot

Tot igitur modis obstricti quum teneamur, meritò vivendum, ut vitam nostram ad Domini voluntatem conformemus. Ipse Creator & Pater tuus est: ergo timeas. Ipse benignus conservator est: ergo nomen ejus prædices. Ipse Dux & Gubernator est: ergo semper obtemperes. Ipse Redemtor tuus est: Quare constanter adhæreas. Ipse Sanctificator est: Quare obtemperes, & nunquam offendas. Atque sic perpetuò hæc cogitatio nobis obversetur: *Servus Dei sum*, cui reddenda olim erit ratio, serviam ergò fideliter, ne iram ejus concitem, & æternas pœnas attraham.

Josephus ad rem illicitam solicitatus, se famulum esse recordabatur, & dicebat: *Quomodo possum tàm magnum malum facere?* Gen. 39. v. 9. Et nos sumus famuli cœlestis Domini. Et nos invitamur nonnunquam à carne, mundo & Satana ad exorbitandum: sed respondeamus: *Servi Iehovæh sumus*, huic nos addiximus: Quomodo igitur tàm magnum malum facere, & in Deum peccare poterimus.

III. Divina citatio. Dicitur enim de Rege, quòd voluerit rationem conferre cum servis suis. Non permittit eos pro arbitratu cuncta disponere, sed inquirit tandem & singula facta examinat. Hominum quidem tanta est malitia, ut primùm divina bona malè collocent, pòst de collocatis reddere rationem nolint. Nam alii fugiunt cum Adamo, *Gen. 3. vers. 7.* alij negant cum Caino, *Gen 4. v. 9.* alij foliis ficuum se ornant cum Eva, *Gen 3. vers. 7.* Verùm supremus Rex hos omnes è latibulis *protrahere* novit. Adamum fugientem revocat: Cainum negantem convincit: *3. Divina citatio.*

Evam declinantem redarguit, securos quosvis ad tribunal citat & trahit, quod ipsum diversis modis facere consuevit.

Varii modi citationis divinæ

1. Per *conciones pœnitentes*, quia instituit ministerium, ut per illud mundum de peccato arguat, *Iohan. 16. v. 8.* Sic Antediluviani per Noachum, *Gen. 6. v. 3.* David per Nathanem, *2. Sam. 12. v. 1.* Ninivitæ per Jonam citati sunt, *Ion. 3. 4.* Quoties ergò Pastores peccata exaggerant, toties ad rationem reddendam nos citari cogitemus.

Per signa iræ.

2. Per *signa iræ*, quando in cœlo, in aëre, in terrâ marivè portenta quædam ostendit, futurarum calamitatum prænuncia. Sic Pharaonem per maris rubri divisionem, Exod. 14. v. 22. Belsazarem per Scripturam insolitam, *Daniel. 5. vers. 5.* Hierosolymitanos per multa prodigia citavit, qualia nec nostro desunt tempore, quæ quum aspicimus, nos denuò ad rationes dandas vocari arbitremur.

Per excommunicationem Ecclesiasticam.

3. Per *excommunicationem Ecclesiasticam*, Qui enim à corpore Ecclesiæ abscinditur, sic ad divinum tribunal sistitur. Ad rationes vocaris, quoties peccata tua ligantur in terris. Perversam ergò viam maturè corrigas, ut Spiritus salvus fiat in die Domini, *1. Cor. 5. v. 5.*

Per accusationem Politicam.

4. Per *accusationem Politicam.* Non enim semper in occulto manent scelera: sæpius patefiunt, & Magistratui innotescunt. Dum ergò in judicium pertraheris, Deum unà per judicem te citare æstimabis. Sic Dathan, *Num capit. 16. vers. 4.* Achan, *Ios. 7. v. 18.* & iniqui judices, *Dan 13. v. 45.* citati sunt.

Per varias adversitates.

5. Per *varias adversitates.* Si enim neq; conciones,

ciones, neque portenta vel alia curantur à securis, tum advocat Deus famem, pestem, bella, ut iniqui servi, ærumnis pressi, venire & comparere cogantur. Sicut enim in humanis judiciis, si quis contumacior ad primam citationem emaneat, tùm judex apparitores & ministros mittit, qui reum ad tribunal vi pertrahant: Ita si quis in Ecclesia nolit audire Mosen, tum cruci subjicitur, ut tandem ad agnitionem iræ divinæ descendat. Qui non attendit ad verba, is experitur demum flagella & verbera. quod exemplo *Manaßis* captivi, *Nebucad Nezaris* deliri; & *Israelitarum* in Assyriam abductorum confirmari potest.

6. Per *stimulos conscientiæ*. Licet hæc nonnunquam dormiat, suo tamen tempore evigilat, & cuncta delicta exaggerat. Est instar *Catelli* ad ostium cubantis, qui excitatus, latrat & mordet. Est instar *vermis*, qui pungit & continuè corrodit. Est Prodromus divini judicii & pœnarum infernalium. Ita citatus est Cain, *Gen. 4. v. 13.* & Achitophel, *2. Samuel. 17. v. 23.* & Judas, *Matth. 27. v. 3.* Similes ergò punctiones quum sentis, te vicissim citari existimes. *Per stimulos conscientiæ.*

7. Per *agonem & mortem*. Hæc nihil aliud est, quàm evocatio ad rationem reddendam. Ibi cuncta obveniunt peccata, ibi thronus ad judicandum positus est, ibi fatendum cum Bernardo. *Perditè vixi.* Ne igitur culpa cumuletur, exitus nostri sæpè debemus meminisse, juxta illud Syr. 7. vers. 40. *Memorare novißima, & in æternum non peccabis.* *Per agonē & mortem*

8. Per *resuscitationem*. Quando enim à tumulis prodeundum erit, tum judex universæ carnis *Per resuscitationem.*

sedebit

ſedebit in nubibus ad ferendam de cogitatis factisque noſtris ſententiam. Tunc audietur tuba & vox Archangeli: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* O citationem horribilem! Tum neque effugiendi locus, neque protrahendi tempus, neque palliandi occaſio ulla dabitur. Quod enim de iniquo diſpenſatore dicitur, *verſ.* 24. illum Regi oblatum eſſe: idem omnibus hypocritis & impœnitentibus continget. Offerentur Deo, ſi maximè nolint: Patefiet culpa, licet ſimulârint. Aperientur libri, ex quo judicabuntur vivi & mortui, *Apoc.* 20. *v.* 2. 12. Accuſabunt impios *Angeli*, qui peccatis repulſi; *Paſtores*, qui deriſi; *Parentes*, qui ſpreti; Accuſabit *Magiſtratus*, cui rebellatum; *Proximus*, cui ſcandalum datum: *Omnis creatura*, quæ in abuſum protracta. Intùs convincet conſcientia: foris arguent maligni ſpiritus, qui veluti apparitores Dei, ſervos iniquos offerent, & contractum debitum urgebunt. Dum ergò in via eſtis, diligenter cavete, ne in foveam incidatis. Jam adhuc tempus gratiæ eſt: maturè deliberate, quæ ad pacem veſtram facere poſſint. Vos ipſos examinate, ne judex vos aliquando tradat miniſtris, & in carcerem mittamini. *Amen, Amen,* inquit Salvator, *Non exibitis inde, donec reddatis noviſſimum quadrantem.*

Varii accuſatores.

PARS II.

De Magno debito à nobis contracto.

DE ſervo ante tribunal Domini oblato dicitur, *verſ* 24. *quòd decem millia talentorum debuerit*, quæ ſanè maxima pecuniæ ſumma eſt, ut

ut privatus eam ſolvere nequaquam poſſit. Nam, talentum juxta *Budæi* & vulgatam æſtimationem, valet ſexcentos coronatos: qui per decem millia multiplicati conficiunt ſummam ſexagies centenorum millium coronatorum, ſeu uti loquuntur vulgò, ſex milliones auri, quod ultra ſexaginta auri tonnas excurrit, juxta ſupputationem *Dn.D. Lyſeri* l 3.Harm.part.2.c.93.pag.519. *Quid ſit talentum?*

Per iſtud verò debitum nihil aliud, quàm innumera peccata noſtra innuuntur, quibus Deo, cœleſti patrifamiliâs obærati ſumus. Nam per *decem millia* multitudo, per *talenta* magnitudo prævaricationum deſignatur. Omnes quotquot vixerunt, quotquot vivunt, aut victuri ſunt homines, Dei debitores meritò vocantur, quia legem multifariam violant, & bona conceſſa malè collocant. Fatendum cum Davide; *Ah peccavi Domino*, 2. Sam. 12. v. 13. cum Manaſſe: *peccavi ſuper numerum arenæ maris*; 2. Par. ult. In Orat. Man. cum Daniele, *Tibi Domine juſtitia, nobis cõfuſio faciei*, Daniel 9. v. 7. Quis enim poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato, *Prov*. 20. *v*. 19. Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, *Rom*. 3 *v*. 23. Si Deus velit iniquitates obſervare, quis ſuſtinebit? *Pſal*. 103. *v*. 3. Non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens, *Pſal*. 123. *verſ* 2 Pro mille non poſſumus unum reſpondere, *Iob*. 9. *verſ*. 3 In multis offendimus omnes, *Iac*. 3. *verſ*. 2. Etiam ſanctis orandum eſt pro remiſſione peccatorum, *Pſalm*. 32. *verſ*. 6. Si dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, 1. *Ioh*. 1. *verſ*. 8. quæ verba non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter ab Apoſtolo probata ſunt, juxta *Omnes ſumus peccatores.*

xta *Concilium Milevitanum*. Quisquis ſe inculpatum duxerit,aut ſuperbus aut ſtultus eſt *juxta Cyprianum* Serm. de Eleemoſynis. Omni prorſus peccato vacare, ſupra humanæ naturæ modum Deus conſtituit, *dicente Nazianzeno* Orat. 2. in Julia. Non poteſt hoc juſtus negare, quia nemo ſine peccato eſt, *teſte Ambroſio* Serm. 19. in Pſalm. 118.

Nulla ſunt opera ſupererogationis.

Errant igitur *Papicolæ*, qui putant legem perfectè impleri poſſe, ut Deo nihil amplius debeamus. Errant cumprimis *Monachi*, qui ſibi plus videntur facere quàm requiſitum ſit, unde jactitant opera *ſupererogationis*, quæ veriùs dicerentur opera *ſupereructationis*; quum nihil aliud ſint,quàm ructus & vomitus hypocritarum, ſibi blandientium,& Scripturæ contradicentium.

Nos potiùs deploremus naturæ corruptioné; & agnoſcamus debiti noſtri magnitudinem, quæ ut magis pateſcat, in ſpecie conſiderabimus,quãtum & quàm varia Deo debeamus. Poteſt hoc optimè intelligi, ſi attendamus *partim* præcepta, *partim* beneficia divina.

1. *Præcepta* Legis moralis decem ſunt, *Exod.* 20. v. 15. *Deut* 5. *verſ.6.* quæ diſtinguuntur in duas tabulas, *Exod.32.15.* quarum *prior* cultum Dei, *poſterior* dilectionem proximi præſcribit.

Præcepta primæ tabulæ.

Colendus eſt Deus *tum* internâ cordis fiduciâ, de quâ præceptum primum agit: *tum* externâ oris profeſſione & moderatione, quæ ſecundo; *tum* opere ipſo, & Sabbati ſanctificatione, quæ tertio præcepto requiritur. Jam verò temetipsũ examina, & quantum reſpectu primæ tabulæ adhuc debeas, facilè animadvertes. Quis eſt, qui Deum

Deum ex toto corde diligat? quis est, qui nomen ejus in vanum nunquam assumat, nec Sabbatum ullo modo profanet? Si maximè non recorderis talium, attamen orandum est ex Psal.19.14. *Ab occultis meis munda me Domine.*

Proximum quod spectat, ejus nomine intelliguntur *vel* parentes, & qui illorum loco, atque hi sunt honorandi, juxta præceptum quartum, *vel* quivis alii, qui non sunt lædendi, *neque facto*, vel quoad personam propriam, de quo præceptum quintum; *vel* quoad uxorem, de quo sextum, *vel* quoad bona, de quo septimum; *neque dicto* per falsum testimonium & arrosionem famæ, de quo octavum, *neque affectu*, vel illicito concupiscendi modo, de quo nonum & decimum præceptum agit, ubi omnis concupiscentia unà cum radice sua prohibita est. Rursus autem examen institue, & videbis quanto debito sis obstrictus. Exulat jam è mundo candor & charitas: non juvatur proximus, sed premitur: suo quivis commodo intentus est, aliorum bona exugit magis, quàm ut augeat. *Audite verbum Domini*, quia Judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, *Osea. 4. v. 1. 2.* Imò & pii, qui sanctitati aliàs student, à concupiscentia non sunt immunes, quia in carne ipsorum non habitat bonum, *Rom. 7. v. 8. & seqq.* Decem ergo talenta, quæ debemus, nihil sunt aliud, quàm *decem præcepta*, quæ violamus, & quidem multifariã, *partim* habitualiter, per peccatũ originale,

Præcepta secunda tabula.

Multifariam violamus legem

ginale,

ginale, *partim* actualiter, per peccata morum, quæ ſunt *vel* venialia, *vel* mortalia, & fiunt, *tum* omittendo bonum præceptum, *tum* committendo malum prohibitum, unde ſurgit debitum grande & multiplex, cui ſolvendo nunquam pares eſſe poſſumus.

Varia beneficia Dei

2. *Beneficia* divina ſi ſpectemus, magnus eorum eſt cumulus, ut exclamandum ſit cum Jacobo; *Domine, minores ſumus cunctis miſerationibus tuis*, Geneſ. 32. verſ. 10. Ab illo accepimus bona, *tum* ſingularia, quorum quivis optimè ſibi erit conſcius, *tum* communia, quæ ad multos ſe extendunt. Horum *alia* ſunt cœleſtia, ut Redemtio filii, prædicatio verbi, conceſſio Sacramentorum, præparatio vitæ æternæ, &c. *alia* ſunt temporalia, quæ conſiſtunt in dotibus animi, in recta conſtitutione corporis, in bonis fortunæ & ſimilibus. Hæc omnia debemus Deo, ſed non omnia rectè collocamus. Debemus diligentem verbi auditum, & frequentem Sacramentorum uſum: ſed negligimus. Debemus ingenii culturam, & purum animæ domicilium: ſed flocci facimus. Debemus aures, linguam, oculos, manus, pedes: ſed in uſus illicitos adhibemus. Debemus eleemoſynas, & pauperum ſuſtentationem: ſed avari ſumus, & quò plus habetur, eò plus concupiſcitur. Sic cuilibet ſtatui, ætati & ſexui ſua Deus talenta concredidit: ſed ubique cumulantur debita. Paſtores in prædicando & oves in auſcultando ſegnes ſunt. In Magiſtratu quandoque recta adminiſtratio; in ſubditis obedientia deſideratur. Contrahunt parentes debitum per nimiam conniventiam: filii per petulantiam: heri per

per duritiem: servi per infidelitatem: senes per avaritiam: viri per superbiam: juvenes per libidinem: divites per luxuriam: pauperes per invidiam: docti per ambitionem: indocti per seditionem: omnis status per exorbitationem, & donorum abusionem. Hæc, hæc illa talenta sunt, & valore maxima, & numero plurima, quæ nos singulos, ac universos in gehennam depriment, nisi veniam humiliter precemur, & misericordiam à Deo maturè impetremus, de quo pars ultima nos uberiùs informat.

Pars III.

De cœlestis Regis erga nos affectu.

MUlta hîc dicenda essent: sed ob temporis angustiam præcipua tantùm capita delineabimus.

Geminus verò Regis affectus recensetur. (1) *Iustitia*, secundum quam jussit omnia vendere, *v. 25.* (2) *Misericordia*, secundum quem supplicanti totum debitum remisit, *v. 26. 27.*

In Rege geminus affectus, Iustitiæ & Misericordiæ, apparet Cui similis est Deus.

Eandem methotum Deus observat 1. *Exaggerat culpam* per legem, & vi justitiæ indicit pœnã: Vult nos æternùm rejicere, & potestati Satanæ mancipare, quia super peccantes venit ira & indignatio, *Rom. 1. v. 9.* Verùm 2. *ostendit faciem misericordiæ*, & remittit peccata, si debitores (1) cum servo agnoscant & fateantur debitum, (2) si serios propter illud dolores concipiant, (3) si ex verâ cordis fiducia Deum invocent, (4) si dignos pœnitentiæ fructus edant, & proximo suos nævos sine difficultate dimittant, quod requisitũ

servo nostro defuit, ideoque tortoribus tandem est traditus, *v. 34.* de quibus omnibus alio tempore plura proferri possunt.

Nos hîc pedem figentes, coram cœlesti Rege humiliter procidimus, & supplices veneramur, dicentes: *Domine, patientiam habe, & miserere nostri.* Reddere quæ debemus, non possumus: Tu autem dimittere potes, quæ peccavimus. Esto igitur nobis propitius, & condona culpam, ut consequamur gloriam, & tuam æternùm prædicemus gratiam, propter Christum Jesum, filium tuum, propitiatorium nostrum, in secula benedictum, Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS,

Matth. 22. à vers. 15. usque ad 23. Marc. 12. v. 13. Lucæ 20. vers. 20.

De Censu Cæsari dando.

V. 15. Τότε πορευθέντες οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον, ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ.

16. καὶ διαστέλλουσιν αὐτῷ τοὺς μαθητὰς αὐτῶν μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, λέγοντες,

TUnc abeuntes Perischæi, cōsilium inierunt, quomodo aucuparentur eum in sermone.

Mittuntque ad eū discipulos suos cū domesticis Heroudis, & dicūt ei:

DA giengen die Phariseerhin/ vnd hielten einen Raht / wie sie jhn fiengen in seiner Rede.

Vnd sandten zu jhm jhre Jünger/ sampt Herodis dienern/ vñ sprachen:

Διδά-

διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός. οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων.	Doctor, novim⁹ te esse veracem, viãqueDei in veritate docere, ac nullius sustinere curã, nec n. es acceptor facierum hominum, (*Nec enim delectum personarũ habes.*)	Meister/wir wissen das du warhafftig bist / vñ lehrest den weg Gottes recht/ vñ du fragest nach niemand/ denn du achtest nicht dz ansehen der Menschen.
17. εἰπὲ οὖν ἡμῖν, τί σοι δοκεῖ; ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ;	Dic nobis igitur, ut tibi videtur, Licet dare pecuniam capitatim Cæsari, necne?	Darumb sage vns / was düncket dich? Ists recht / das man dem Keyser Zinse gebe/ oder nicht?
18. γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν πονηρίαν αὐτῶν, εἶπε, τί με πειράζετε ὑποκριταί;	Jeschua verò cognoscens malitiã eorum, ait: Quid me tentatis acceptores vultus? (*hypocritæ.*)	Da nun JEsus mercket jre schalckheit/sprach er: Jhr Heuchler/ was versucht jhr mich.
19. ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου. οἱ δὲ προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον.	Ostendite mihi denarium argenti capitis (*census.*) Illi autem obtulerunt ei denarium.	Weiset mir die ZinseMüntze. Vnd sie reichten jhm einen Groschen dar.
20. καὶ λέγει αὐτοῖς, τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη, καὶ ἡ ἐπιγραφή.	Et ait illis Jeschua: Cujus est imago ista & inscriptio.	Vnd er sprach zu jhnen: Wes ist das Bilde vñ die vberschrifft?
21. λέγουσιν αὐτῷ, Καίσαρος. τότε λέγει αὐτοῖς, ἀπόδοτε οὖν τὰ	Dicunt, Cæsaris. Dixit eis: date ergò quæ sunt Cæsaris,	Sie sprachen zu jm/deß Keysers. Da sprach er zu jhnen:

Καίσαρος Καίσαρι. καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ.	Cæsari; & quę Dei, Deo.	So gebet dem Keyser / was deß Keysers ist / vnd Gott was Gottes ist.
22. καὶ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν· καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.	Quod quum audisset, mirati sunt, & reliquerunt eũ, atque abière.	Da sie das hörten / verwunderten sie sich / vnd liessen jhn / vnd giengen davon.

Homilia.

Duæ virtutes ægrotorum.

ÆGroti duabus præcipuè virtutibus intenti esse debent, quarum *priorem* patientiam, *posteriorem* nuncupamus obedientiam. *Patientes* sint, si morbi spontè contracti caussa indicetur: & *Obedientes*, si à Medico pharmaca, licèt ingrata, præscribantur. Iisdem virtutibus nos omnes oportet præditos esse, quia ægrotamus animo, & propter peccatum pessimè habemus, ut istud Esaiæ huc rectè applicetur ex cap. 1. v. 6. *A plantâ pedis usque ad cervicem, nihil est in nobis sanitatis.* Non autem deest nobis probatus Medicus; Venit Filius Dei, Sanator noster, *Exod. 15. v. penult.* qui & caussam languoris aperuit, & optima medicamenta tradidit. Istum ergo patienter audire, hæc obedienter usurpare convenit, si sanitati velimus restitui. Mortis & desperatæ valetudinis signum est, si ægrotus obloquatur Medico, & spretis pharmacis contra ipsum insurgat: Ita curari nunquam poterunt, qui Christo, cœlesti Medico, pertinaciter resistunt.

Exemplum ſuppeditant *Phariſæi*, quorum præſens meminit Evangelium. Peccatis hi toti erant immerſi, unde aliquoties ipſis *væ* dicitur, *Matth.* 23. Nihilominùs eorum curam ſuſcepit verus animarum Medicus, & *partim* morbi gravitatem ſub parabola vinitorum, iniquè agentium, exaggeravit *Matth. 21. v. 33. & ſeqq. partim* convaleſcentiæ modum ſub parabola Regis ad nuptias invitantis & omnia parantis oſtendit, *Matth. 22. v. 1. & ſeqq.* Ibi ergo patientes, hîc obedientes eſſe debuiſſent: ſed pergunt illi in malitia, & infirmitatem ſuam magis aggravant. *Phariſæorum malitia.*

Docemur enim ex hodiernâ hiſtoria, quòd correptionem Chriſti ægerrimè tulerint, & contemtis remediis, ipſum Medicū aggreſſi fuerint. Aſtutum ineunt conſilium, ut in ſermone poſſint capere Salvatorem. Conjungunt ſe cum Herodianis, ut eò faciliùs opprimant innocentem. Blandè alloquuntur, ut tegant in animo ſanguinolentiam. Captioſum ζήτημα proponunt, ut creent vel periculum apud Cæſarem, vel invidiam apud populum. Atque hic mos eſt filiorum ſeculi, ut dum mederi illis volumus, in perniciem conſpirent medentium. A quo ſcelere, ut eò meliùs nobis cavere diſcamus, diligentem hujus Evangelii σκέψιν inſtituemus. *Summa Evangelij.*

Partes illud duas continet. *Partes.*

Prior eſt *inſidioſa Phariſæorum quæſtio*, à v. 15. uſque ad 18.

Poſterior eſt *prudentiſſima Chriſti reſponſio*, à v. 18. uſque ad 23.

Nos primam conſideraturi, hoc potiſſimum Thema tractabimus.

Propositio. *Quænam Pharisæorum in Christi necem conspirantium peccata fuerint, & cur ab illis semper abstinere debeamus?*

Christus, veritatis & sanctitatis Autor, nos gubernet, ut verum doceamus, & sanctitati vitæ semper studeamus, Amen.

Ἐ'ΞΗ'ΓΗΣΙΣ.

Hæreticorum mores DE hæreticis vulgò in genere dici solet, *qui astu sint vulpes, habitu oves, & ferocitate lupi.* Nam consilia vulpina, & in proximi damnum vergentia excogitant, quæ tamen ipsa occultant, & meram pietatem simulant, sub vestitu ovium incedentes, *Matth. 7. vers. 15.* Occasionem verò nacti, mox luporum instar sæviunt, oviumque innoxiarum sanguinem truculenter expetunt.

Qui apparent in Pharisæis. Cernere hoc ipsum licet in *Pharisæis*, veræ doctrinæ corruptoribus, & hæreticis pessimis. Hi enim contra Christum consultant, ut *Vulpes*; cõpellant illum, ut *Oves*; & interim famæ vitæque inhiant, ut *Lupi*. In consiliis sunt astuti, in factis seditiosi, in dictis hypocritæ.

Quatuor vitia Pharisæorum. Quod ut demonstretur pleniùs, præcipua Pharisæorum vitia, quorum in principio Evangelii fit mentio, paucis indicabimus.

1. Immane odium erga Christum. Primum est Immane odium ergaChristũ. Postquam enim conciones ejus audiverant, mox de illo capiendo agitant consilia, & hoc ipso animum infensissimum declarant. Quod scelus quantum fuerit, intelligetur optimè, si perpendamus: 1. *Quinam* oderint? 2. *Quem* oderint? 3. *Quare* oderint?

Qui

Qui oderunt, Pharisæi dicuntur, illi nimirum, qui doctores Legis audiebant, qui in Cathedra Mosis sedebant, *Matth. 23. v. 3.* qui miram sanctitatis speciem prætendebant, *Matth. 6. vers. 5.* Illi erant, qui clavem scientiæ sibi arrogabant, *Lucæ 11. v. 52.* & cæcorum duces ac insipientium eruditores vulgò credebantur, *Rom. 2. vers. 19. 20.* Hos igitur veritatem amplecti, & bono aliis exemplo vel maximè præire oportuit: Sed jam crudeli flagrant odio, & toti jacent in fermento. *Qui?*

Quis verò est, quem oderunt? *Hei nefas!* Christus est, Christus, inquam, est, Immanuel noster, *Matth. 1. v. 23.* Salvator mundi, *Lucæ 2. v. 11.* Lux hominum, *Iohan 1. v. 9.* Pastor ovium, *Iohan. 10. v. 11.* via & veritas, *Iohan. 14. v. 6.* Venerat ille, ad opera diaboli solvenda, *Iohan. 3. v. 8.* sed hunc ipsum capere volunt Pharisæi. Venerat ad dandam vitam, *Ioh. 10. v. 28.* & isti volunt occidere. Venerat, ut nos adoptaret in filios, *Ioh. 1. v. 12.* & isti volunt expellere. Venerat, ut æternam nobis libertatem compararet, *Col. 1. v. 13.* & isti volunt sub servitutem redigere, ac principatui tradere, *Lucæ 20. v. 30.* Modò quærunt eum tenere, sed turbas metuunt, *Matth. 21. vers. ultim.* modò ministros emittunt, qui prehenderent, *Iohan. 7. vers. 32.* modò lapides contra ipsum attollunt, *Ioh. 8. v. 59.* Jam tandem consilium de ipso capiendo & penitus tollendo ineunt. O iniquum & verè Diabolicum odium, cui nullum schema potest prætendi! *Quem?*

Quid enim *est*, propter quod oderunt Christum? Nihil in doctrinâ, nihil in vita ejus fuit culpabile. Hoc tantùm offendit Pharisæos delica- *Quare oderint.*

tulos, quòd ipſorum ſcelera taxavit, & dogmatũ corruptelas tàm liberè aperuit. *Tunc* enim; inquit Matthæus, *tunc*, quando Chriſtus corripuit, *abeuntes inierunt Conſilium*. Hinc illæ lacrymæ, & hinc jam toti æſtuant, quum tamen iſthæc omnia in ipſorum commodum, & ſalutem directa fuerint.

Sors fidelium doctorum. Sed hæc fidelium doctorum ſors eſt, ut ob viam veritatis, quam docent, odium incurrant, eorum cumprimis, qui Eccleſiæ titulo ſuperbiunt. Exemplum ſuppeditat Praxis Romana, ubi Pontifex ſe Chriſti vicarium, & Petri Succeſſorem, ubi Prælati ſe Eccleſiæ, & Sacri ovilis cardines eſſe gloriantur. Verùm cum Phariſæis oderunt Chriſtum, monſtratam veritatem rejiciunt, & ex amicâ correptione ſibi ipſis fomitem faciunt, unde ignis iracundiæ & furoris ſuccendatur. Quo enim diligentius informas, eò majus ſuccreſcit odium, & truculentius initur conſilium. Si aliquis claudere voluerit aquę currentis meatum, ſi una parte excluſa fuerit aqua, violentia aliunde ſui ſemitam rumpit: Sic malignitas ex unâ parte confuſa, aliunde ſibi aditum invenit, ut *Chryſoſt.* loquitur, Hom. 12. Op. Imp.

Non autem propterea nimis turbentur Paſtores, vel animum prorſus abjiciant, quando talia obveniunt: Si Chriſtum oderunt Phariſæi, cur meliorem ſortem experiri volumus? Beati eſtis, quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, *Matth. 5. v. 11.* Patiendum eſt in mundo, quia non ſumus de hoc mundo, *Iohan. 15. v. 19.* Odio eritis omnibus propter nomen meum, inquit *Chriſtus*, Matth. 10. verſ. 22. Hæc enim

enim vis veritatis est, ut pungat: Hinc resistunt & recalcitrant impij. Sunt instar crabonum, qui læsi & abacti, frequentiùs redeunt, magnásque iras concipiunt. Ita contigit à principio, nec aliud expectare possumus. Abelum Cain, *Gen. 4. vers 6.* Noachum Antediluviani, *Gen. 6. v.* 3. Lothum Sodomæi, *Gen. 19. v. 5.* Jacobum Esau, *Gen. 27. v. 41.* Josephum fratres, *Gen. 37. v. 20.* Mosen Pharao, *Exod. 5. & seqq.* Davidem Saulus, 1. *Sam.* 18. *v.* 8. Eliam Jesabel, *1. Reg. 19. v. 2.* Elisæum Benhadad, 2. *Reg. 6. v.* 14. Jeremiam Phassus, *cap. 20.* Baptistam Herodes, *Matth.* 14 *v. 8.* Paulum falsi fratres, *2 Cor.* 11 *v. 26.* pios impij, Orthodoxos hæretici semper odio habent & persequuntur. Sed nolite metuere: Deus pro nobis est, quis contra nos erit? *Rom. 8. v.* 31. Uti confusi sunt Pharisæi: sic apprehendet Deus sapientes in astutia, *Iob. 5. v. 13.* quia nullum est consilium contra Dominum, *Prov. 21. v. 30.* State igitur & videte magnalia Domini, quæ facturus est, *Exod. 14. v. 13.* Confortare, quoniam tecum est Dominus in omnibus ad quæcunque perrexeris, *Ios. 1. v. 9.* Esto fidele os Domini, sic convertentur inimici ad te, & tu non converteris ad eos, *Ier. 15. v. 19.*

Secundum vitium est Impia & dolosa consultatio. Pharisæi verò concilium convocant, non secus ac de religione vehementer essent soliciti, & interim conspirant in necem Christi, ac per insidias agunt omnia. Noverant, Christi doctrinam & vitam esse inculpabilem; Quare in verbis volunt capere; Ipsi autem nolunt eum aggredi, verùm discipulos mittendos esse suadent, ut si Christus vincatur, majorem ignominiam; sin vin- *2. Impia & dolosa consultatio.*

cat, minorem gloriam reportaret, neque hoc in dedecus ipſorum Phariſæorum cederet. Ut autem teſtes haberent futuri reſponſi, & majorem Chriſto metum incuterent, Herodianos ſimul adſciſcendos eſſe judicant, quò ſi Chriſtus aliquid diceret contra Cæſarem, mox eum caperent; ſi contra Judæorum libertatem, teſtimonium Phariſæis ad plebem perhiberent. Ne verò dolus ſubeſſe videatur, Chriſtum blandis verbis compellandum & commendandum eſſe monent, ut apertiùs reſpondeat, nec fraudes animadvertat, quam ob cauſam legati iſti à Luca vocantur *inſidiatores*, qui ſe juſtos ſimularent, *cap.20. v.20.*

Atque hæc fuit illa Synodus malignantium, in quâ præſidem egit Diabolus: hæc illa inſidioſa conſultatio, quâ de Chriſto capiendo actum eſt, unde patet Phariſæos inſtar venatorum & aucupum conveniſſe. Ut enim hi occulta retia ponunt feris & aviculis, quò capiant: Sic illi conſilia doloſa excogitârunt, quò innocentem Chriſtum in periculum conjiciant.

Geminum verò ſpeculum hîc nobis aſpiciendum proponitur.

Locus de Conciliis errantibus.

1. *Conciliorum errantium.* Papicolæ multum tribuunt Synodis ac earum decretis, quaſi ab errore eſſent immunes: Sed contrarium patet ex hoc conciliabulo Phariſaico, quod ſanè graviſſimè erravit, quia Chriſtum capiendum eſſe concluſit. Nec deſunt alia in Scripturis exempla quàm plurima. Baalitæ omnes conſpirârunt contra unum Eliam, *1. Reg.18. v.22.* Quadringenti Prophetæ, quos Achabus congregaverat, mendacium

dacium loquuntur, solo Michea veritatem tuente, *1. Reg. 22. v. 13.* Totum Collegium Sacerdotum Esaias vocat cœcos mutósque canes, *cap. 56. v. 10.* Jeremias mendacium sectantes, *cap. 6. v. 13.* Ezechiel legem violantes, & sanctuarium profanantes, *cap. 22. v. 2.* Sic Pharisæi concludunt contra Christum, *Matth. 26. v. 66.* contra Resurrectionem, *Matth. 28. v. 13.* Contra Apostolos, *Act. 4. v. 5.* contra Paulum, *Actor. 23. v. 2.* Erravit Concilium *Nicenum* Oecumenicum, cui unus se opposuit Paphnutius, *libr. 2. Trip. c. 14.* *Carthaginense* sub Cypriano statuit, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. *Ariminense* suscepit blasphemiam Arij. *Ephesinum* secundum approbavit Eutychianismum. *Chalcedonense* conjugio clericos interdixit. *Laodicenum* διγαμίαν vel secunda vota improbavit. *Chartagmense quintum* intercessionem & Missam pro defunctis invexit. *Lateranense* transsubstantiationem stabilivit. *Constantiense* ποτηριοκλοπὴν admisit. Et quis omnes Conciliorum Papalium errores enumeraret? Verè Pharisæis sunt similes, & de capiendo Christo, ejúsque membris occidendis sæpiùs consultant. Nos igitur decreta hujusmodi impia floccifaciamus, quia plus est credendum simplici Laico scripturam proferenti, quàm toti simul concilio eâ destituto, uti rectè sentit *Panormitanus*, de Elect. cap. significasti.

Locus de hæreticis insidiantibus.

2. *Hæreticorum insidiantium.* Sunt hi aucupibus similes, & eorum consilia nihil aliud, quàm retia, quæ ad capiendos simplices more Pharisaico struuntur. Ut enim retia subtiliter fabricari solent, ne faciiè videantur: sic callida

& hæ-

& hæretica consilia colorantur prætextu pietatis & charitatis. Retia ponuntur in locis amœnis & allicientibus: sic quibus insidiantur impij, his magnos titulos tribuunt, & multa promittunt. Retia non sunt à Deo facta, sed humano artificio inventa; sic insidiæ non Deum habent autorem, sed homines à Satana deceptos. Caveamus ergò nobis diligentiùs, quò plures scimus esse hæreticorum insidias. Non sunt Pastores à Deo emissi, sed aucupes & Venatores Satanæ. Ad capiendum intenti sunt, non ad docendum. Cavete igitur vobis à falsis Prophetis, *Matth.7. v.15.* & in consilium eorum ne abeatis, *Psal.1. v.1.* Non delectemur captionibus Sophisticis, nec gestiamus proximum capere in sermonibus. Pharisaica est hæc vocum captura, & Christiano homine indigna, imò & noxia. Qui enim aliis foveam fodit, in eandem incidet, *Prov.26. v.27.* Pharisæi volebant Christum confundere, & ipsi confusi sunt. Nam labia dolosa perdit Dominus, *Psalm.12. v.4.* & vir dolosus odio habebitur, *Proverb.14. v.17.* id quod exemplo Achitophelis, *2. Sam.17. v.1.* Isabellæ, *1. Reg 21. v.23.* & Hamani, *Esth.7. v.10.* satis comprobatum est.

3. Malitiosa cum Herodianis cõspiratio. *Herodiani qui fuerint?*

Tertium est malitiosa cum Herodianis conspiratio. Refert enim Matthæus, *vers.16.* quòd Pharisæi miserint discipulos suos cum *Herodianis.* Hoc autem *partim* officij nomen est, designans Herodis aulicos tributa colligentes: *partim* Schismatis, qui novam quandam cum Herode religionem ex Judaismo & Paganismo conflârunt, quales Herodianos fuisse appellatos, testis est *Epiphanius* lib.1. contra hær. c.20. Hi & Pharisæi

risæi erant aliâs hostes infensi, genere vitæ, doctrinâ, moribus & opiniobus contrarij. Nam *Herodiani* erant Politici, *Pharisæi* autem Clerici. *Illi* solùm Judaicam, *hi* unà Ethnicam religionem profitebantur. *Illi* plurimas traditiones observabant, *hi* liberiùs vivebant. *Illi* censum Cæsari, quippe à quo Herodes tetrarcha erat constitutus, dandum esse urgebant, *hi* contrà pro libertate populi Judaici, ab omni Magistratus peregrini jugo eximendi acriter pugnabant. Licèt igitur aliâs hostes essent ἄσπονδοι, nunc tamen unicè conspirant, & junctim de Christo capiendo deliberant. Fuit & hoc scelus non exiguum, talibus se associare, qui & doctrinæ corruptelis, & perversis moribus essent contaminati. Christus erat Magister divinitùs missus, & eorum salutem curabat, sed hunc fugiunt: Herodiani errabant multifariam, & Pharisæorum inimici erant; hos tamen sequuntur, & cum iis contra Christum ineunt consilium.

Morus hic mos est hujus seculi, ut contra Christum & veritatem conspirent plurimi, licèt aliâs sibi invicem sint contrarij. Ut enim uni virtuti in medio constitutæ extrema multa adversantur: Sic veritas una est, ex unico Dei verbo petita, sed ab hostibus non paucis etiam extremè dissentientibus impugnatur. Eadem sors piorum est: cuduntur contra ipsos consilia, congregantur conciliabula, conspirant impiorum agmina. Gentes enim conveniunt in unum adversus Christum, *Psal. 2. vers. 2.* & consultant unanimiter contra timentes Deum, *Psalm. 38. v. 6.* Si Jerusalem sit oppugnanda, coit Rex Israel, & Rex Damasci, *Esai. 7 v. 1.* *Impij se cõsociant.*

Quùm

Quùm Judæi urbem instaurant, mox & Arabes, & Ammonitæ, & Azotij congregantur, *Nehem.* 4. *v.* 7. 8. Quùm Christus interficiendus est, Pilatus & Herodes facilè amici fiunt, *Luc* 23. *v.* 12. Sic Judæi & milites Romani adversus Christum, *Iohan.* 19. *v.* 2. Scholarchæ Hierosolymitani adversus Stephanum, *Act.* 6. *v.* 9. *cap.* 7. *v.* 54. Pharisæi & Sadducæi adversus Paulum, *Act.* 21. *v.* 27. *c.* 24. *v.* 1. coacti sunt, & operas suas conjunxerunt. Sic olim Ariani & Eunomiani, post etiam Meletiani contra Catholicos inierunt concordiam, teste *Nicephoro*, lib. 8. cap. 46. & lib. 12. cap. 8. quos hodiè imitantur Jesuvvitæ & Calviniani, qui in oppugnandâ majestate Carnis Christi amicè consentiunt, & iisdem armis dimicant; ut θέσεων Ingolstadiensium, *Anno* 1571. editarum recusio, & hîc Wittebergæ, & Genevæ instituta, luculenter testatur. Nimirùm hæ sunt vulpes Samsonis, quæ capitibus diversæ, caudis tamen, ad succendendam Reip. Christianæ segetem conjunctæ sunt, *Iud.* 15. *vers.* 4. 5.

Caveamus autem nobis ab his vulpeculis, ne incautos capiant: Servemus unitatem pacis & fidei, ne vincamur ab inimicis. Dedecus est, hos conspirare, & nos dissentire. Stultum est, hostibus concurrentibus, consilia nolle conjungere. Pessum eunt omnia, ubi locum tenet discordia. Deus non dissensionis, sed pacis Deus est, 1. *Cor.* 14. *v.* 33. Fraternè igitur cohabitandum, si Dei velimus habere auxilium: Quòd si verò vos invicem mordetis, videte ne consumamini; ait Apostolus, *Gal.* 5. *vers.* 15.

4. Damna- Quartum & ultimum Pharisæorum vitium est

Damnata

Damnata hypocriſis. Summam enim ami- *ta hypocri-*
citiam ſimulant, & blandiſſima verba proferunt, *ſis.*
Chriſtum nominando *Magiſtrum*, & tribuendo
ei laudem veracitatis ac candoris. Interim in cor-
de ipſum odio habebant, & ut capere poſſent, o-
mnibus modis laborabant. Ita nimirũ erat mel in
ore, ſed fel in corde. Erant verba lactis, ſed fraus
in factis. Erat foris veſtitus ovium, ſed intus rapa-
citas luporum.

Execrabile hoc peccatum eſt, nihil tamen in vita humana vulgatius. Plerumque *Vulgare hoc vitium eſt.*

Os nectar promit, mens aconita vomit.

Multi *Scorpionibus* ſimiles ſunt, qui ore lingunt, ſed caudâ pungunt. Inſtar *apum* ſunt, quæ in ore mel geſtant, ſed in cauda aculeum. *Audis plerunque vocem juſti, ſed non eſt cor juſti,* ait Auguſtinus in Pſal. 139. Sæpius adhuc Cainus egreditur cum Abele, charitatem ſimulans, & interim vitæ inſidians, *Gen.* 4. *v.* 8. Sæpius Abnerũ pacificè alloquitur Joabus, ut eum faciliùs è medio tollat, 2. *Sam.* 2. *v.* 27. Sæpius Ammonem blandè invitat Abſalon, ut poſtmodum percutiat, 2. *Sam.* 13. *v.* 27. 28. Plurimos fratres habet Judas Iſchariotes, qui amicè oſculatus eſt Chriſtum, & hoc ipſo in manus Phariſæorum tradidit, *Matth.* 26. *v.* 49. Sic multi laudant in faciem, & titulos magnos tribuunt iis, quos tamen apud alios culpant, & contemnunt. Sic Calvinicolæ Lutherum quandoq; extollunt, cujus tamen infenſi hoſtes ſunt, qui & nomen & doctrinam illius ſimul ſuppreſſam cupiunt.

Quùm igitur hunc ſeculi morem eſſe ſcimus, prudenter ambulandum eſt, ne vel periculum incurramus, vel conſcientiam violemus. Duo

igitur

igitur præcepta memoriæ probè infigere, & quotidianâ praxi exprimere debent Christiani.

Non credendum adulatoribus.

1. Ne *credant adulantibus*. Nihil movebatur Christus encomiis Pharisaicis, sed animosè dixit: *Quid me tentatis hypocritæ?* v. 18. Ita non patiamur nos decipi per blandas voculas, sed tales pro hypocritica tentatione habeamus. Nihil enim sunt aliud, quàm sepulcra dealbata, quæ foris apparent speciosa, sed intùs plena sunt omni spurcitiâ, *Matth. 23. v. 27.* Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris, inquit *Augustinus* in Psal. 69. Tu ergò, ut inimicos cave, quorum sermones super oleum molles, & ipsi sunt jacula. Corrumpunt fictis laudibus leves animas, & malè credulis mentibus blandum vulnus infigũt, uti monet *Hieronymus*, Epist. ad Demetr. Sunt enim *locustis* similes, quæ Ægyptios vastârunt: & *canibus*, qui vulnera lingunt, non sanant, licèt ad tempus refrigerent: & *aucupibus*, qui fistulâ canunt, ut aves capiant. Sic blandam fistulam adhibuit Satanas, ut seduceret Evam, *Gen. 3. v. 1.* quâ arte multos adhuc incautos in extrema pericula conjicit. Hinc Antisthenes apud *Stobæum* Serm. 12. adulatorem *Corvo pejorem* rectè asseruit, siquidem corvus hominibus saltem mortuis, adulator autem & vivis oculos evellit, illósque adulatione excæcat. Et *Plutarchus* ait, eos qui libenter præbent aures palponibus, nihil deferre ab iis, qui crura præbent supplantantibus. Sunt instar *suum*, qui dum fricantur, & trillantur, se facilè patiuntur deijci.

Fugienda hypocrisis.

2. Ne *conformentur hypocritis*. Nullum enim detestabilius vitium est, quàm simulatio. Virum frau-

fraudulentum abominatur Deus, *Psal. 5. v.7. Proverb. 3. vers. 22.* quia talis astutia cum malitia est conjuncta, *Syr. 19. 20. v. 22.* Unde sapientia animalis, & dæmoniaca appellatur, *Iac. 3. v.15.* Non autem oportet, *fratres mei,* hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? *v. 10. seqq.* Illi tantùm habitabunt in Tabernaculo Domini, qui loquuntur veritatem, & non agunt fraudulenter, *Psal. 15. v. 2.* Viri autem dolosi non dimidiabunt dies suos, *Ps. 55. v. 24.* Confunduntur tandem, & haut raro seipsos condemnant, ut sint inexcusabiles. Sic Pharisæi sunt à Christo confusi, & propriis verbis damnati. Fatentur enim ipsum Magistrum esse *veracem*, qui falsa detestetur, & *fidelem*, qui viam Dei rectè doceat; & *imperterritum*, cui non sit cura de aliquo; & *candidum*, qui personas hominum non aspiciat; quæ virtutes sunt nobilissimæ, quibus si doctor aliquis sit ornatus, nihil in eo desiderari poterit. Quùm igitur Christum iis præditum esse asserant, sanè hoc ipso se accusant. Si enim Magister verax fuit, cur non audierunt? Si viam Dei rectè docuit, cur de illo capiendo deliberârunt? Ita nimirum hypocritæ semetipsos constringunt, & alios capturi, propriis verbis capiuntur. Loquatur ergò unusquisque veritatem ad proximum, & agat candidè, *Pacem & veritatem diligite*, clamat Jehovah Zach. 8. v. 19. *Sermo vester sit, est, est, & non, non*, docet Jehovæ filius, Matth. 5. v. 37. *Deponite mendacium, & loquimini veritatem,* monet Filij Apostolus, Ephes. 4. v. 25. secus si facias, mox Deum offendes, con-

ſcientiam lædes, teipſum damnabis, boniſque omnibus fies abominabilis.

Faxit igitur Jehovah, ut à vitiis iſtis Phariſaicis abſtineamus, ut erga Chriſtum fideles, erga proximum benevoli, ab omni conſpiratione & ſimulatione alieni ſimus, ſemper memores Aphoriſmi Evangelici; *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, cui ſit laus & gratiarum actio, Amen.

EVANGELIUM

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS.

Matth. 9. à v. 8 uſque ad 17. Marc. 5. v. 22. Luca 8. verſ 41.

De ſanatâ hæmorrhouſâ, & ſuſcitatâ Iairi filiâ.

V. 18. Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων εἷς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ λέγων, ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν· ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπ' αὐτὴν καὶ ζήσεται.

Quùm autem hæc loqueretur cum eis, veniẽs princeps quidam, appropinquavit, & adoravit eum, inquiens, Filia mea nunc mortua eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

Da er ſolches mit jhnen redet: Sihe / da kam der Oberſten einer / vnd fiel für jhm nider / vnnd ſprach: Herr / meine Tochter iſt jetzt geſtorben / aber kom̃ / vnd lege deine Hand auff ſie / ſo wird ſie lebendig.

19. καὶ ἐγερθεὶς ὁ Ἰη-

Surgens itaq; Je-

Jeſus ſtund auff /

σοῦς

συνηκολούθησεν αὐτῷ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.	ſchua ac diſcipuli ejus, abierunt poſt eum.	vnnd folget jhm nach/ vnnd ſeine Jünger.
20. καὶ ἰδοὺ γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.	Et ecce mulier, quæ profluvio ſanguinis laborabat à duodecim annis, venit à tergo illius, tetigítq; fimbriam veſtimenti ejus.	Vnnd ſihe/ ein Weib/ das zwelff Jahr den Blutgang gehabt/ trat von hinden zu jm/ vnnd rühret ſeines Kleids Saum an.
21. ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ, ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι.	Dicebat enim in anima ſua (*apud ſe*) ſi ſolùm tetigero veſtimentum ejus, ſanabor ego.	Denn ſie ſprach/ bey jr ſelbſt: Möcht ich nur ſein Kleid anrühren/ ſo würd ich geſund.
22. ὁ Ἰησοῦς ἐπιστραφεὶς, καὶ ἰδὼν αὐτὴν, εἶπε, θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.	Jeſchua autem converſus reſpexit eam, & dixit ei: Bono ſis animo filia mea: fides tua ſervavit te: & ſanata eſt iſthæc mulier ex illâ horâ.	Da wendet ſich Jeſus vmb/ vñ ſahe ſie/ vnnd ſprach: Sey getroſt meine Tochter/ dein Glaube hat dir geholffen. Vnd dz Weib ward geſund zu derſelbigen ſtunde.
23. καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον,	Venítq; Jeſchua in domũ principis illius, ac videns tibicines turbásque tumultum edẽtes:	Vnd als er in des Oberſten Hauß kam/ vnd ſahe die Pfeiffer/ vnd das getümel des Volckes/
24. λέγει αὐτοῖς, ἀναχωρεῖτε· οὐ γὰρ ἀπέθανεν τὸ κοράσιον,	Ait illis: Recedite vos, puella enim mortua nõ eſt, ſed	Sprach er zu jhnen: Weichet/ denn das Mägdlein iſt nicht todt/ ſon-

ἀλλὰ καθεύδει. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ. | dormit, & subsannabant eum. | dern es schläfft. Vnd sie verlachten jhn.

25. ὅτε ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, εἰσελθὼν, ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς. καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον. | Quúmque ejecisset turbas, ingressus, prehendit eam manu ejus. Et surrexit puella. | Als aber das Volck außgetrieben ward/gieng er hinein/ vñ ergreiff sie bey der Hand/ da stund dz Mägdlein auff.

26. καὶ ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὕτη εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην. | Et exiit hæc fama in universam illam terram. | Vnd diß Gerücht erschall in dasselbige gantze Land.

Homilia.

Christus est Adjutor.



Uòd elogium à Psalmistâ Deo in genere, hoc Dei Filio in specie rectè tribuitur, nimirum, quòd sit refugium pauperi, & Adjutor in opportunitatibus, *Psal. 9. v. 10.* Venit enim in mundum, tanquam verus Salvator, *Luc. 2. v. 11.* qui neminem ad se venientem forâs ejicit, *Ioh. 6. v. 37.* sed omnes sine respectu Personarum in clientelam suam recipit.

Hunc animum clementissimum ostendit tum *verbis* mellifluis, quibus omnes laborantes ad se invitavit, *Matth. 11. v. 28.* tum *factis* & miraculis quamplurimis, quibus diversis hominibus benevolè succurrit.

Summa Evangelij. Ex illorum numero nobis duo proponuntur in hodierno Evangelio, siquidem hæmorrhousam subitò sanavit, & mortuam Jairi filiam verbo resuscitavit, hoc ipso indicans, quòd in omni gen-

te,

te, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus sit illi, *Act.* 10. v. 35.

Audite igitur vos *viri & fœminæ.* Salvatorem pariter habetis. Jairus Christum vocat, & sequitur: Hæmorrhousa tangit fimbriam, & sanatur. Ita nempè non est apud illum vel masculus vel fœmina, *Gal.* 3. v. 28. Audite vos *Iudæi & Ethnici:* Opitulatorem benignum habetis. Jairus princeps Synagogæ, hæmorrhousa gentilis fœmina erat: Et tamen Christi auxilium ex æquo impetrant. Nam ipse lapis angularis est, ad quem omnes populi confugere debent, *Esa.* 28. v. 16. Audite vos *pueri & senes:* Peritissimum medicum habetis. Jairi filia, ætatis teneræ puella revocatur in vitam: Hæmorrhousa verò provecta, recuperat sanitatem. Senes igitur cum junioribus laudent nomen Domini, *Psalm.* 148. v. 12. Audite vos *docti & indocti:* consolatorem optimum habetis. Jairus Archididascalus, quod petit, impetrat: hæmorrhousa simplex & indocta, blandum alloquium audit: *Confide filia, fides tua te salvam fecit,* v. 22. Bonis enim qualescunque sint omnia cooperantur in bonum, *Rom.* 8. v. 28. *Vsus Evangelij.*

Ita igitur in hoc Evangelio cuncta sunt geminata. Datur duplex *calamitas*, duplex *petitio*, duplex *solatium*, & duplex *auxilium*; quâ etiam de caussâ utramq; historiam conjungemus, & *quid in communi junctimque nos edoceant*, sine ulteriori proœmio paucis indicabimus. *Propositio.*

Christus Sanator & Vivificator optimus, nos adjuvet, ut ipsi grata, nobis salutaria, dicamus, Amen.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

ORdiuntur hanc historiam Evangelistæ à particula, *Ecce*, quæ non tantùm est demonstrantium, sed potius admirantium, qui & Christi bonitatem prædicare, & nostram attentionem excitare cogitant. Diligenter ergò auscultemus, & quid in utraque historia memorabile sit, attentis animis consideremus.

Occurrunt autem tres cumprimis loci, qui studiosam merentur observationem, & de quibus ordine agendum erit.

1. De miseriis & brevitate vitæ humanæ.

Primus est de miseriis & brevitate vitæ humanæ. Miserias in exemplo *hæmorrhousæ*, brevitatem in *mortuâ Iairi filiâ* videmus.

Calamitates hæmorrhousæ.

Sanè, afflictissimus fuit status fœminæ illius, quippe quæ experiebatur corporales & spirituales, externas & internas calamitates. *Externæ* fuerunt 1. Morbus molestissimus & impurus, qui ob id à Marco *cap. 5. v. 29.* Μάστιξ vel flagellum nuncupatur. 2. Dolor & lassitudo totius corporis, unde *Marc. 5. v. 26.* multa perpessa dicitur à pluribus Medicis. 3. Diuturnitas mali, quo per 12. integros annos laboravit, uti Matthæus *v. 20.* testatur. 4. Paupertas, quia in medicos impenderat omnem substantiam. *Luc. 8. v. 43.* & tandem 5. Mors jam jam impendens, quia nihil adjumenti sensit, sed magis in deterius venit, *Marc. 5. v. 26.* *Interna* fuerunt 1. Nativitas extra Ecclesiam, quia teste Nicephoro *lib. 7. cap. 17.* fuit gentilis, oriunda ex Cæsarea Philippi 2. Angor animi, ob subtractam Dei gratiam & diuturnam mali durationem, 3. Timor, quia Christum nec alloqui, nec tangere audebat,

 sed

ſed in turba veniens, à tergo tantùm tetigit ejus veſtimentum. *Tot* nimirum & tàm variis in vita miſeriis ſubjecta fuit hæc mulier, adeoq; ſpeculùm ſit humanæ fragilitatis & infirmitatis.

Labores & miſeriæ hujus vitæ.

Verè vita noſtra nihil eſt aliud quàm labor & dolor, *Pſalm.* 90. *v.* 10. Laborandum & patiendum eſt, quamdiu vivimus. Angitur Jairus & hæmorrhouſa; dolent mares cum fœminis, divites cum pauperibus, Eccleſiaſtici cum politicis, docti cum idiotis, ſenes cum junioribus. Non fuit, non eſt, non erit homo, qui non ingeminare cogatur illud Davidicum: *Domine, die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua,* Pſal. 32. v. 4. Omnia enim quæ inſpicimus membra, ſunt morbis obnoxia, ſunt bilis & pituita. Semen fœtidum ſumus, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina. Naſcitur homo ad laborem, ut avis ad volatum, *cap.* 7 *verſ.* 1. Homo natus de muliere, impletur miſeriis multis, *cap.* 14. *verſ.* 1. Occupatio magna creata eſt omnibus, & jugum grave ſuper filios Adam, *Syr.* 40. *v.* 1. Jam morbi nos invadunt, magno impetu: jam paupertas premit: jam mors iter accelerat, horíſque ſingulis impendet. Neque verò tantùm corporalibus & externis miſeriis ſubjecti ſumus: Intus latet ſcaturigo mali, ipſa anima in ſummas conjecta eſt anguſtias, ob reatum antiquæ labis. Nos omnes hæmorrhouſæ ſumus ſimiles, & profluvio laboramus peccati, quod in Scriptura ſæpè ſanguis dicitur, ut *Eſai.* 1. *verſ* 15. *cap.* 4. *v.* 4. *cap.* 59. *v.* 3. *Hoſ.* 4. *v.* 2. tùm propter abominationem, quia

esus sanguinis apud Hebræos erat detestabilis, tum propter pœnam, quia peccata sanguine sunt expianda, & capitale supplicium merentur. Qui ergò status fuit hæmorrhousæ, idem & noster est. Profluvium reddidit illam impuram: Sic & nos immundi sumus, de immundo concepti semine, *Iob. c. 14. v. 4.* imò & justitiæ nostræ sunt quasi pannus menstruatæ, *Esa. 64. v. 6.* Profluvium reddidit illam lassam & infirmam: Ita nos quoque ob peccati sarcinam laboramus, *Matth. 11. v. 29.* non est pax ossibus nostris à facie iniquitatum, *Psal. 38. v. 4.* Profluvium reddidit illam ineptam ad conversationem hominum, quia tales fœminæ vi legis excludebantur à sacris cœtibus, *Levit. 25. v. 19. cap. 20. v. 18.* Ita peccatum nos separat à Deo, *Esa. 59. v. 2.* ut non habeamus partem in consortio filiorum ejus, quia foris sunt immundi, & omnes qui amant & faciunt mendacium, *Apoc. 22. v. 15.* Profluvium reddidit illam inquietam, ut hinc inde discurreret, nec tamen auxilium inveniret: Sic impij sunt quasi mare fervens, quod quiescere non potest, *Esa. 57. vers. 20.* Quærunt opem apud homines, sed nihil adjumenti sentiunt. Profluvium absumsit omnem substantiam: sic quicquid boni adhuc in homine est reliquum, id omne per peccatum corrumpitur, quia mentem excæcat, *Ephes. 4. v. 18.* & voluntatem ad malum inclinat, *Genes. 6. v. 5.* Profluvium fuit flagellum, quo miserè excruciabitur ista fœmina: Sic multa sunt flagella peccatoris, *Psal. 23. v. 10.* torquetur quotidie, ut clamandum sit cum Davide: *Anima mea turbata est valdè: Et tu Domine usquequò?* Psal. 6. v. 4. Profluvium duravit non tantùm per

Comparatio profluvij & peccati.

aliquot

aliquot ſeptimanas aut menſes, ſed per integros 12. annos; Jta peccatum non eſt res tranſiens, & facilè evaneſcens: adhæret tenaciſſimè; *Heb. 12. v. 1.* habitat in noſtra carne, *Rom. 7. v.18.* ut quamdiu vivimus circumferre illud nos oporteat. Tot igitur & tantæ ſunt calamitates hominum, ut ſanguineis etiam lacrymis eas ſatis deplorare nequeamus.

Quemadmodum verò fragilis; ſic *brevis*, imò breviſſima eſt vita humana. Quum maximè floret, mox abripitur, & tranſit. Filia Jairi attigerat annum duntaxat duodecimum, *Lucæ 8. verſ. 42.* adeoq; erat inſtar floſculi virentis & ſuccreſcentis: erat delicium patris, qui ſperabat ſe propediem acquiſiturum generum, & habiturum nepotes. Sed ecce Spes omnis in fumum abiit. Mortua eſt puella & vitam finiit in ætate florida. O ſpes fallaces, ô vitam hominum verè momentaneam! Vix nati ſumus, & iterum denaſcimur. Mare vitreum ſumus, quod quum maximè ſplendet, frangitur, *Apoc. 4. v. 6.* Quum Belſazer deliciis intentus eſt, veniunt hoſtes & opprimitur, *Daniel. 5. v. 30.* Quum Haman in Convivio Regio epulatur, mox ad patibulum trahitur, *Eſth. 7. 1.* Quum dives agricola voluptatem meditatur animæ, illa ipſa nocte abripitur, *Luc. 12. v. 20.* Quum Herodes pro tribunali ſedet, percutitur ab Angelo, & conſumitur à vermibus, *Actor. 12. v. 21.* Ita nihil ſtabile eſt in rebus humanis. Qui hodie Rex eſt, cras morietur, *Syr. 10. v. 12* Vita hæc verè umbra eſt, quæ facilè evaneſcit, *Iob. 14. v. 2.* ſomnium eſt, quod citò avolat, *Iob. 20. v. 8.* Ventus eſt, qui celeriter tranſit, *Pſalm. 78. verſ. 39.* flos eſt, qui re-

Fragilitas & Brevitas vitæ humanæ.

pentè decidit, *Psal. 103. v. 15.* tela textoris est, quæ subitò abrumpitur, *Esa. 38. v 20.* bulla est, quæ statim concidit, *Hos 10. v. 7.* pruina est, quæ à Sole absumitur, *Sap. 2. & 3.* vapor est, qui ad modicum apparet, *Iac. 4. v. 14.* imò aqua est, quæ velociter decurrit, *2. Sam 14. v. 14.*

Quum ergò hæmorrhousa *miserias*, & Jairi filia *brevitatem vitæ* nobis ante oculos ponat, jam quid nostri sit officii, perpendendum est. Nimirum requiruntur à nobis 1. *Fontis agnitio*, unde tot mala scaturiunt. Monstrat illum Apostolus, quum ait: *Per peccatum mors intravit in mundū*, Rom. 5. v. 12. Nostra est culpa, non Dei, quòd angimur. Nobis ipsi & morbos & mortem attraximus, quia peccavimus: Hoc est ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας, *Rom. 6. v. ult.* Hi sunt vermes illi, enati ex fructu vetito, qui cor nostrum erodunt, & vitam subitò absumunt.

Nostrum est 1. Agnoscere malorum fontem.

2. *Pravorum affectuum abjectio.* Absit superbia, quia limus & fimus, terra & cinis sumus. Absit ira, & vindictæ cupiditas, quia in multis labimur omnes, *Iac. 3. v. 2.* & iisdem miseriis singuli sumus expositi. Absit avaritia, quia mox relinquendum est, quod colligimus: & invidia, quia confestim transit mundi gloria; & impatientia, quia ferenda sunt, quæ mutari nequeunt. Nondum laborâsti per 12. annos, nondum impendisti omnem substantiam in medicos: Cur igitur grūnis, nec Dei auxilium patienter expectas?

2. Abjicere pravos affectus.

3. *Devota conversio* Quum enim omnia mala sint pœnæ & flagella Dei, utique ad nullum alium, quàm ad ipsum confugere decet. Ipse enim percutit & sanat, ipse vulnerat, *Oseæ 6. vers. 1.*

3. Pœnitentiam agere

Pro-

Probatus est medicus, qui *fingit plasmata, antequam faciat vulnera*, dicente *Evagrio*. Non ergò procrastinemus pœnitentiam, sed revertamur ad illum maturè. Ita mitigabuntur miseriæ, sistetur fluxus peccati, mors vertetur in somnum, imò in transitum ad vitam beatiorem.

4. *Mundi desertio.* Quoniam in hoc mundo nihil est aliud, quàm pati & mori, quis illi adhærendum censeret? Quis super vitrum ædificat, vel spem suam super Crystallum ponit? Jam verò mundus est mare vitreum; *Apoc. 4. v. 6.* Annón igitur stulti sunt, qui mundum, & res mundanas nimis diligunt? Sanè nîl faciunt aliud, quàm quòd diu in carcere esse, diuque torqueri stolidè exoptant. Splendet quidẽ mundi gloria, multosque suo fulgore attrahit; sed splendor vitreus est, qui tandem desinit in tenebras. Ut stupa accensa mox in auras evanescit, sic honor mundi facilè diffluit. Amare igitur mundum, est amare periculum; O *amatores mundi*, exclamat Augustinus, *non est requies ubi quæritis eam! Vitam beatam quæritis in regione mortis? Non est hîc. Quomodo esset beata vita, ubi non est vita?* Mundo igitur valedicamus, quærentes ante omnia regnum Dei, *Matth. 6. v. ult.* & suspirantes ad cœleste πολίτευμα, *Phil. 3. v. 20.* sic à molestiis cum hæmorrhousa tandem liberabimur, & à Christo suo tempore cum Jairi filia in vitam revocabimur. *4. Et mundum deserere.*

Secundus locus est, De inefficaci morborum peccati & mortis curatione. Hæmorrhousa physicis mediis nimiùm confisa est, adeò quidem. *2. De inefficaci curatione.*

quidem, ut omnem ſubſtantiam profuderit in medicos, neque tamen quicquam profecit; Refertur enim de illa 1. *Quòd* multa perpeſſa ſit è compluribus medicis. Sic enim animati ſumus, ut quando de exercitato Medico audimus, ſtatim opem ejus imploremus, & ab illo juvari nos poſſe ſperemus, quum tamen multos medicos accerſere nihil ſit aliud, quàm τὰ παθήματα accumulare. 2. *Quòd* impenderit omnem ſuam ſubſtantiam. Debetur enim Medico pro labore ſuo honorarium, quum æquum ſit, ut accipiat præmium, qui prodeſſe nobis ſtuduit. 3. *Quòd* nihil adjumenti ſenſerit, quia Deo benedictionem ſubtrahente, non eſt in medico, ut æger reveletur. 4. *Quòd* ſemper deteriùs habere cœperit, quia plus fiduciæ collocârat in Medico, quàm in ipſo Deo.

Medicina non raro infructuoſa eſt.

Sic ergò videmus, quòd infructuoſa ſit omnis Medicina, niſi acceſſerit divina benedictio. Eſt quidem illa præclarum Dei donum, quod Syracides magnificè commendat, *cap.* 38. & quod inter Chariſmata Spiritus S. refertur, *1. Cor.* 12. *verſ.* 9. nihil tamen per ſe efficit, niſi Deus ſuam largiatur gratiam, ſicut absque ejus auxilio nec res domeſtica augetur, *Pſalm.* 128. *v.* 1. nec agricultura incrementum ſumit, *1. Cor.* 3. *v.* 7. Non ergò nimium hæreamus in externis mediis, quia morbus tantùm augetur, ſi magis medicorum arti, quàm Deo confidamus, quod Aſæ, pio alioquin Regi accidit, *2. Paral.* 16. *v.* 12.

Jam verò Jairum quod attinet fuit ille Doctor Legis, & ſanctitatis externæ ſtudioſus, ideoque procul dubio ſpem omnem in ſuis operibus po-

fuit.

ſuit. Sed nihil illa proſunt, mortem è domo arcere, & iram Dei avertere non poſſunt. Lapideæ tabulæ Legis, quæ opera requirunt, ſunt inſtar cotis alicujus, ad quam mors ſtimulum ſuum excuit, quia Lex iram Dei operatur, *Rom. 4. v. 15.* peccati virtus eſt, 1. *Cor. 15. v. 56.* & maledictionem minatur omnibus transgreſſoribus, *Deut. 27. v. 26.* Quis autem eſt, qui non prævaricetur? Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt, 1. *Iohan. 1. v. 8.* Et tamen maximè nonnunquam benè operemur, tamen illud omne imperfectum eſt, maloque permixtum. Licet etiam perfectum eſſet, tamen foret debitum, & cogeremur fateri, *servi inutiles ſumus*, Luc. 17. v. 10. Nulla igitur ſunt operum merita, nec in iis ſpem noſtram tempore morborum, tentationum, vel mortis collocemus. Multò minùs autem peregrina, & in Verbo Dei non præſcripta remedia conquiramus, quod olim in Papatu factitatum eſt, & etiamnum fieri aſſolet. Sentiunt illi homines miſerrimum naturæ morbum, agnoſcunt fluxum ſanguinis, & ſtimulum mortis: Sed inefficacia & illegitima pharmaca uſurpant. Alii peregrinationes inſtituunt, alii in Cucullis Monaſticis auxilium quærunt: alii Miſſas quotidiè audiunt, cereos accendunt, indulgentias emunt, ad templa fundanda contribuunt, corpus flagellant, bona diſtribuunt, & in clauſtris ſe abſcondunt. Hoc ſanè eſt omnem ſubſtantiam in Medicos impendere cum hæmorrhouſa. Unde tamen nihil ſequitur aliud, quàm ut miſeri homines multa à multis patiantur, & nihil relaxationis, ſed majores ſubinde cruciatus percipiant. Ditant quidem ſuis

Operibus non confidendum.

Stultitiæ Papicolarum.

bonis

bonis malefidos animarum curatores Monachos; ſed nihil conſolationis inde ſentiunt: augetur morbus, & tandem expirant cum gemitu, incerti utrum in cœlum, an in purgatorium vel infernum deventuri ſint. Proinde hæc obſtacula maturè ſunt removenda, ne nimiùm tribuamus vel medicis, vel noſtris operibus, multò minus peregrina, & verbo DEI non expreſſa auxilia hinc inde con[illegible]niramus.

3. De Veris remediis. Tertius lo[illegible]s eſt de Veris licitisque in omni malo rem[illegible]iis. Oſtendunt illa Jairus & hæmorrhouſa ſu[illegible] ex[illegible]nplo, dum tria de illis narrantur.

Quæ ſunt agnitio infirmitatis. Nam 1. *Agnoſcunt infirmitatem.* Videt enim hæmorrhouſa, ſe fruſtrà conſuluiſſe Medicos, & Jairus ſe ſpem inanem poſuiſſe in operibus. Majorem fatentur eſſe calamitatem, quàm ut talibus adminiculis fugari poſſit. Idem à nobis requiritur. Agnoſcenda eſt malorum gravitas, & virium noſtrarum imbecillitas. Cur morbum diſſimulamus, ſi curari volumus? *Notitia peccati eſt initium ſalutis*, juxta Bernhardum. Inveteraſcunt oſſa ſi tacemus, *Pſalm. 32. v. 3.* Non ignoſcit Deus, niſi tu priùs agnoſcas. Nihil accipit mendicus, niſi inopiam ſuam profiteatur. Si non erubuiſti peccare, cur erubeſcis peccatum confiteri? Imitare Davidem, *2. Samuel. 12. v. 13.* & filium prodigum, *Luc. 15. v. 21.* & Publicanum, *Luc. 18. v. 13.* qui omnes conſecuti ſunt gratiam, quum confiterentur culpam.

Inquiſitio Chriſti. 2. *Confugiunt ad Chriſtum.* Accedit enim Jairus, ut filia liberetur à morte: accedit etiam hæmor-

hæmorrhousa, ut sistatur fluxus sanguinis. Accedamus nos quoque verâ fide, & salvi erimus. Christus est unicus humani generis auxiliator: cur non ad eum confugeremus? Ipse est propitiatorium, & thronus gratiæ, *Rom. 3. 25.* Cur non illum quæreremus? Ipse est fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, *Zach. 13. 1.* cur non ex illo hauriemus? Apud hunc Pater deposuit omnem plenitudinem, ut nos accipiamus gratiam pro gratia, *Ioh. 1. v 16.* In hoc solo salutem habemus, *Actor. 4. v. 12.* hic est sanator noster unicus, *Exod. 15. 26.* qui sanat morbos *animæ*, peccata condonando; morbos *corporis*, valetudinem restituendo; morbos totius *Ecclesiæ*, potenter liberando & hostibus resistendo. Hic Medicus salutare pharmacũ nobis omnibus paravit in ara crucis, quando vulneratus est propter iniquitates nostras, *Esa. 53. 5.* ubi effusus est sanguis, qui emundat nos ab omni peccato, *Ioh. 1. 7.* Hunc ergò medicũ in omni adversitate quæramus, dicentes cum Josaphato ex 2 Paral. 20. 12. *Domine, quum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.*

3. *Humiliter orant, & firmiter sperant.* Nam Jairus procidit in genua, & precatur Christum, ut imponat manum super filiam. Hæmorrhousa accedit à tergo, & suspirans tangit Christi fimbriam. Erat igitur utriusq; devota precatio. Jairus orat ante Christi faciem, hæmorrhousa à tergo: ille palàm & ore, hæc clàm & corde. Atque hoc optimum est in miseriis remedium: Si ores, statim Christus sequitur, & virtus vivifica exit. Petite ergò, & accipietis *Matth. 7. 7.* postules à Deo, & dabitur

Humilis oratio & spes firma est.

bitur affluentur, *Iac. 1 v. 5.* Nam oratio est clavis cœli. *Quamprimùm ascendit oratio, descendit miseratio*, juxta Augustinum. Ores autem cum spe indubia: qui enim hæsitat, nihil accipit, *Iac. 1. v. 7.* Jairus credidit, solam impositionem manus in vitam filiæ: & hæmorrhousa censuit, solum tactum fimbriæ in restitutionem valetudinis cessuram: Hæc spes non confudit ipsos, *Rom. 5. v. 5.* Nam resuscitata est filia, & sanata est fœmina. Si non statim affulget auxilium, instes precando, & disces patienter ferre mores & moras Domini. Nondum laborâsti per octo annos, ut Æneas, *Act. 9. v. 33.* nondum per 12. ut hæmorrhousa, nondum per 38. ut ægrotus ille, *Ioh. 5. v. 5.* Hi omnes sperârunt tamen in Dominum, et tandem exauditi sunt. Quare viriliter age, confortetur cor tuum, & expecta Dominum, *Psalm 27. v. ultim.* None mentietur: tandem veniens veniet, & non tardabit, *Hab. 2. v. 3.*

Hunc ipsum ardenter invocamus, ut in nobis fluxum peccati sistat, ut miserias hujus vitæ mitiget, ut mortem in placidum somnum commutet, tandemque ad vitæ melioris possessionem nos resuscitet, ubi non amplius à tergo tangemus fimbriam, sed ipsum coram intuebimur à facie ad faciem, & hymnum gloriæ pro sanatione & vivificatione canemus in secula seculorum,

Amen.



EVAN-

EVANGELIUM DOMINICA XXV. POST TRINITATIS,

Matth. 24. à v. 15. usque ad 26. Marc. 13. v. 14. Lucæ 21. vers. 20.

De vastatione Hierosolymæ, & extremo judicio.

v. 15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, ὁ ἀναγινώσκων νοείτω.

QUum autem videritis portentum immundum vastationis, quod dictum est per Daniil Prophetam, stans in loco sancto, (is qui legit intelligat.)

WEnn jhr nun sehen werdet den Grewel der Verwüstung / davō gesagt ist durch den Prophetē Daniel / das er stehe an der heiligen Stätte / Wer da liset / der mercke drauff.

16. Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη.

Tunc illi qui in Jihoudæa fuerint, fugiant in montem.

Alsdenn flihe auff die Berge/wer im Jüdischen Lande ist.

17. ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ.

Et is qui fuerit in tecto, non descendat, ut sumat, quæ sunt in ædibus suis.

Vnnd wer auff dem Dache ist / der steige nicht hernider etwas auß seinem Hause zu holen.

18. καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, μὴ ἐπιστρεψάτω

Et qui in agro fuerit, non rever-

Vnnd wer auff dem Felde ist / der

ὀπίσω ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ.	tatur retro, ut accipiat veſtimentũ ſuum.	kehre nicht vmb ſeine Kleider zu holen.
19. οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, καὶ ταῖς θηλαζούσαις, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.	Væ autem prægnantibus, & iis quę nutrices futuræ ſunt in illis diebus.	Wehe aber den Schwangern vnd Seugern zu der Zeit.
20. προσεύχεσθαι δὲ ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μηδὲ ἐν Σαββάτῳ.	Orate verò ne fiat fuga veſtra hyeme neq; Sabbato.	Bittet aber/das ewer flucht nicht geſchehe im Winter oder am Sabbath.
21. ἔσαι γὰρ τότε θλίψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ᾽ ἀρχῆς κόσμου, ἕως τὸ νῦν, οὐδ᾽ οὐ μὴ γένηται.	Erit enim tunc oppreſſio magna, qualis non fuit ab initio mundi, nũc uſque, nec erit.	Denn es wird alsdenn ein groß Trübſal ſein / als nicht geweſen iſt von anfang der Welt/ bißher/ vnd als auch nicht werden wird.
22. καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ. διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.	Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, non viveret omnis caro, verùm propter electos decurtabuntur dies illi.	Vnnd wo dieſe Tage nicht würden verkürtzet/ ſo würde kein Menſch ſelig/ Aber vmb der Außerwehlten willen werden die Tage verkürtzt.
23. Τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, ἰδοὺ ὧδε ὁ χρισὸς, ἢ ὧδε, μὴ πισεύσητε.	Tunc ſi quiſpiam dixerit vobis, Ecce hîc eſt ; ne credite.	So alsdenn jemand zu euch wird ſagen: Sihe/hie iſt Chriſtus/ oder da/ ſo ſolt jhrs nicht glauben.

ἐγερ-

24. ἐγερθήσονται γὰρ Ψευδόχριστοι καὶ Φευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς.	Surgent enim PseudoChristi, & Pseudoprophetæ, edentq; signa magnifica, adeò ut inducant in errorem (si fieri possit) etiã electos.	Denn es werden falsche Christi vnd falsche Propheten auffstehen / vnnd grosse Zeichen vnd Wunder thun / dz verführet werden in den Irrthumb (wo es müglich were) auch die Außerwehlten.
25. Ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν.	Ecce prædixi vobis.	Sihe / Ich habs euch zuvor gesagt.
26. ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν, ἰδοὺ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστὶ μὴ ἐξέλθητε. ἰδοὺ ἐν τοῖς ταμείοις, μὴ πιστεύσητε.	Si ergò dixerint vobis, Ecce in deserto est, ne exieritis: aut ecce in cubiculo est, ne fidẽ adhibueritis.	Darumb / wenn sie zu euch sagen werden: Sihe / er ist in der Wüsten / so gehet nit hinauß / Sihe / er ist in der Kammer / so glaubet nicht.
27. ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν· οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.	Quemadmodum fulgur exit ab Oriente, & videtur in Occidentem usq;; ita futurus est Adventus filii hominis.	Denn gleich wie der Blitz außgehet vom Auffgang / vñ scheinet biß zum Nidergang. Also wird auch sein die Zukunfft deß Menschen Sohns.
28. ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.	Ubicunq; verò erit cadaver, ibi cõgregabũtur aquilę	Wo aber ein Aß ist / da samlen sich die Adeler.

Homilia.

Tria præcipua Dei attributa.



Nter cætera cœlestis Patris attributa cumprimis tria excellunt. *Veritas*, Rom.3.v.4. *Bonitas*, Matth.19.v.17. *Iustitia*, Psalm.119.v.137. *Verax* est in prædictionibus: *Bonus* & beneficus est erga pœnitentes: *Iustus* est, & judicium exercet super omnes, qui contumaciter resistunt. Iisdem virtutibus Dei Filius, Salvator noster, fuit præditus, quas ipsas in hodierno Evangelio junctim exerit.

Quæ in hoc Evangelio Christus ostendit.

Nam 1. *Veritatem* ostendit *prædicando*, siquidem futura discipulis annunciat, quæ eventu ipso certissimè comprobata sunt. Facit enim verba de *excidio Hierosolymitano*, quod paulo post, paucis opinantibus, subsecutum est. Addit vaticinium de *ultimo mundi interitu*, quem brevi affore dubitandum est minimè. Qui enim verax fuit in reliquis, non mentietur in hoc uno. Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, *Esa.34.v.16.* oportet impleri omnia, *Luc.24.v.44.* non erit ultrà visio cassa, *Ezech.12.v.24.* quia verba Domini fidelia & vera, *Apoc.22.vers.6.& 10.* Dominus *promissa non aufert, sed differt*, ait super Psalm.39. *Augustinus.*

2. *Bonitatem* ostendit *præmonendo*. Quia enim tela prævisa minus nocent, hinc discipulis futuram Judæorum cladem, omnibus extremum judicium prænunciat, ut eò meliùs sese præparare queant, nec inopinatè obruantur; vel subitò abripiantur. Non enim facit Dominus verbum, nisi

nisi priùs revelaverit secretum servis suis, *Amos 3. v. 7.* Nec tantùm prædicit pericula, sed elabendi modum unà indicat, quod sanè bonitatis summæ documentum est.

3. *Iustitiam* ostendit, *pœnas indicendo.* Fuit Hierosolyma chara Deo civitas, in qua hæreditatem suam, *Psal. 47. v. 5.* Caminum & ignem habuit, *Esa 31. v. 9.* cujus portas dilexit super omnia tabernacula, *Psal 87. v 1.* Quia verò legem violavit, Evangelium contemsit, Christum occidit, Apostolos expulit, Ecce! tribulatio magna nunc denunciatur, qualis non fuit ab initio mundi, ut justas luant contumaciæ pœnas. Et quia mundus in maligno manet positus, *1. Ioh. 5. vers. 19.* tandem & illi indicitur exitium, quod præcedent variæ turbæ, & confusiones publicæ. *Ecce!* ait Christus, *prædixi vobis*, ut nempè hæc crebrò perpenderemus, & ad futurum judicium maturè nos præpararemus.

Dignum proinde est diligenti meditatione hoc Evangelium, cujus Ἐξήγησιν huic uni Themati includemus: *Quomodo ad finem mundi & extremum judicium nos dignè præparare poßimus & valeamus?* Faxit Deus, ut hæc piè meditemur, & secundùm illa vitam emendemus, Amen. *Propositio.*

ἘΞΉΓΗΣΙΣ.

PRædixerat Christus destructionem Hierosolymæ, *Matth. 23. vers. ult.* Discipuli verò etiamnum manent in opinione de regno politico, & propterea magnificam templi structuram ostendunt, *Matth. 24. vers. 1.* quæ tamen universa peritura esse, novumq; regnum institutum iri,

Salvator innuit, *verſ. 2.* Apoſtoli hæc omnia ſimul futura cenſentes, quærunt de conſummatione *verſ. 3.* atque ſic commiſcent utramque quæſtionem de vaſtatione templi & fine mundi. In reſponſo igitur ſuo Chriſtus etiam conjungit utrumque & verba facit modò de Judæorum excidio, modò de die ultimo. Quamvis inſuper à *v.15. usque ad 23.* quoad literam loquatur tantùm de Hieroſolymæ deſtructione, quia tamen hæc typus eſt ultimæ conſummationis ſeculi, hinc Patres illud quoque vaticinium de extremo die interpretati ſunt. Horum veſtigia ſequentes, primā Evangelii partem ſic conſiderabimus, ut inde præcipua veræ præparationis requiſita deſumturi ſimus.

Veræ præparationis ad diem ultimum requiſita.

1. Abominationis agnitio.

Primum eſt Abominationis agnitio & deteſtatio. *Quum videritis abominationem deſolationis,* ait Chriſtus, *v.15.* In verbis eſt Hebraiſmus, quia ponitur abſtractum pro concreto, & notatur abominabilis deſolatio, vel deſolans abominatio, Eine grewliche Verwüſtung / oder ein verwüſtender Grewel. Sic dicitur Mammon iniquitatis, id eſt, iniquus, *Luc.16. verſ. 9.* filius perditionis, id eſt, perditus, *2.Theſſ. 2. v.3.* erroris efficacia, id eſt efficax, *v.11.*

Datur autem duplex abominatio : *Altera* excidium Hieroſolymæ, *altera* interitum mundi præcedit. De utraque paucis.

De abominatione præcedente vaſtationem Hieroſolymæ opiniones. Variæ,

Quod *priorem* abominationem attinet, variæ ſunt interpretum opiniones. Occaſio videtur orta ex diſtinctis prædictionibus Danielis. Nam meminit abominationis *cap. 9. v. ult.* ad quem

locum

locum Christus hîc respicit. Meminit rursus *cap.* 11. *vers.* 31. ubi sermo est de Antiocho Epiphane. Et tandem *cap.* 12. quod vaticinium de AntiChristo accipiendum est. Hæc omnia quia interpretes non rectè distinxerunt, hinc in diversas sententias prolapsi sunt.

1. Irenæus libr. 5. cap. 21. exposuit de *AntiChristo*, quem in templo Hierosolymitano sessurum censuit. *Sed* quia Christus hîc loquitur de signo vastationem Hierosolymæ antecessuro, & verò illo tempore AntiChristus nondum extitit, utiq; hæc opinio consistere nequit.

2. Alii accipiunt de *idolis Antiochi Epiphanis*, de statua Jovis Olympii, & de horrenda templi profanatione per illum facta, 1. *Macc.* 1. Joseph. *lib.* 12. *Antiq. cap.* 7. Ast hoc prorsus improbabile, quia isthæc Antiochi abominatio præcessit Christi Nativitatem, hæc autem de qua in Evangelio dicitur, sequi debuit Christi Ascensionem. Erat abominatio futura, non præterita, videnda, non visa, Quia Christus inquit: *Quum videritis*, quæ formula futuri temporis nota est.

3. Auctor historiæ Schol. in Histor. Daniel. cap. 10. exponit de *profanatione Templi*, quæ post mortem Salvatoris fiebat à Judæis, obstinatâ sacrificiorum, quæ tum abominanda erant, continuatione. Verùm hæc non potuerunt esse certum signum jam jam ingruentis captivitatis, quum similia & Christi tempore peracta sint, interq; ejus mortem ac eversionem Hierosolymæ quadraginta anni intercesserint, à quo tempore victimas semper obtulerunt Judæi. Quomodo igitur nota esse potuerunt jam jam impendentis excidii,

4. Tostatus ac Jansenius intelligunt de *nefandissimis sceleribus*, præcipuè de variis homicidiis, quæ intra ipsum templum perpetrata sunt à Judæis, & potissimùm à Zelotis (de quibus Josephus scribit libr. 2. de *Bello Iud.* cap. 22. libr. 4. c. 5. lib. 5. cap. 2.) eo tempore: quo urbs obsidebatur à Romanis. Tùm enim Zelotæ in templũ, tanquam in castrum se receperunt, & illud nullâ religione tacti, fœdissimè profanârunt. Sed durum videtur, abominationem, stantem in loco sancto, exponere de sceleribus transeuntibus, qualia quum antè etiam patrata fuerint, quî certum adpropinquantis excidii signum esse poterunt? Et licèt flagitia illa fuerint abominabilia, vox tamen desolationis vix accommodari potest, quum non autores scelerum illorum, sed Romani urbem desolati fuerint.

5. Hieronymus & Chrysostomus in *Matth.* 24. & Theodoretus in *cap. 9. Dan.* interpretantur hanc abominationem de *statua, vel imagine quadam*, quæ in templum illata, & in sacrario collocata fuerit, eam cumprimis ob causam, quia hoc βδέλυγμα in loco sancto stare dicitur, ubi non oportet, *Marc. 13. v. 14.* vel ad alam, ut habet Daniel, *cap. 9. vers. ult.* nempè Cherubinorum. Jam verò diversis temporibus talia idola templo sunt illata. Herodes auream aquilam, Romani Imperii insigne, super maximam portam templi posuit, Joseph. *libr. 1. Bell. Iud. cap. 21.* Cajus Caligula effigiem suam templo inferri petiit, cũ inscriptione: *Cajo, Illustri Iovi* Sed impeditum hoc fuit prudentiâ Petronii, Præsidentis Syriæ, & intercessione Regis Agrippæ, Joseph. *l. 18.*

Antiq.

Antiq. Iud. cap. 11. *& lib.* 2. *Bell. Iud. cap.* 9. Pilatus verò post Christi Passionem Tiberij Cæsaris insignia & imaginem in ipsum sacrarium intulit ad Legis Judaicæ contumeliam, teste Josepho *lib.* 18. *Antiq. cap.* 4. Alij exponunt de imagine Titi; quidam de equestri statua Adriani, quæ tamen quùm positæ sint post desolationem, intelligi haut possunt. Reliquas imagines quod attinet, objiciunt nonnulli, quòd diu ante eversionem Hierosolymæ fuerunt illatæ, & ita signum imminentis interitus non esse potuerint. Cæsaris etiam imago à Pilato posita non diu ibi permansit, sed ob seditionem Judæorum Cæsaream traducta est. Imò notant quidam, istud Pilati factum contigisse ante mortem Christi, qui tamen abominationem intelligit post aliquot annos Ascensionis suæ futuram. Et quomodo istæ imagines fuerunt desolatio? Iis enim licèt templum fuerit profanatum, non tamen est desolatum. Hæ rationes expositioni huic quintæ opponi solent.

Tandem 6. Augustinus *Epist.* 80. intelligit *Romanum exercitum* undique circundantem, & arctissimè obsidentem urbem Hierosolymam, qui vocatur abominatio, quia constabat ex Ethnicis, idola Judæis abominanda colentibus. Additur vox desolationis, quia exercitus ille tandem cepit, diripuit, & desolavit urbem ac templum. Hæc ἐξήγησις confirmatur cumprimis testimonio *Lucæ*, qui hæc ipsa verba Christi magis perspicuè refert & abominationem istam sic explicat, c. 21. v. 28. *Quùm videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia adpropinquavit*

desolatio. Ista igitur obsessio fuit signum certò secuturi excidij. Et stetit in loco sancto, qui est Hierosolyma. Nec repugnat Danielis ala, quippe per quam turmæ militum, non alæ Cherubinorum intelliguntur.

Conciliatio illorũ.

Hæc igitur interpretatio videtur optima, ubi tamen notandum, quòd prædictæ ἐξηγήσεις cum hac quodammodo conciliari queant. Signum enim eversionis *vel* fuit propinquum & politicum, nempè Adventus & obsidio Romanorum, *vel* remotum & Ecclesiasticum, quod fuit profanatio templi per imagines Ethnicas, per cædes horrendas, per idololatriam & sacrificia abominanda. Hæc enim excidium præcessisse & quasi prænunciâsse nullum est dubium, ideoque non video, cur non per abominationem isthæc omnia junctim possint intelligi.

Hæc fuit prior abominatio, quam observare debebant discipuli, ut periculum impendens eò meliùs evitarent, quod Consilium etiam secuti sunt, unâ cum aliis Judæis piis, quippe qui paulò ante obsidionem trans Jordanem in oppidulum Pellam transfugerunt, teste Eusebio *lib. 3. cap. 5.*

De abominatione præcedente judicium extremũ.

Jam verò sicuti quoddam βδέλυγμα præcessit interitum Hierosolymæ, sic & consummationem seculi, de quo Daniel *cap. 11. & 12.* vaticinatur. Indicat enim venturum aliquem, qui sit facturus omnia juxta voluntatem suam, & elevaturus se adversus omnem Deum, *cap. 11. vers. 36.* qui ab Apostolo vocatur filius perditionis, & sedere dicitur in templo Dei, ostendens se tanquam sit Deus, *2. Thessal. 2. vers. 4.* Hoc βδέλυγμα nullus est

est alius quàm Pontifex Rom. qui quoad doctrinam, vitam & regimen adversatur Christo, ideoque *Antichristus* meritò nuncupatur. Hic Desolator & Vastator pessimus maximus est, quia cuncta diruit, ab Apostolis piísque doctoribus extructa. Desolator est *Gloriæ Dei*, se quoque visibilem Deum vocando, sicut Aventinus scripsit lib. 7. Annal. *In hujus fronte blasphemiæ nomen scriptum est; Deus sum, errare non possum.* Desolator est *honoris Christi*, extenuando ejus meritum, urgendo invocationem sanctorum, nominando se sponsum & caput Ecclesiæ. Desolator est *venerandorum Sacramentorum*, dum illorum virtutem ab intentione ministri suscendit, & Laicis cœnam Domini mutilatam porrigit. Desolator est *veri cultus*, quem in meras superstitiones, boatus & theatrica spectacula commutat. Desolator est *Sacri Sripturæ codicis*, quem spernit, legi prohibet, suis glossis corrumpit, & pro lubitu exponit. Desolator est *omnium statuum* à Deo institutorum, quia in Ecclesiastico sibi dominatum arripuit, Politico bonam jurisdictionis partem detrahit, in Oeconomico matrimonia rumpit, & liberos ab obedientiâ parentibus debitâ sæpiùs absolvit. In summa, destruit omne quod bonum est, & contra extruit, quod malum est. Hanc igitur abominationem fugere, hunc desolatorem execrari debemus, juxta præceptum Domini, *Esa.* 40. *v.* 20. & *Apoc.* 18. *v.* 4.

Papa est Vastator & Desolator.

Fecimus hoc per Dei gratiam; videamus tamen, ne in aliud βδέλυγμα non minùs horrendum incidamus. Nam gemina datur abominatio mystica, 1. *Doctrinæ*, si falsa, 2. *Vitæ*, si impia, &

Duplex abominatio mystica.

cum contemtu verbi conjuncta sit. Hæc posterior frequens est nostro tempore, ubi quidem verbis profitemur ὀρθοδοξίαν sed factis abnegamus. In diem vivitur, admonitiones spernuntur, præcones ridentur, & leges præfractè violantur. Heluari, bacchari, scortari, proximum fallere, spoliare, necare, passim inundaverunt, & sanguis sanguinem jamdudum tetigit, *Ose. 4. vers. 2.* Hoc βδέλυγμα est, *Fratres charissimi*, quod omnem timorem Dei, omnem pietatem & honestatem in nobis desolatur. Hanc igitur abominationem abjiciamus, si ad extremum judicium rectè nos præparare voluerimus. Non patitur Deus contemtum verbi; aufert iterum, si nauseam concipiamus. Qui amat abominationem scelerum, tandem incidit in abominationem errorum. Cogitate *Gergesenos*, qui Christum expellentes, in cæcitate relicti sunt, *Matth. 8. v. 28.* Cogitate *Iudæos*, in quorum locum successerunt gentes, quia illi verbum repulerunt, *Act. 13. v. 26.* Cogitate *Orientales Ecclesias*, olim Spiritus Sancti officinas celeberrimas, nunc Alcorani abominatione miserrimè profanatas. Quia enim securi facti sunt, & consenserunt iniquitati, ideò immisit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, *2. Thess. 2. v. 11.* Horum exemplo cauti sitis, ut omnia βδελύγματα vitæ & doctrinæ diligenter fugiatis. Qui autem in hoc seculo nimis diligunt scelerum abominationem, in altero certò præcipitabuntur in æternam damnationem.

2. Scriptura assidua meditatio.

Secundum est Scripturæ assidua meditatio. Christus enim remittit discipulos suos ad Danielem, quem legi vult, & ita quidem legi, ut intelliga-

telligatur, quo verbi attentionem & devotam Bibliorum meditationem requirit. Scriptura ipſius Dei Epiſtola eſt, in qua modus ſalutem conſequendi &piè vivendi oſtenditur. Scriptura gladius eſt, qui corda penetrat, *Eſa. 49. v. 2.* Ignis eſt, qui calefacit, & illuminat, *Ier. 5. v. 14.* cibus eſt, qui nos paſcit, *Ezech. 3. verſ. 3.* dolabra eſt quæ polit, *Oſeæ 6. v. 5.* Medicina eſt, quæ ſanat, *Sap. 16. v. 12.* Lucerna eſt, quæ dirigit, *2. Pet. 1. v. 19.* Magni ergò faciamus hunc Sacroſanctum Canonem, & evolvamus ſæpiſſimè. Hoc Deus præcepit, *Deut. 31. v. 25. Eſa. 34. v. 16.* & Dei filius, *Ioh. 5. v 39.* Hoc fecit David, *Pſ. 119. v. 97.* Joſias, *2. Reg. 23. v. 2.* Eunuchus, *Act. 8. v. 28.* & Berrhoënſes, *Act. 17. v. 11.* Ex hoc libro haurimus notitiam viæ, quâ itur ad vitam æternam, *2. Tim. 3. v. 5.* Ex hoc haurimus veram fidem, ſine qua placere non poſſumus, *Iohan. 20. v. 3. Hebr. 11. v. 6.* Ex hoc haurimus exempla & præcepta, quibus ad vitam piè & honeſtè agendam inſtruimur, *Deut. 29. v. 29.* Fluit inde Sapientia, per quam diſcernimus & probamus Spiritus, *1. Theſſ. 5. v. 20. 2. Petr. 1. v. 19.* Fluit inde probatum animæ pharmacum, viva conſolatio, *Pſ. 119. v. 49. 50. 92.* Petuntur inde Spiritualia arma, quibus adverſus Satanam, ejúsque ſtygias phalangas fortiter dimicare poſſumus, *Eph. 6. verſ. 12. ſeqq.* O beatos igitur omnes eos, qui diligenter & ſedulò tractant verbum Dei, *Syr. 14. verſ. 3. Pſal. 1. v. 2.* Ita enim rectè informabimur, & ad judicij diem dignè præparabimur, præſertim ſi non tantùm legamus, ſed etiam juxta Chriſti monitum intelligere diſcamus, quod fit per attentam meditationem, & cumprimis per devotam orationem, quæ

Verbi divini cõmendatio.

quæ instar clavis est, quâ liber ille signatus aperitur. Hoc David noverat, ideoque ardenter suspirat, Psalm. 119. v. 24. *Domine da mihi intellectum & scrutabor legem.* Quem si imitemur, Deus procul dubio nobis aderit, ut quæ legimus, etiam intelligamus, & per intellecta ad vitam æternam cum electis omnibus ædificemur.

3. Vera ad Deum conversio.

Tertium est Vera ad Deum conversio. Fieri enim potest facilè, ut delinquamus, ideoque quotidianâ indigemus pœnitentiâ, quò dignè in extremo judicio comparere valeamus. Hoc ipsum etiam innuisse Christum, quidam Patres, allegoriarum studiosi, autumant, per verba v. 16. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Ut enim tempore obsidionis Hierosolymitanæ nullum erat convenientius medium, quàm in montes securitatis causa se conferre: Ita priusquam veniat πανολεθρία mundi, ad certos montes quasi fugiendum est, sed modo mystico, quem Patres sic declarant.

Tres in scripturis montes celebres.

Tres in scripturis sunt montes celebres. 1. Mons *Sina*, ubi Lex promulgata est. 2. Mons *Sion*, ubi Arx Davidis extructa est. 3 Mons *Thabor*, ubi Christus clarificatus fuit. Ad hosce montes eundum est per contritionem, per fidem, & per novam obedientiam.

Ad quos mysticè fugiendum.

Primùm fugere debes ad *montem Sina*, ut legem mediteris, & secundum illam facta tua examines. Videbis ocyùs, quàm multa bona omiseris, & quàm multa mala commiseris. Hæc agnoscere, hæc confiteri decet cum Davide, 2. *Sam.* 12. *v.* 13. & Publicano, *Luc.* 18. *v.* 13. Non verò subsistendum est in hoc monte, uti Judas fecit, qui propterea desperavit, sed pergendum ulterius, & fugiendum ad *Montem Sion*, è quo

quo Evangelium exiit, *Esa. 2. v. 4.* ad Christum, qui Ecclesiæ Sionis mysticæ, Rex & Caput est, *Psalm. 2. v. 6.* Hunc verâ fide apprehendere, hujus merito nos erigere debemus, & ita peccatorum veniam impetrabimus. Sed adhuc procedendum, & ad *Thabor*, clarificationis montem, fugiendum est, quò mutemur & renovemur per mortificationem carnis, & vivificationem Spiritus. Induendus est homo novus, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, *Ephes. 4. vers. 24.* Ut enim Christus, antequam ad dexteram Patris ascenderet, inque plenam gloriam intraret, priùs in montem Thabor se conferebat & ibi clarificari incipiebat, *Matth 7. v. 1.* Sic Christiani, si participes esse volunt futuræ dignitatis in cœlo, hic priùs immutari, & per novam obedientiam veluti clarificari debent. Hic requiritur initium, ut illic sequatur complementum. Hoc igitur est ad montes fugere, nempè ad Sina per contritionem, ad Sion per fidelem Christi apprehensionem, ad Thabor per constantem vitæ correctionem.

Prætereà verò Salvator addit, ut discipuli diligenter videant, *ne fuga contingat in hyeme, vel Sabbatho*, v. 20 quùm tali tempore multæ difficultates incidant. Ita pœnitentiam nostram non differamus in frigidam senectutis hyemem, non usque ad Sabbatum, & mortis terminum, ubi terræ mandari, & quiescere debemus. Tum enim difficulter evadimus periculum, quùm pœnitentia sera, rarò sit vera. Ut in hyeme multi peregrinantes obrigescunt frigore ita qui primùm in senio converti volunt, sæpiùs planè pereunt, quia

Pœnitentia nō differenda.

veræ

veræ fidei calorem, ob cordis glaciem concipere nequeant. Miles, qui securitatis tempore arma sua studuit & polita semper custodire, & ad manum parata habere, vocante ducis tubâ, lætus & expeditus currit; qui verò secus fecerit, tanquam inutilis exauctoratur: Sic malus Christianus, qui non maturè sua considerat & emendat opera, in extremâ provocatione ut malus servus exhæredabitur. Qui apud judicem habet causam pendentem, omni tempore de illa cogitat, ut felicem exitum consequatur. Tota verò hæc vita conceditur nobis, ut de causa nostra cogitemus, quæ pendet coram tribunali Christi, ubi nos adstare omnes oportet, 2. *Corinth.* 5. *vers.* 10. Annon igitur summa foret dementia, tunc primùm de causa cogitare, quùm per mortem ad judicium evocamur?

4. Mundanarum rerum desertio.

Quartum est Mundanarum rerum desertio. Hoc Christus innuit *v.* 17. 18. quùm inquit: *Tunc qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam:* quibus verbis quoad literam monet, ut pij obsidionis tempore nihil habeant vitâ charius, ideoque fugiant citissimè, nihil curantes bona domestica, modò salvi evadant & incolumes. Pari ratione si tuti esse, & in extremo die subsistere volumus, de terrestribus bonis non nimiùm soliciti simus. Si pœnitentiam egistis, perseverandum est, nec ad vomitum & curas seculares redeundum. Hoc enim summè periculosum, sicuti plurimorum exempla testatũ faciunt. Multi è Papatu exierunt, sed reversi ad tollendam tunicam, ad dignitates & opes acquirendos, fidem de-

nuò

nuò abnegârunt, & æternùm perierunt, ut ex historia Francisci Spiræ notum est. Lothi uxor, quùm tantùm retrospiceret, in statuam salis versa est, *Gen.19. v.26.* Unde Augustinus scribit: *Mutata est in statuam salis, ut sale condiret mundum.* Proinde & vobis cedat in condimentum ac informationem, ut studia hujus seculi deseratis, & soli Christo semper adhæreatis. Sufficit, si modò vitam æternam consequamur: cætera mundo relinquamus. In cœlo enim est nostrum πολίτευμα, *Phil.3. v.20.* hîc non habemus civitatem manentem, *Hebr.13. v.14.* sursum dirigenda sunt cotda, *Col.3. v.1.* In mundo manent tunicæ, omnésque thesauri; satis est si periculum æternæ mortis evadimus, & in libertatem filiorum Dei assumimur. Sit hîc multiplex miseria, ibi tamen vivemus in gloria: sit hîc dolor & planctus, ibi tamen erit gaudium & risus: Contemnamur hic à superbis: ibi tamen associabimur Angelis, & Sabbatum ex Sabbato ducemus sine intermissione.

Cujus gaudij, ut reddamur compotes, tu effice *Pater optime*, & da, ut abominationes omnes fugiamus, Scripturam rectè intelligamus, ad te unum convertamur, & secularibus relictis, regnum tuum quæramus ante omnia, & olim possideamus in cuncta seculorum secula, Amen.



EVANGELIUM DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS.

Matth. 25. à Vers. 31. usque ad finem.

De modo & processu extremi judicij.

V.31. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι Ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ.

QUùm venerit autem filius hominis in gloria sua, & omnes Angeli ejus sancti cũ eo, tunc sedebit super Thronum gloriæ suæ.

WEnn aber deß Menschẽsohn kommen wird in seiner Herrligkeit/ vnd alle heilige Engel mit jhm/ Denn wird er sitzen auff dem Stuel seiner Herrligkeit.

32. καὶ συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.

Et congregabuntur corã eo omnes gentes, & separabit eas, unam ab altera, sicut Pastor separat oves ab hædis.

Vnd werden für jhm alle Völcker versamlet werden/ vnd er wird sie von einander scheiden/ gleich wie ein Hirt die Schaffe von dẽ Böcken scheidet.

33. καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων.

Et statuet oves à dextera sua: & hædos à sinistra sua.

Vnnd wird die Schaffe zu seiner Rechten stellen/ vñ die Böcke zur Lincken.

34. τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐκ δεξιῶν

Tunc dicet Rex iis, qui erunt à dex-

Da wird denn der König sagen zu denen zu seiner

αὐτοῦ

αὐτοῦ, δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

tera sua: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi.

Rechten: Kommet her jhr gesegneten meines Vatters/ ererbet das Reich/ das euch bereitet ist / von anbegin der Welt.

35. ἐπείνασα γὰρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν, ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με, ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με.

Esurivi enim, & dedistis mihi quòd manducarē; ac sitivi, & propinâstis mihi, hospes eram & excepistis me.

Denn ich bin hungerig gewesen/ vnd jhr habt mich gespeiset. Ich bin durstig gewesen / vnd jhr habt mich getrăncket. Ich bin ein Gast gewesen/ vnd jhr habt mich beherberget.

36. γυμνὸς, καὶ περιεβάλετέ με· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με, ἐν φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρός με.

Nudus eram, & operuistis me: Infirmus eram, & visitastis me: in domo vinctorū eram, & venistis ad me.

Ich bin nacket gewesen / vnnd jhr habt mich becleidet. Ich bin kranck gewesen/ vn̄ jr habt mich besucht. Ich bin gefangē gewesen/ vnd jhr seid zu mir kommen.

37. τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες, Κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ

Tunc dicent ei justi illi: Domine noster, quādo vidimus te esurientem & cibavimus te, aut

Denn werden jm die Gerechten antwortn/ vnd sagen: Herr/ wenn haben wir dich hungerig gesehen / vn̄ haben dich gespeiset? Oder

διψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν;

ſitientem, & propinavimus tibi?

durſtig/vnd haben dich geträncket?

38. πότε δέ σε εἴδομεν ξένον, καὶ συνηγάγομεν; ἢ γυμνόν, καὶ περιεβάλομεν;

Et quando vidimus te hoſpitem, & excepimus te? aut nudum, & operuimus te?

Wenn haben wir dich einen Gaſt geſehen/vñ beherberget? Oder nacket/ vnd haben dich bekleidet?

39. πότε δέ σε εἴδομεν ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἤλθομεν πρός σε;

Et quando vidimus te infirmum, aut in domo vinctorum, & venimus ad te?

Weñ haben wir dich kranck oder gefangen geſehen/ vnnd ſeind zu dir kommen?

40. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

Et reſpondens Rex dicet eis: Amin ego dico vobis, quotieſcunq; feciſtis uni ex iſtis fratribus meis parvulis, mihi ipſi feciſtis.

Vnd der König wird antworten/ vnd ſagen zu jnen: Warlich ich ſage euch / was jhr gethan habt einem vnter dieſen meinen geringſtē Brüdern / das habt jhr mir gethan.

41. τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ εὐωνύμων. πορεύεσθε ἀπ᾽ ἐμοῦ οἱ κατηρωμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ.

Tunc dicet & iis, qui erunt à ſiniſtra ſua: Abite à me maledicti in ignem illum æternum, qui paratus eſt criminatori (*diabolo*) & angeli ejus.

Denn wird er auch ſagen zu denen zur Lincken: Gehet von mir jhr verfluchten in das ewige Fewer / das bereitet iſt dē Teufel / vnnd ſeinen Engeln.

42. ἐπείνασα γὰρ

Eſurivi enim, nec

Ich bin hungerig

καὶ

καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με.	dediſtis mihi quod manducarem : & ſitivi, nec propinâſtis mihi.	geweſen / vnnd jhr habt mich nit geſpeiſet. Jch bin durſtig geweſen / vnd jhr habt mich nicht getrâncket.
43. ξένος ἤμην, καὶ οὐ συνηγάγετέ με· γυμνὸς, καὶ οὐ περιεβάλετέ με· ἀσθενὴς, καὶ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐκ ἐπισκέψασθέ με.	Et hoſpes eram, nec excepiſtis me: & nudus eram, nec operuiſtis me : & infirmus eram, & in domo vinctorum eram, neque viſitâſtis me.	Jch bin ein Gaſt geweſen / vnnd jhr habt mich nicht beherberget / Jch bin nacket geweſen/ vn̄ jhr habt mich nicht bekleidet / Jch bin kranck vnd gefangen geweſen / vnnd jr habt mich nicht beſucht.
44. τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ καὶ αὐτοὶ λέγοντες, Κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, ἢ διψῶντα, ἢ ξένον, ἢ γυμνὸν, ἢ ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι;	Tunc reſpondebunt & illi, ac dicent: Domine noſter, quando vidimus te eſurientem aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudū, aut infirmum, aut in domo vinctorum, nec miniſtravimus tibi?	Da werden ſie jhm auch antworten / vnnd ſagen: Herr/ wenn haben wir dich geſehen hungerig oder durſtig / oder einen Gaſt / oder nacket/ oder kranck / oder gefangen/ vnd haben dir nicht gedienet?
45. τότε ἀποκριθήσεται αὐτοῖς, λέγων, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ'	Tunc reſpondebit & dicet eis : Amin ego dico vobis	Denn wird er jhnen antwortē/ vnd ſagen: Warlich ich ſage euch / was jhr

ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε.

quotiescunq; non fecistis uni ex istis parvulis, nec mihi fecistis.

nicht gethan habt einem vnter diesen geringsten / das habt ihr mir auch nicht gethan.

46. καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον· οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Et abibunt isti in cruciatum æternum, justi verò in vitam æternam.

Vnd sie werden in die ewige Pein gehen / Aber die Gerechten in das ewige Leben.

Homilia.



SAlvator noster non tantùm Doctor & Sacerdos est, sed etiam Regis titulo sæpiùs insignitur, *Psal.24 v.7. Esa.33. v.22. Apoc.37. v.14.* Habet verò cumprimis regnũ quadruplex:

Quadruplex Regnũ Christi.

1.*Potentiæ* in universo. 2.*Gratiæ* in Ecclesia, 3.*Gloriæ* in cœlo, & 4.*Iræ* in inferno. *Priora duo* terminantur hoc seculo: *Posteriora* vigebunt in futuro. Ibi enim sententiâ justi judicis fideles introibunt in regnum gloriæ, paratum à constitutione mundi, sed impœnitentes mittentur in ignem æternum. De *regnis prioribus* aliquoties in anno sermones instituuntur: de *posterioribus* hac ultimâ Dominicâ disseri consuevit.

Summa Evangelij.

Audimus enim præsenti textu, certò institutum iri aliquando judicium, ubi filius hominis veniet in majestate sua ad judicandum orbem terrarum, Nolite errare: Deus non irridetur, *Gal.6. v.7.* Fiet quod prædixit & rationem poscet ab omnibus, ut pij salventur in cœlo, & impij puniantur in inferno, Christus ascendit quidem in

cœlum,

cœlum, ſed inde venturus eſt judicare vivos & mortuos, *Actor. 1. verſ.* 11. Certò veniet Dominus, ut faciat judicium adverſus omnes, *Epiſt. Iud.* 14. Tunc fiet retributio manuum ſuarum cuique, *Eſai.* 3. *verſ.* 11. & qui injuriam fecit, recipiet id, quod iniquè geſſit, *Coloſſ.* 3. *verſ.* 25. ut appareat, quid interſit inter juſtum & impium, *Malach.* 3. *v.* 17. Tunc unà venient omnes Angeli, tunc tribunal ſuum Rex gloriæ ponet in nubibus, tunc aperientur ſepulcra, & omnes congregabuntur. Fiet ibi ſeparatio piorum & malorum, proferentur libri, & patebunt omnium facta. Credentibus dicetur, *Venite*, & aſſumentur in regnum gloriæ: ſed impiis dicetur, *Diſcedite*, & præcipitabuntur in locum iræ ac damnationis æternæ.

O utinam hæc Concio penitiſſimè cordibus noſtris maneret infixa! Sic extirparetur facilè ſecuritas, reprimeretur iniquitas, & ſalutem noſtram cum timore & tremore ſemper operaremur, *Phil.* 2. *v.* 12.

Proindè digniſſimum meditatione eſt hoc Evangelium, de quo rectè *Auguſtinus* pronunciavit: *Si quis de tota Sacra Scriptura nihil aliud ſciret, niſi ſolummodo lectionem hujus Evangelij, ſatis haberet ad ſalutem.*

Partes verò illius tres ſunt. Nam *primùm* deſcribitur Adventus Chriſti & præparatio ad futurum judicium, *v.* 31. 32. 33. *Partes.*

Deinde exprimitur compellatio Judicis, quæ ad fideles inſtituetur, cum eorum exceptione & Chriſti reſponſo, *à v.* 34. *uſque ad* 41.

Tandem proponitur ſevera ſententia in impios

ferenda, quam nullo modo avertere poterunt, à *v. 41. usque ad finem.*

Propositio. Quùm autem unâ vice tractari omnia haut possint, hoc duntaxat Thema considerabimus. *Quibus de causis extremum judicium piis omnibus jucundum & exoptatum esse tum poßit, tum debeat?*

Judex universæ carnis det gratiam, ut ista salubriter pensitemus, & coram ejus throno dignè compareamus, Amen.

TRACTATIO.

Diem ultimũ alij aversantur, alij expectant. COncio de die Pantocritico diversos in hominum animis affectus excitat. Nonnulli enim tristantur & timent, alij lætantur & desiderant. Felix, audiens Paulum de futuro judicio disputantem, tremefactus respondit, *Quod nunc attinet, vade, tempore opportuno te accersam,* Act. 24. v. 26. Contrà pij suspirant, & Adventum Christi illustrem cum Paulo expetunt, *2. Tim. 4. v. 8.* Imò quò aliquis est sanctior, eò diligentiùs caput elevat, & gratam redemtionem expectat, *Luc. 21. v. 28.* Jobus in mediis ærumnis hoc articulo se erexit, *cap. 19. v. 25.* & Johannes totum codicem Biblicum hoc suspirio conclusit: *Veni ô Domine Iesu*, Apoc. ult. v. 20.

Quatuor causæ ob quas dies ultimus piis esse potest desiderabilis. Ut ergò ultimum judicium impiis formidandum, sic piis amandum & expetendum est, cujus quidem rei aliquot causæ præsenti Evangelio innuuntur, quas paucis eruere placet.

1. Iudicis Persona. Prima igitur causa, quæ diem ultimum piis gratum & desiderabilem reddere debet, est Iudicis Persona. Hic nobis non erit vel ignotus vel infensus, sed probè cognitus, dilectus. Erit enim

nim Frater, erit Sponſus, erit Immanuel & Redemtor noſter. *Filius* enim *hominis* venturus dicitur in Evangelio, non quòd excludatur filius Dei, quum unus ſit Chriſtus, & unus filius, humanitate & divinitate conſtans, ſed ut innuatur, quòd ſecundum humanam naturam in nubibus cœli comparaturus, & mundum judicaturus ſit. Nam κρῖμα iſtud erit actus viſibilis: divinitas autem non videtur, ſed ſola humanitas, ideoque ſecundum hanc exercebit judicium. Hinc Joh. 5. v. 27. dicitur: *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Et Act. 17. v. 31. *Deus judicaturus eſt orbem in viro, in quo ſtatuit.* *Quæ erit Filius hominis.*

Suppeditat hæc meditatio ingens ſolatium, ſuavemq; efficit diem ultimum. Quid enim timebimus? Cur trepidabimus? Caro noſtra ſedebit in nubibus: filius hominis, ipſe homo, nobis per omnia ſimilis *Hebr. 4. v. 15.* feret ſententiam, eâque de cauſsâ nimis ſeverè & ſtricto jure nobiscum non procedet. In Politicis negotiis gaudemus, ſi judicem amicum habeamus, non quòd jus debeat inflectere, & malum bonum pronunciare: ſed quia ſperamus illum patienter nos auditurum, & ex æquitate judicaturum eſſe. Cur ergò non magis lætemur, quum ſciamus judicem omnium actionum non modò amicum, ſed & fratrem noſtrum futurum? Imò non Judex tantùm, ſed unà redemtor & Advocatus eſt, quis illi diffideret? Paſtor noſter eſt: & oves ſuas diſpergeret? Sponſus noſter eſt; & dilectam ſuam condemnaret? Hieronymus magna cogitabat, quum carnem humanam in cœlo regnare, ad Patris dexteram, recordaretur: Cur non majora cogitamus,

 quando

quando carnem nostram in nubibus venturam & orbem judicaturam esse audimus? Dei quidem forma nulli hominum est tolerabilis, *Exod. 33. vers. 20.* & vox ejus ita terrefecit Judæos, ut dicerent, Exod. 20. v. 19. *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Sed judex mundi non apparebit in hac forma; Veniet ut filius hominis, carne indutus, & illâ quidem carne, in qua pro peccatis nostris passus est, & clausam cœli januam reseravit. Vos impii trepidetis & conturbemini: videbitis enim illum, quem pupugistis, *Zach. 12. vers. 18. Apoc. 1. vers. 7.* Nos autem in Domino gaudebimus, & exultabimus in Deo Jesu nostro, *Hab. 3. vers. 18.* Ipsum enim quum intuebimur, carnem & sanguinem nostrum cernemus, qui nos non rejiciet, sed ad locum adducet, quem nobis præparatum esse prædixit, *Ioh. 14. v. 3.*

2. Iudicis majestas & gloria. Secunda caussa est Iudicis majestas & gloria. Non veniet in humilitate, & cum infirmitate; sed gloriosus apparebit in cœli nubibus, ut piis gaudio sit & solatio. Lætantur subditi, si Principem cum majestate incedentem videant: Christus Rex Regum, & Princeps principum in majestate Dei judicaturus adveniet, qui in humilitate servi judicandus apparuit, dicente *Remigio*: Cur ergò non hilares lætique adventum ejus expectemus?

Nam manifestabitur infinita Sapientia. Tria verò majestatis istius προσκείμενα sunt, quæ in triplici divinorum idiomatum exercitio consistunt. Nam manifestabit 1. *Infinitam sapientiam*, quia cognoscet omnes omnium actus, & cogitationes. Non erit opus longâ inquisitione, vel testium convocatione: Cuncta judici innotescent;

tescent: omnium dicta & facta erunt cognita. In hoc mundo & judex falli, & scelera occultari possunt: sed coram Christo nihil manebit occultum, omniscius est, à nemine falletur. Gaudete vos pii & innoxii. Patebit testium perversitas, qui falsum dixêre testimonium; patebit judicum iniquitas, qui injustam de vobis tulerunt sententiam. In Christum jactate curas vestras, ipse annotat injurias, quæ vobis inferuntur: Ipse videt, suoq; tempore vindicabit.

2. *Infinitam potentiam*, quæ luculenter elucescet ex majestatico adventu ad judicium, ex resuscitatione omnium, & convocatione judicandorum, ex omnipotenti executione sententiæ. De cœlo enim descendet ἐν κελεύσματι & clamore militari, quo totus mundus replebitur, *1. Thess. 4. v.16.* audietur vox Archangeli & tuba Dei, quæ aures & corda omnium penetrabit: tota mundi structura concidet, magno impetu cœli transibũt, elementa calore solventur; terra & quæ in ipsa sunt opera exurentur, *2. Pet. 3. 10.* Sepulcra dissilient, & ad nutum judicis omnes mortui resurgent. Deus mundum creaturus, dixit, *Fiat*, & ecce mox factum est: Ita CHRISTUS mortuos judicaturus dicet, *Redeant*, & ecce! mox redibunt. O judicem omnipotenté, cujus voci tanta inest ἐνέργεια! Sed nondum finis: Ut omnes revocabit in vitam, sic omnes sistet ante tribunal, discernet pios ab impiis, collocabit istos ad dexteram, hos ad sinistram, ubi statim sequetur decretum geminum, *alterum* gratiæ, quo dicet piis, Venite: *alterum* iræ, quod dicet impiis, Discedite. Mox dictũ, factum. Non appellabitur, non differetur executio: *Potentia.*

Fiet

Fiet quod fieri debet. Quam ſententiam juſtè tulit, eam potentiſſimè exequetur. *Gaudete* iterum vos pii, non infirmus eſt judex veſter, valet potentiâ: producet hoſtes, confundet, inque ignem ſempiternum detrudet. Sint potentes tyranni, qui vos affligunt; Potentior eſt Chriſtus, qui eos in extremo judicio provocabit, & damnabit. Non poterunt effugere, quia manus ejus ubique: *Pſal. 139. verſ. 9.* Non poterunt reſpondere, quia cum Deo quis contendet? *Iob. 9. v. 2.* Non poterunt conſiſtere, quia robuſtus non ſalvabit animam ſuam, *Amos 2. v. 14.*

Iuſtitia. Tandem 3. *Infinitam Iuſtitiam.* Nec enim corrumpetur vel potentum divitiis, vel cauſſidicorũ blanditiis: juſtum judicium judicabit, & unicuique ſecundum opera ſua retribuet, *Rom 2. v. 6.* Si jus tibi denegatum fuit in hoc mundo; confidens eſto; Veniet dies, in quo juſtus judex innocentes defendet, ſonteſque puniet, in quo piis præmium, impiis ſupplicium adjudicabit Hîc ſæpiſſimè premimur, & pane lacrymarum cibamur, *Pſalm. 80. v. 6. Vita noſtra carcer eſt,* inquit Tertullianus. *Diu vivere, eſt diu torqueri*, ait Auguſtinus. Quid aliud vita quàm labor & dolor? *Pſal. 90. v. 10.* Juſti ſimplicitas hîc contemta lampas eſt, *Iob. 12. v. 4. 5. Fideliſſimi, afflictiſſimi.* Sed animum reſumite; Dies judicii reſtat, quo ipſe Filius Dei apparebit, qui cauſſam noſtram aget, & pro injuriis æternam gloriam reddet. Ibi abſterguntur lacrymæ, & deſinent labores: Ibi educemur è carcere, & vivemus in æternâ libertate. Exultabat Noa, quum egrediendum eſſet ex arca, & gra-

titudinis

titudinis ac lætitiæ aram extruebat, *Genes 9.v.20.* Mundus hic doloris arca est, Exibimus in die ultimo, & in cœlestem gaudii arcem, sententiâ justi judicis, transferemur. Non ergò timeamus hunc diem, sed illum expectemus hilares, semper dicentes cum Bernhardo:

Desidero te millies,
Mi Iesu, quando venies?
Quando me lætum facies?

Tertia caussa est Cœlestis comitatus dignitas. Omnes enim sancti Angeli venient cum eo. Non descendet solus, sed tota cœli militia ipsum comitabitur. Tribunal circundabunt Angeli, velut exercitus, Erunt parati ad pugnandum pro Christi gloria, ad dicendum testimonium pro fidelibus: ad convincendum & abigendum impios. Ut enim aliâs sunt πνεύματα λειτουργικά, *Hebr.1. vers ult.* sic præcipuè in judicio extremo servient *tum* Deo, velut apparitores, *tum* nobis veluti testes & sodales. Cogent enim electos à quatuor ventis mundi, *Matth.24.v.31.* Congregabunt triticum & comburent Zizania, *Matth 13. v.39.* Quot igitur cum Christi descendent Angeli, tot nobis erunt amici, tot hostes erunt hostium nostrorum. Si accuset Satanas, defendent illi, & pro nobis dicent testimonium. Ut enim nostri sunt in vitâ custodes, *Psalm.91.v.11.* in morte susceptores, *Luc.16.v.22.* Sic in resurrectione testes erunt, & defensores. Calumnientur hic impii, accusent tyranni, malè loquantur alii: Dies illucescet, quo sancti Angeli nobis assistent, & de

3. Cœlestis comitatus dignitas.

noſtrâ innocentiâ teſtabuntur. In forum protra-ćto quid eſſe poteſt lætius, quàm teſtis fidus? Trepidant inſontes quoque in judicio; ſed eriguntur teſtium adjutorio. Jam & nobis ſtandum erit coram tribunali Altiſſimi, cujus absque metu recordari vix poſſumus. Verùm animoſi eſtote: Non deerunt vobis teſtes fideliſſimi. Attollatis oculos: *Ecce!* Omnes cœlorum exercitus aſtant, & unanimes veſtri patrocinium teſtando ſuſcipient. Hîc commendabitur Adami pœnitentia, Abelis probitas, Abrahami fides, Jacobi conſtantia, Jobi patientia, Joſephi caſtitas, Davidis pietas, Danielis devotio, Stephani omniumque martyrum fortitudo. O beatos nos, qui cœleſtes Spiritus ſumus habituri teſtes & amicos! Sancti & veraces ſunt, quibus fides habebitur. Robuſti & potentes ſunt, quibus nulli tyranni reſiſtere poterunt. Hi ergò lugeant & formident; quia tot habebunt adverſarios, quot videbunt Angelos. Æquum enim eſt, ut deſerantur ab iis, quos malitiosè deſeruerunt, & vitæ ſuæ ſordibus olim turpiter propulſarunt.

4 Tribunalis decus & ſublimitas

Quarta cauſſa eſt Tribunalis decus & ſublimitas. Sedebit enim ἐπὶ θρόνυ δόξης *ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.* Duplex autem CHRISTI Thronus eſt: Alter *inviſibilis*, conſiſtens in omnipotenti dominio, & exaltatione Chriſti ad dextram Patris, quem ad Thronum pervenit, quum in cœlos aſcenderet: Alter *viſibilis*, ſuper quo ſedebit in extremo judicio, & vocatur nubes, *Luc.* 21 v.27 In cœli enim nubibus veniet, *Matth.* 26 v.64. & ibi tribunal ſuum eriget.

Nubes

Nubes elevatæ, non depressæ sunt: Ita sedes Christi erit excelsa, & majestatica, ut verè possimus dicere, ex Psalm. 113. vers. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Lætemur ob hanc tribunalis majestatem: Non veniet Judex infirmus & humilis, sed ἐπὶ τρόνε δόξης. Exultabat Petrus, quum particulam divinæ gloriæ videret in monte, *Matth.* 17. *vers.* 4. Exultabant post metum Jacobi filii, quum fratrem Josephum in summa autoritate constitutum cernerent. Nos plenam in ultimo die gloriam, nos fratrem Christum in majestate venientem videbimus: Cur igitur gaudio non perfundatur noster animus?

Sub nubibus degunt omnes in terrâ viventes: Ita cuncti sistentur ante tribunal Christi, quod erigetur in nubibus. Core & Dathan vocati à Mose responderunt, *Non veniemus*, Num. 16. v. 12. Verùm & hos & omnes hostes nostros venire in judicium oportebit: Non poterunt occultari, vel aufugere, quia omnes erunt sub judicis sede.

Tandem è nubibus possunt aspici universa & singula: sic coram Christo patebunt omnia. Videbit nos oves suas, & locabit ad dexteram: videbit hædos, & adjiciet ad sinistram. Si latuisti in mundo, protrahêris in extremo judicio, quia novit Dominus qui sint sui, 2. *Timot.* 2. *vers.* 9. Altus est thronus, in quo sedebit: Cernet te, in quocunq; angulo terræ sepultus lateas, cernet omninò, & cum electis omnibus suavissimâ voce advocabit, *Venite* inquiens, *Venite benedicti Patris mei, & possidete regnum.* O vocem mellitissimam,

mam, & ſemper exoptandam! quam ut audiamus tandem, tu *Chriſte Ieſu* effice, nobisque omnibus largire, ut hîc ſimus Spiritu ferventes, & illic reddamur æternæ vitæ compotes. Quo voto curriculum lectionum Evangelicarum concluſum obſignatumque volumus, & cum Johanne ex animo ſuſpiramus: *Veni Domine IESV, veni, & ſalva populum, quem redemiſti.*
Amen.



INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ IN HOC LIBRO explicatorum.

Ex Veteri Testamento.

✻✻

INDEX PRÆCIPUARUM RERUM ET VERBORUM
ſecundum ordinem Alphabeti.

A.

B.

C.

Christus

D.

Dilectio

Festis

G.

Habi-

H.

I.

K.

L.

M.

Q.

R.

V.

ὑπομονὴ


Y.

Z.

FINIS.



Liber prohibitus uti patet folio 689 Viterbergae et in Epistola dedicatoria



Mäjner
Postilla